1926

LEXICON
POLEMICUM.

LEXICON POLEMICUM

IN QUO

Potiorum Hæreticorum vita perstringitur; omnes contrà fidem errores colliguntur, Dei verbo scripto, vel tradito, Conciliorum auctoritate, & rationibus breviter reprobantur;

INSERTA

Conciliabulorum omnium, Schismatum, & Controversiarum, quæ ad Ecclesiasticam historiam pertinent, notitia;

ADDITA DEMUM

Pro Operis complemento Bibliotheca Polemica.

AUCTORE

D. JOANNE SIANDA
A MONTEREGALI.

Abbate ex Ordine Cisterciensi Congregationis Sancti Bernardi;

EDITIO SECUNDA.

Ab Auctore recognita, & addaucta.

TOMUS PRIMUS.



ROMÆ MDCCLX.

Apud NICOLAUM ROISECHIUM Bibliopolam;

Et Typographum in Platea Agonali.

SUPERIORUM FACULTATE, ET PRIVILEGIO PONTIFICIO.



BEATISSIMO PATRI
CLEMENTI XIII.
P. O. M.

X alto Summi Pontificatus ſolio, Beatiſſime Pater, Dei vices gerens in terris, etiam humilia reſpicere non dedignaris. Hoc mihi cogitanti adjecit animum, ut pedibus Tuis provolutus, hoc par-

vulum

vulum census mei tributum subjicerem. Fortè nimis audacter in spem ingressus, quod modicum sustinere patereris in conspectu Tuo offerentis parvitatem, & operis; quandoquidem jam satis notum est Orbi, quod etiam ad infima Sanctitatem Vestram attemperat innata benignitas, quæ statim cuicumque ad te oculus extollenti fit obvia. Quidquid autem sit de parvitate censiti hujus operis, auctore quidem minimum, argumento tamen est maximum; in hoc siquidem agitur de summa rerum, nempè de Orthodoxæ Fidei puritate adversus malignantes ætherodoxos propugnanda. Quantum ergo meæ licuit imbecillitati ad conquirenda Jesu Christo plurimorum corda, pro tenuitate mea laboravi; ad perstringendas scilicet validiori-

bus argumentis illorum mentes, quæ vel in fide nutant, vel abalienatæ vivunt, quia à falsis doctrinis seductæ, à sophisticis argumentis illusæ, erroneæ doctrinæ pedisseque, à cæcis ductæ, juxta Evangelicum effatum, unà cum magistris suis in foveam cadunt. Operis itaquæ præsentis scopus cum alius non fuerit, quàm Romanam Ecclesiam à Novatorum vindicare calumniis, sub umbra patrocinii Sanctitatis vestræ Ecclesiæ Universalis Sponsi, in arenam descendere meditatus in corde meo, Clementissimo assensu adesse S. V. sibi complacuit; optimè conscia, quòd quæ debiliora sunt, & demissiora, suæ sibi semper quærunt fulcimentum imbecillitatis; Quapropter Sanctitati Vestræ humiliatas, pauperes hasce meas lu-

cubrationes polæmicas ſiſtere audeo, quæ tanta humanitate ad pedum oſcula etiam pauperrimos peregrinos lætanter excipere pœne quotidiè non dedignatur. *Reſpuit neminem, audit omnes*: nobili hoc in encomio arbitratus eſt Tacitus omnes perſtrinxiſſe ſui laudes Cæſaris. Sed ultrà progreditur innata Tua Clementia; quia quos recipere dignaris, etiam benedictionibus cumulatos dimittis; proinde beneficæ largitatis Tuæ abundantiam experiuntur, non tam accedentes, ſed etiam clamantes ad Te, quandoquidem ſuper omnes pauperes quotidie meditaris quomodo abundantius valeas Tuam extendere providentiam, quam ne copioſius diffundas, ſolæ vetant calamitoſæ noſtrorum temporum circumſtantiæ: nun-

quam

quam lætior, quam cum divitiarum benedictiones, in subsidium pauperum perfudisti. Pastoralium omnium virtutum specimen abundè exhibuisti Beatissime Pater, cum in Pastorem suum Patavium Te excæpit. Verumtamen indefessæ vigilantiæ S.V. arcta nimis erat unius administratio Diæceseos; itaque non sine divinæ providentiæ afflatu, ad incitamentum virtutis in omnes gentes, pastoralem solertiam S.V. extendere voluit Altissimus calamitoso hoc tempore, quo solidæ virtutis expertes turmas hominum plures est invenire, etiam illas in quibus non nisi probatam virtutem florescere ferè communis erat sensus; ita ut ab omni vitiorum sorde puras, pœne nullas esse, fas sit profiteri. Sed hæc semper fuere inscru-

tabilia Dei virtutum Arcana; qui ut virtus ipſa nunquam langueat, crebra adverſitatum incurſatione, eamdem acui permittit. Tot tantiſque quibus gravatur inter præſentes ærumnas expediendis rebus, S. V. pœne non ſufficere dies, ſicut jam olim cum ſuo Eugenio, exclamaret, ſi adeſſet, Bernardus. Verentur probi omnes inter earum affluentiam Veſtræ ſalutis, adeo hiſce in emergentibus neceſſariæ diſpendium: ut Sanctitatem Veſtram diù Eccleſiæ Univerſalis bono, & ornamento Deus ſervet incolumem, Votis omnibus præcatur.

S. V.

Umiliſſ. Obedientiſſ. & Obſequentiſſimus ſervus & ſubditus
D. Joannes Sianda.
Monachus Ciſtercienſis.

CLEMENS PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

CUM sicut dilectus filius Nicolaus Roisecco Bibliopola, seu librorum Mercator in Alma Urbe nostra existens Nobis nuper exponi fecit, ipse magna sua impensa, quemdam Librum in duas partes separatum, cujus titulus Lexicon Polemicum Reverendissimi Patris Sianda a Monteregali Abbate ex ordine Cisterciensi Congregationis S. Bernardi, ab eodem auctore recognitum, & addauctum, Typis ad publicam utilitatem in Urbe praefata mandare intendat: vereatur autem ne postquam in lucem prodierit, alii, qui ex alieno labore lucrum quaerunt, dictum Librum in ipsius Nicolai praejudicium imprimi facere curent. Nos ejusdem Nicolai indemnitati providere, ipsumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Nicolao, ut decennio proximo, a primaeva dicti libri impressione computando, durante, dummodo tamen ille prius à dilecto filio Magistro Sacri Palatii Apostolici approbatus sit, nemo tam in Urbe praefata, quam in reliquo Statu Ecclesiastico mediate, vel immediate nobis subjecto dictum Librum sine speciali dicti Nicolai, aut ab eo causam habentium licentia imprimere, aut ab alio, vel aliis impressum vendere, aut venalem habere, seu proponere possit, Apostolica Auctoritate tenore praesentium concedimus, & indulgemus, inhibentes propterea utriusque sexus Christifidelibus, praesertim librorum Impressoribus, & Bibliopolis sub quingentorum ducatorum auri de Camera, & amissionis librorum, ac typorum omnium, pro una, Camerae nostrae Apostolicae, & pro alia eidem Nicolao, ac pro reliqua tertia parte accusatori, & Judici exequenti irremissibiliter applican., eoque ipso absque ulla declaratione incurrendis poenis, ne dicto decennio durante praedictum Librum, aut aliquam ejus partem sine hujusmodi licentia imprimere, aut ab aliis impressum vendere, seu venalem habere, vel proponere quoquo modo audeant, seu praesumant. Mandantes propterea dilectis filiis nostris, & Apostolicae Sedis de latere legatis, seu eorum Vicelegatis, aut Praesidentibus, Gubernatoribus, Praetoribus, aliisque justitiae Ministris Provinciarum, Civitatum, Terrarum, & locorum status nostri Ecclesiastici praedicti, quatenus eidem Nicolao, seu ab eo causam habentibus praesentis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, quandocumque ab eodem Nicolao fuerint requisiti, poenas praefatas contra quoscumque inobedientes irremissibiliter exequantur. Non obstan. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis Statutis, & Consuetudinibus, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis privilegiis quoque indultis, & litteris apostolicis incontrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam in ipsis libris impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud habeatur, quae praesentibus ipsis haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris Die XXIX. Januarii MDCCLX. Pontificatus Nostri Anno II.

D. Card. Passioneus.

REIMPRIMATUR.


Si videbitur Reverendissimo Patri Sac. Palatii Apost. Magist.

Dom. Jordanus Archiep. Nicomediæ Vicesgerens.



REIMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ord. Præd. Sac. Pal. Apost. Magist.



LECTORI UMANISSIMO.

NICOLAUS ROISECHIUS,

Bibliopola, & Typographus Romanus.



Aria inter opera a Reverendissimo P. D. Joanne Sianda Abate ex Ord. Cisterciensi actenus vulgata, quorum hic elenchum subnectere, tibi gratum fore, umanissime Lector, sum arbitratus, Commendatissimum est in orbe Litterario LEXICON POLEMICUM. Quanta cum fælicitate, præsentis auctoris studiosæ lucubrationes in lucem prodierint, evidens sunt argumentum diversarum ex ipsis reiteratæ editiones. Cum LEXICON POLEMICI exemplaria passim expetita esse perhibuerim, & eorundem sit caritas, ut ea desiderantium genio morem gererem, hanc novam Editionem aggressus sum, ab Auctore notabiliter addauctam plurium hæreticorum notitia; recentiorum controversiarum solutione; insuper apologetica responsione ad criticem, quam de hoc Opere Acta eruditorum Lipsiæ Tom. 35. protulere. Demum Diatribe. De Origine, pluralitate, & præjudicio sententiarum erronearum in genere moris, cum practica methodo, in concursu plurium opinionum, seligendi saniorem. Eadem umanitate excipe benigne Lector hanc recentem editionem, qua tibi illam exhibeo. Vale.

I N-

INDEX OPERUM

Quæ actenus præsentis Lexicon Polemici auctor vulgavit.

De arte divini amoris stimulus ad excitandas animas ad amorem Jesu. *Romæ* 1718. *Monteregali* 1722.
Vir Religiosus tam superior, quàm subditus, per documenta ex SS. Patribus sellecta, pro suo munere instructus. *Astæ Pompeæ*. 1721.
Ibidem de eodem Versio Italica. 1722.
De Discretione perfectionis. *Augustæ Taurinorum*. 1724.
De eodem versio Italica. *Forojulii* 1735.
Præfata tria opuscula prodiere simul collecta. *Coloniæ* 1737.
Lexicon Polemicum. *Romæ* 1735.
In libros S. Bernardi. De consideratione Commentarii ad Beatissimum Papam Benedictum XIV. *Romæ* 1749.
Spectabilium hist univers. Compendium. *Romæ* 1736. *Augustæ vindelicorum*. 1757.
L' Vomo di Comando: riflessi morali, e politici appogiati a' sentimenti de più clasici republichisti. *in Torino*. 1724.
Idea della vera Dama Christiana. *in Torino* 1726.
Vita della Gran Madre di Dio. *in Roma* 1749.
Annotazioni alle lettere di S Bernardo volgarizate. *in Roma* 1756.
Divozione alla passione di G. C. animata dall' esempio, e persuasive di S. Bernardo. *in Roma* 1719. 1736. 1751.
Divozione a S. Pudenziana, & a SS. Tre milla martiri, animata dall' esempio di S. Carlo Borromeo. *in Roma* 1719.
Pratica di virtù singolarmente esercitate da S. Bernardo. *in Roma* 1756.
Pie preci riflessive, per chi brama vivere, e morire contento. *in Roma* 1757.
Breviario istorico dalla creazione del Mondo, fino all' esaltazione di Clem. XIII. felicemente regnante. *in Lugano* 1758.

REVE-

REVERENDISSIMI PATRIS

FR. DIDACI TELLIJ

Sac. Theolog. Mag. Sac. Cong. Rituum, & Indicis Consultoris; Theologi votantis Sac. Cong. Visitationis Apostolicæ, ac S. Officii supremæ, & universalis Inquisitionis Qualificatoris: de prima hujus Lexicon impressione Approbatio.

MAndatis obtemperans Reverendiss. Patris Fr. Joannis Bened: Zuanelli Ordinis Prædicatorum, Sac. Palatii Apostolici Magistri, opus evolui, cui titulus: LEXICON POLEMICUM, *in quo potiorum Hæreticorum Vita perstringitur &c.* Res præfixo titulo apprime respondet, titulusque rei utilitatem præclarè demonstrat. Nos autem meritas Authori gratias quàm ingenuè habemus, cum graviſſimos viros, qui eidem argumento insudarunt sequtus, non pauca, nec levia in hoc genere eos adhuc latuiſſe, fœlici illius studio, perspicuaque indagine doceamur, usque adeo quidem, ut nihil aut ferè errorum, in quos deviæ hominum cogitationes defecerunt, è latebris ipse in clarum lumen non educat. Hinc, & Ecclesiæ non minimum decus, cujus intemerata veritas, tot tantisque corruptarum mentium sordibus comparata, castimoniæ suæ, vel invitum ex eis testimonium extorquet: quid enim magis apud homines sui compotes hanc commendare valet, quam contraria fœdiſſimarum inventionum turpitudo? Heu, in quot deliria se præcipitem dabit humana præsumptio, ubi semel à regali salutis semita, qua gradiuntur humiles, cœperit declinare. Sed & quænam fuerit Hæreticis singulis vivendi ratio, paucis Auctor perstringit: quo fiet, ut nos eorum miremur vecordiam, quos tales habuiſſe Magistros non pudet: ac fortaſſe illos etsi Divini Verbi claritudo ad viam veritatis non revocet, saltem illorum, quos sibi Doctores habent, ignominia remittat. Ut tandem, quod mei muneris est paucis absolvam, meum judicium esto, nihil in subjecto opere inveniri Fidei Christianæ, aut Sanctis moribus non conforme; qnin potius ad Dei gloriam, & Ecclesiæ decus publica luce donari poſſe; salvo &c. Ex Conventu Sancti Hadriani de Urbe: Regalis, Militarisque Ordinis B. V. Mariæ de Mercede Redemptionis Capitivorum, IX. Junii MDCCXXXII.

REVE-

REVERENDISSIMI PATRIS

D: FRIDIRICI DE JUDICE.

Cong. Celest. Ord. S. Benedicti, Abbatis Monasterii S. Eusebii de Urbe, & Sacrorum Dogmatum in Archigimnasio Sapientiæ publici Professoris: de prima & secunda hujus operis editione Approbatio.

Literariæ Reipublicæ summæ utilitatis sunt Lexicographorum Opera, ea præsertim, quæ illustrandæ Religioni, qua Christiani, & Cattolici sumus, quoquo modo conducunt. Hujusmodi est hoc opus Polemicum a Reverendissimo P. Abbate D. Joanne Sianda Congregationis S. Bernardi Ord. Cist. elucubratum, meoq. examini in prima editione à Reverendissimo Patre Joanne Baptista Zuanelli tunc S. Palatii Apost. Magistro commissum, & in hac secunda editione ex Comissione moderni Reverendissimi Patris Sac. Pal. Apostol. Magistri Ordin. Prædic. iterum a me revisum.

In eo sane clarissimus Auctor, undique conquisitis non sine magno labore Hæreticorum etiam recentiorum factis, horum Epitomas contexuit, & suo quæque ordine collocavit. His subnectuntur numerosi eorumdem veritatis hostium errores, qui pro operis ratione, satis & expedita methodo confutantur: Quo fit ut jure dici possit, & re vera existat opus cum ad eruditionem promovendam comparatum, tum ad fidem omni ex parte confirmandam, & ad mores conformandos aptissimum. Id laboris genus, ut pote Catholicæ Ecclesiæ, per quam necessarium, laudem omnem meretur, & ad Religiosum virum maxime pertinet. Hinc, ut par est laudandus auctor vere Ortodoxus, ejusque opus publica luce donandum, quod aliis futurum spero veluti incitamentum in re tam gravi ampliora prodendi. Ita sentio.

Datum Romæ VIII. Kalendas Octobris 1759.

REVE-

REVERENDISSIMI PATRIS

ALEXANDRI AGUADO

Perpetui Abbatis S. Nicandri, Cattolici Regis Consiliarii; in Universitate Complutensi Doctoris emeriti, Totius Ordinis S. Basilii Magni, Abbatis Generalis; de præsenti Lexicon Polemico ejusq. nova editione Assertio.

EX quo publici juris factum hoc Lexicon, frequentes ejusdem citationes, a recentioribus scriptoribus in materia Polemica productæ apparuere, quapropter etiam apud plures cellebriorum universitatem Professores non modicam promeruit laudem, de qua cum cæteris doctoribus meæ Universitatis Complutensis, pro rei veritate testimonium perhibeo. Profectò quàm indefessum in Polemica Theologià, in sacris, profanis, historicis, & Canonicis codicibus studium, præsens opus exegerit, præcipuè in evolnendis insignium virorum, qui in polemica scripsere facultate operibus, abunde colligitur ex multiplicibus, probatisque auctoribus, quorum in hoc Lexicon scripta passim proferuntur, ut in iisdem valeat studiosus lector copiosius rimari digestas quæstiones, quas breviori, sed clara nihilominus, & convincincenti methodo auctor enodavit; solutis etiam majoris ponderis objectionibus; ita ut præsentem Auctorem inter literariæ Reipublicæ benemeritos, merito adscripserint tabulæ cronologicæ: & hæc pro ingenuitatis debito a me libenter scripta hic sunto.

D. CÆLESTINUS MARIA A S. PAULO

ABBAS, ET VICARIUS GENERALIS

Cong. Monac. Reff. S. Bernardi Ordinis Cistericiensis.

OPeris cui titulus LEXICON POLEMICUM a R. P. Abbate D. JOANNE SIANDA, nostræ congregationis Procuratore Generali, jam ab anno 1735. debitis cum facultatibus Typis concessi, hanc Secundam editionem, quantum ad nos spectat approbamus.

Datum ex nostro S. Bernardi ad Thermas de Urbe Monasterio, hac die 27. Decembris 1759.

D. Cælestinus Maria a S. Paulo Abbas, & Vicarius Generalis.

INDEX AUCTORUM,

QUI HÆRETICORUM NOTITIAM,

Vel quoad Vitam, vel quoad Errores subministrarunt.

A D

AD LECTOREM BENEVOLUM
AUCTOR.

De hujus operis institutione consilium, methodus, ratio; & ad aliqua, quæ fieri possent objecta, responsio.

VIRIBUS imparem me huic operi manum admovisse, ingenuè fateor Lector benevole, hortantibus tamen, & animum adjicientibus humanissimis quibusdam dominis meis, potissimùm Excellentissimo Domino Marchione D. Alvaro à Sancta Cruce Hispano, cujus eruditionem, Opera pluribus voluminibus comprehensa, ab ipso publici juris facta, commendant; cujus probitas, & experientia in gravissimis rebus agendis à Catholico Rege comperta, urgentioribus Regni negotiis componendis, sæpè Plenipotentiarium Ministrum præfecit, cujus martialem virtutem in Orani propugnatione universo orbi fama vulgavit. Reluctantibus itaque viribus, impellentibus amicis hoc opus assumpsi, in quo, si quid boni, illi soli, à quo omne bonum, totum debeo. si quid inordinatum, hoc totum inscitiæ meæ adscribendum: Si nihil novi, ne tua te fortè fallat expectatio, ignotum tibi non esse crediderim, quòd in omni penè ratione scribendi, jam tot prodierunt elucubrationes, ut nullibi meliùs, quàm in hoc genere consonet illud Salomonis: *Nihil sub sole novum*. Nihilominùs tuæ benignitati sperare juvat acceptos hos labores, in quibus, etiam si nihil novi reperire contingat, saltem invenies ad rem perstrictum, quod in pluribus voluminibus Historicis, Dogmaticis, Theologicis, Polemicis, Canonicis erat dispersum, præstò recurrentibus in hoc opere, ordine alphabetico digesto, potioribus verbi Dei scripti, & traditi testimoniis, Conciliorum auctoritatibus, nec non rationibus, quibus possunt quæcunque hæreses actenus excitatæ convelli. Hinc fiet, ut hujus perlustratione operis, exiguo temporis spatio multorum annorum iter percurras; quandoquidem, quæ celebriores auctores ingentibus in voluminibus contra refractarias cervices opposuere, tibi paucis modulata exhibeo, per quæ brevi circa Polemicam facultatem, multa tibi comparare valeas, quæ non nisi longo consequi posses labore.

In hujus autem compositione quantulicunque operis, nullatenus respexi ad fucum verborum; quin imò in simplicitate sermonis censui Polemicam

fore pertractandam materiam, & Catholicæ religionis discutienda mysteria: non enim Apostoli, quibus Christus præceperat in omnibus humilitati esse addictos, in elegantia orationis, sed in simplicitate sermonis, quando in omnem terram exivit sonus eorum, subegerunt universas gentes Evangelio. Cujus sacrosancta dogmata, cum in hoc opere propugnanda assumpserim, simplici methodo arbitratus sum absolvendam provinciam; præsertim ut rationes ex verbo Dei assumptæ, à quocunque faciliùs percipi valeant. Verbum Domini per se satis lucidum, emendicato Rhetoricæ elegantiæ non eget ornatu, ut illuminet oculos mentium, quæ in fuligine hæresum torpent obnubilatæ, & à recto tramite salutis deflectunt, errantes in terra deserta, invia, & inaquosa. Satis per se est efficax verbum Domini illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, ad dirigendos eorum pedes in viam veritatis, & salutis, dummodo audire velint hæretici, & inclinare aurem suam ad verba vitæ, quæ loquuntur sacri codices; Catholicis quidem, ut in vera fide magis, ac magis solidentur; hæreticis verò, ut ab assumpto tramite, quod ducit ad mortem, deflectant.

Peculiares itaque errores, in quos omnes hæretici, à propagato Evangelio, ad nostra usque tempora impegerunt, non modò adamussim detegere, sed medio Dei verbo refellere studui, validioribus argumentis cum claritate, (quantùm potui) & brevitate compositis. Quòd si prolixiora argumenta desideras, vel ampliorem de alicujus hæresis ortu, & progressu notitiam, illos auctores consule, quorum notitiam, data opera exhibeo in Bibliotheca Polemica.

Quia verò sæpè contingit, ut hæresis, quæ uno cadente seculo vix cognita ortum habuit, alio seculo ineunte invalescens, innotuerit; per numerum Imperialem, qui unicuique hæretico in margine, decursu operis*, præficitur, seculum, quo hæresis orta est, vel invaluit, designatur. Aliquos vero, sed paucos errores hæreticales obviam habebis in hoc opere, quos nulla subsequitur reprobatio: non autem censeas inconsultò hoc factum; cum enim hujusmodi errores statim cuicunque legenti pateat quantùm sint, vel à ratione alieni, vel obscœni, nefas esse duxi prolixiorem de iisdem sermonem instituere, quos sola auctorum suorum evomit impudentia.

Forte ad hujus operis complementum expetere posset lector inserta hæreticalium propositionum fundamenta, quibus innixi hæretici suos promulgarunt errores, & eorundem objectorum, per contrarias rationes, solutionem. Sed in hanc arenam descendere, negotium à meo alienum proposito sum arbitratus; nam si omnia hæreticorum objecta, cum suis solutionibus ad trutinam revocare voluissem: opus, quod breviter absolvere proposueram, vix pluribus voluminibus potuissem perstringere. Ut enim clara methodo res hujusmodi pertractari valeat, integros tractatus Theologicos, quibus Polemica studiosos suos jam capaces supponit, opus fuisset inserere. Præter quàm quòd, plures ex hæreticis in suis erroribus stabiliendis nullum aliud habuerunt fundamentum, quàm propriam à ratione alienam, & in malo obduratam voluntatem; stetit siquidem ipsis pro ratione malitia. Nihilominùs potiora fundamenta, quibus suos errores tutari conantur Accatholici, sæpè hic adducta invenire est, & soluta; aliaque silentio prætermissa, facili negotio solvere poterit studiosus lector, si efficaces rationes, quibus hæreticorum placitis contrarium evincitur, in hoc opere congestas, attentè consideret, ex quibus faciliter eruitur hæreticalium objectionum solutio. Adde, quòd potiora à via veritatis aberrantium fundamenta, sæpè consistunt in mutilatâ, & depravata ab ipsis sacra Scripturâ, quâ perperam utuntur,

simpli-

simpliciores ut decipiant; quà in re cautè agendum, quandocunque ab hæreticis Scriptura, imò etiam SS. Patrum auctoritates in suorum patrocinium errorum assumuntur; quà adhibita cautelà, facilè erit objectionibus occurrere, & hæresum monstra interimere.

Quoad Canonicorum Scripturæ sacræ librorum notitiam; sermonem instituimus verbo *Swenckfeldius*, ubi, quantum operis ratio patitur, hæc materia discutitur. Sicut & quoad Conciliorum auctoritatem spectat, ad ea, quæ de hac materia verbo ***Pseudo-Synodici*** differimus, lector remittitur, ubi conciliabulorum collectione exhibità, legitimos canones à spuriis facile erit secernere, cuicunque inter legitima Concilia, & conciliabula obvia erit discretio.

Pro genuinis autem sanctorum Patrum operibus discernendis, & à suppositiis segregandis, claram exhibet methodum R. P. Petrus Annati in suo methodico Apparatu ad Positivam Theologiam, lib. 4. De sanctis Ecclesiæ Patribus. Sed & studiosis Monachis S. Mauri, Ordinis Sancti Benedicti debet orbis literarius Catholicus hoc beneficium: eorundem siquidem Monachorum inenarrabili labore, studio, & impensis prodierunt, & in dies promulgantur Opera SS. PP. eruditis notis illustrata, quibus Maurinis in editionibus, genuina opera à suppositiis segregata exhibentur, sicut & plura fragmenta, quæ literario orbi adhuc erant ignota, ad Ecclesiæ decus, & SS. PP. gloriam publici juris facta conspiciuntur.

Neque hic silentio prætereundem censeo (quod alicui fortè admirationi esse poterit) qua de causa in reprobatione hæresum, ab auctoritate SS. PP. frequentiora argumenta non assumpserim, quasi eorundem auctoritati minus deferam. Absit: utique *Quod tenent, teneo*, ut verbis utar S. August. lib. 1. contra Julian. cap. 8. Docet me insuper S. Abbas Bernardus, quàm venerabundi debeamus sanctorum Patrum testimonia recipere, tractatu ad Ugonem de S. Victore cap. 2. contrà Abbailardum, quem, contrà sensum sanctorum Patrum sentire non erubescentem, sic perstringit: quibus verbis possent & Novatores omnes coarctari. ***Sed miror, si novus iste novarum inventor assertionum, & assertor inventionum, invenire rationem potuerit, quæ sanctos Patres latuerit... Ab his ergo (scilicet sanctis Patribus) crede mihi, difficilè avellor, cum his inquam, me aut errare, aut sapere fateor.*** Itaque sanctorum Patrum auctoritates non inserui, eò quod jam abundè ab aliis eruditissimis viris contrà hæreticorum deliramenta collectas compererim, quod præ cæteris præstitit abundantissimè Coccius in suo Thesauro. Tum quia, ut paucis absolverem, quæ duobus tantùm voluminibus perstringere proposueram, validiora solùm argumenta exhibui, quæ à verbo Dei scripto, & tradito, à Conciliis, & à ratione eruuntur. Cæterùm, quanto obsequio recipienda sint SS. PP. testimonia (maximè ubi agitur de fidei dogmate) idem unanimiter asserentium, perhibet Chalcedonense Concilium, in quo conclamatum fuit: *Hæc est fides Patrum*. Esto potuisse aliquos Patres, in aliquà peculiari opinione sustinenda errare: non tamen omnes, in eadem sententia convenientes, possunt errori succumbere. Dicuntur autem solùm Ecclesiæ Patres illi, quos ob eminentem doctrinam, & insignem vitæ sanctitatem, ut tales agnovit sivè tacitè, sivè expressè, & declaravit Ecclesia.

Si quis verò, quoad etymologiam nominis, quod plures sortitæ sunt hæreses, uberiorem expeteret notitiam, perspicuum est hæreses vel ab auctore, vel à loco ubi fuerunt institutæ, vel à primario errore, quem sectæ profitentur, diverso fuisse nomine distinctas; & interim consulat Etymologiam

giam sacram Græco-Latinam à Patre Mortier in lucem editam, quo in opere, de Etymologia nominis plurium hæresum, maximè Orientalium, agitur: quâ de re nos breviter disseruimus, quandoquidem scopus hujus operis, non fuit de nomine, sed de re agere, & errores convellere, potiùs quàm de Etymologiâ nominis disputationem habere.

Ibi etiam advertendum arbitror, quòd plures errores à diversis Auctoribus uni, aut alteri hæretico adscribuntur, in quos omnes, an hæreticus de quo agitur, impegerit, difficilis est probationis. Utique censendum non esse crediderim, quemcunque auctorem Catholicum, hæreticorum errores recensentem, voluisse datâ operâ alicui Novatori hanc notam inurere, ut pluribus gravaret erroribus, quandocunque certò constasset scriptori Catholico, in minori errorum numero hæreticum deliquisse. Porrò hujusmodi variationis in supputandis hæreticorum erroribus, quæ inter Catholicorum scriptorum opera reperitur, causam fuisse arbitror, quòd cum ad plures auctores Catholicos, qui de hæreticis, ut eos impugnarent, scripserunt, genuina hæreticorum scripta non pervenerint, ad habendam propositionum hæreticalium notitiam, opus fuit præfatis scriptoribus opera illorum percurrere, qui unum, aut alterum hæreticum ex professo impugnarunt. Cum autem validæ argumentationis methodus ad convincendos hæreticos, sit ex absurdis eorum propositionibus, ostendere deductionem aliarum propositionum pariter insubsistentium; ex hac deductione, argumentationis gratia facta, fortè aliquis allucinatus, credidit non modò in impugnatam hæresim, sed & in errores ab hæresi, impugnationis ergo deductos, impugnatum hæreticum irrepsisse. Res clarior fiet exemplo. Consueverunt Tgeologi ad impugnandos Græcos, negantes processionem Spiritus sancti à Filio, contrà eosdem deducere, quòd, si Spiritus sanctus non procederet à Filio, neque distingueretur ab ipso. Græci utique nunquam asseruere Spiritum sanctum non distingui à Filio; sed implicitè hoc absurdum ex eorum præmissis deducitur, quandocunque mordicùs sustinent Spiritum sanctum à Filio non procedere; ex quo patet secundum errorem, licèt explicitè non assertum, consectaneum tamen esse ad primum. A paritate ex dictis, facilè erit comprehendere, quâ ratione aliquis hæreticus, fortè potuerit ab aliquo auctore Catholico, in ejusdem errorum numeratione gravari. Cujus gravaminis aliam causam assignari etiam posse crediderim, nempè inscitiam linguarum, quâ fortè laborarunt aliqui Scriptores de hæresibus, qui ad interpretes, vel relatores hac de causa coacti recurrere, ut exteros errores, non nisi ignota impugnatoribus lingua recensitos detegerent, factum est ut relatores, fortè non satis sinceri, plura mendacia venderent, quæ facilè emit, qui interpretibus, & relatoribus se nimis credulum exhibet; facilè vendit, qui veniens ex longinquo, & de peragratis regionibus circa usus, & mores sermonem instituens, cum sciat non posse ita facilè ab auditoribus assertionum suarum sustinere repulsam, inter narrandum, vera falsis, aut fictis immiscet; se plus vidisse, & audisse, quàm defacto viderit gloriabundus, juxtà tritum adagium: Facile est mentiri, à longè venienti.

Causari nihilominùs non debent hæretici, si fortè alicujus nota erroris, ipsis minùs considerate tribuitur, quem expresè non asseruerint: qui enim pertinax esse non erubescit in unico tantùm errore circà fidem sustinendo, censetur posse delinquere in omnibus, & certè præcipuè circa fidem dici potest, quod scriptum est: *Mendax in uno, mendax in omnibus.* Prærogativa veræ fidei consistit in indivisibili, scilicet in firma, & invariabili adhæsione omnibus, & singulis veritatibus, quas docet Ecclesia Catholica: qui ab una tantum-

tantummodo veritate, cum pertinacia recedit, est absolute infidelis; ibique locum habet, quod legitur: *Qui in uno delinquit, factus est omnium reus*.

Interim in computatione errorum, quos unicuique hæretico adscribo, profiteor me deductivè non fuisse locutum, sed ab uno, aut altero auctore, qui de hæreticis scripserunt, hæreticales propositiones hic reprobatas fuisse decerptas, quorum auctorum indicem, qui scilicet hæreticorum notitiam, vel quoad vitam, vel quoad errores subministrarunt, statim infrà exhibendam censui; ut eosdem possit, qui voluerit, consulere, & ut pateat, quantùm in me est, neminem in errorum computatione gravasse.

Omnes propositiones, quæ in hoc opere reprobantur, non sunt absolutè hæreticales; aliquas enim solùm erroneas, temerarias, vel scandalosas reperies; sed utpotè ab hæreticis prolatas, ideò ut pleniùs hæreticorum sensus, mores, animos, indoles innotescerent, hic inserendas, & reprobandas censui. Cæterum mei non est instituti in hoc opere propositiones simpliciter erroneas, quæ ad Theologiam moralem spectant, & ab Ecclesia damnatas configere, cum hanc provinciam jam plures notissimi auctores assumpserint, feliciterque absoluerint, sicuti videre est apud: *Joannem de Cardenas*, *Raymundum Lumbier*, *Emmanuelem de Filguera*, & plures alios, ad quos in hac causa poterit lector recurrere. Plurium etiam hæreticorum notitiam potuissem in hoc opere inserere, illorum maximè, qui inter Lutheranos & Calvinistas, Reformatos & Protestantes, in viros magni nominis evaserunt, eo quòd Calvinistarum suorum erroneam doctrinam, aut verbo tanquàm ministri, aut scriptis tanquàm Doctores mordicùs sustinuerint: Sed cum nullum novum dogma, quod reprobandum occurreret, proposuisse comperenim, silentio prætereundos censui. Quòd si nihilominùs horum hæreticorum notitiam, quoad vitam, studia, & elucubrationes lector desiderat, consulat *Paulum Freberium*, qui in suo opere, tribus voluminibus absoluto, inscripto: *Theatrum virorum eruditione clarorum*, non modicum hæreticorum numerum colligit, vitam perstringit: quos tamen perperam cum viris sana eruditione claris, aut etiam Sanctimonia clarioribus confundit; præterquamquòd, præfatus auctor hæreticali labe infectus, adulatorio calamo scripsit, cum suorum in hæresi consodalium gesta enunciat. Difficilè sinceritatem patiuntur scripta, quæ adulatio componit; quapropter cautè legendus occurrit.

Multos scriptores, qui in Republicâ literariâ suis studiosis elucubrationibus sibi promeruerunt laudem, eorumque plurimi majorem apud Ortodoxos obtinuissent, quandocunque suis in scriptis ereticalia asserta non refricassent, colligit eruditissimus P. Niceronus Barnabita suo in opere inscripto. *Memoires pour servir a l' histoire des hommes illustres*. Cujus copiosissimi literarii monumenti subsidio plurium scriptorum quorum fortè periisset notitia perennatur memoria: præfato in opere celebratissimus auctor scriptorum, anteacti, & præsentis sæculi, vitam, quantum fas est ad eorum caracterem distinguendum perstringit, & literaria monumenta ab ipsis ubi, & quando edita sigillatim enunciat: ita ut quæ sint opera in quibus scriptores, Luteri, Calvini, aliorumque hæreticorum figmenta sustinere aggressi sunt, facilè sit invenire.

Hic etiam præmonere debeo, quòd, cum hæreticus ille solùm debeat nuncupari, qui cum pertinacia in sententia Romanæ Ecclesiæ contraria in materia fidei; persistit, pluresque de quibus hic sit mentio, ab erronea sententia resipuerint, suasque erroneas opiniones retractaverint; hujusmodi lapsos, Romanæ Ecclesiæ restitutos, non tanquàm hæreticos fuisse in hoc

opere

opere infertos, fed de illis actum, ut eorundem propofitiones reprobarem, quas utpotè à fide Orthodoxâ diffonas, Ecclefia Catholica, vel in Conciliis, vel per diplomata Pontificia confixit.


Studui reprobationes fubnectre, quæ faciliori negotio poffent in obfequium fidei hæreticorum intellectum captivare, & hic fuit præcipuus hujus operis fcopus, qui proculdubio primarium effe deberet omnium Ecclefiafticorum ftudium: fi quæ enim inter cæteras fcientias, digna Ecclefiaftico viro difciplina, Polemicam Theologiam Ecclefiafticum ordinem pofcere, omnium faniorum, & fanctorum virorum femper fuit laudatiffimus fenfus. Apoftolicâ utique eloquentia differit in hac materia Eminentiffimus S. R. E. Cardinalis Francifcus Maria Cafinus, in concione decima, in die Veneris poft Dominicam quintam Quadragefimæ, habitâ in Sacello Apoftolico Tom. I.

Noverint Ecclefiaftici præcipuas fui muneris partes & officia, ament digna & debita vocationi fuæ ftudia, quæ potiffimùm expetunt die, ac nocte meditari in lege Domini, non Codice Juftiniani. Paratum vult virum Ecclefiafticum Princeps Ecclefiæ ad reddendam rationem de eâ, quæ eft in nobis fide; fed plures invenire eft ex affumptis in fortem Domini, qui promptiùs refpondeant de jure civili. Decentiùs multò in ore viri Ecclefiaftici facra, quàm fæcularis, canonica quàm civilis litera fonat.

Quæcumque in hoc opere continentur S. R. E. judicio fubmitto, numquàm enim ab ea diffentiam, in cujus fenfu, cuicumque in æternum vivere felicitèr cupienti, reftat fidelitèr mori. Credo in Deum unum & Trinum. In Jefum Chriftum Redemptorem, in fancta quatuor Evangelia, in omne Dei verbum fcriptum, & traditum. Credo unicum effe unius veræ Ecclefiæ caput vifibile Romanum Pontificem, in decernendis rebus fidei indefectibilem. Profcribo omnes propofitiones ab Ecclefia Romana profcriptas, vel profcribendas. Adjuvet me Deus, ut in hac fide Romano-Catholica, quam profiteor, vivam, & moriar, quod & tibi enixè precor Lector Benevole. Vale.



PRÆ-



PRÆPARATIO AD OPUS.

Continens generalia principia, & potiora argumenta; quibus possunt Hæreticorum mentes perstringi, omnes hæreses reprobari.



UNam tantùm esse posse veram Ecclesiam, & consequenter unam tantùm admitti debere veram fidem, veramque religionem, in cujus sensu, cuicunque in æternum vivere feliciter cupienti, restat fideliter mori, adeò certum est (quidquid blaterent Bifidi, pluresque moderni Anti-Christiani, dicti etiam indifferentes) & rectæ rationi consonum, ut quisquis justæ discretionis lumine illustratur, efficacissimis argumentis, quæ hanc veritatem evincunt, cedere teneatur. Semel itaque admisso, quòd una tantùm esse possit vera Ecclesia, in qua adscripti, ejus scilicet mandatorum observatores, solummodò salutem valeant obtinere, consequens est, ut quisquis ad æternam patriam anhelat, ad veram Ecclesiam recurrat, & illorum omnium projecta fit salus, qui extra veram Ecclesiam diem claudunt extremum. Ut ad hanc consequentiam concedendam reducantur hæretici, primò convincendi sunt circà præmissa, unam scilicet tantùm esse posse veram Ecclesiam, & hanc non aliam esse, quàm Catholicam, Apostolicam, Romanam; quibus probatis præmissis, stat innegabilis hæc consequentia, scilicet, extra Ecclesiam Catholicam, Apostolicam, Romanam neminem consequi posse salutem.

Primò itaque occurrit probandum unam tantùm esse posse veram fidem. Veritatem hanc, ab omnibus sine controversia per quindecim secula admissam, impugnare cœperunt quidam Anti-Christiani, ex Lutheri schola progeniti, circà medium seculi decimi sexti, quos sequuntur plures moderni Anti-Catholici, asserentes nullatenus diversas fidei professiones unitati religionis officere, ideoque unumquemque in sua religione posse salvari, æquè Titium in religione Calvinistica, quàm Sempronium in religione Lutherana, quàm Cajum in religione Catholica, quia scilicet (ut ajunt) Titius, Sem-

pronius & Cajus, quamvis diversæ sint religionis professores, omnes tamen in sua religione timore Dei concutiuntur; idem est Deus, qui à Titio Calvinista, à Sempronio Lutherano, à Cajo Catholico, licèt per diversam fidem, diversosque ritus honoratur, ideoque æquè Titius Calvinista, quàm Sempronius Lutheranus, ac Cajus Catholicus locum habent sperandæ salutis; ex qua positione sequeretur, non unam tantùm, sed plures esse posse veras fides, veras religiones, & veras Ecclesias. Imperceptibile tamen est, quomodò diversæ fides unitati fidei non obsistant, & Bifidorum ratiocinatio videtur destruere se ipsam; multiplicitas enim semper contraria fuit unitati, ergo in multiplicitate religionum, unitas religionis nullatenùs potest salvari, sicut contendunt Bifidi, asserentes duas fides unitati fidei non obstare; duæ enim fides, vel eadem proponunt credibilia, vel diversa: si eadem, non erunt duæ fides, sed una: si diversa, ergo diversæ erunt fides, quæ necessariò unitati fidei obstabunt; ergo per diversas fides falsum est posse pari fide (ut ajunt Bifidi) Deum à Romanis, & Protestantibus honorari; implicat enim diversas fides posse in pari fide convenire. Neque magis dissona videtur à ratione propositio illa, in qua quis assereret posse homines sinè fide salvari, quàm hæc, in qua Bifidi sustinent posse homines per diversitatem fidei pervenire ad salutem: diversas enim implicare religiones, ex eo satis constat, quòd in tantùm diversæ censentur, quia diversa credibilia, & operabilia proponunt; atqui inter hæc diversa credibilia, & operabilia à diversis religionibus proposita, plura ex diametro opponuntur, quorum unum principium credibile propositum ab unà religione, repugnat alteri principio ab altera religione proposito; unum operabile ab unà religione imperatum, vetat ex diametro opus ab alia religione permissum: constat enim, quod plura quæ docet fides Catholica, destruunt quæ docet fides Calvinistica, vel Lutherana ergo imperceptibile est, qua ratione possint diversæ fides subsistere, & nihilominus (ut ajunt Bifidi, vel moderni Anti-Catholici) pari fide in utraque fide Deus possit honorari. Certe Deus, qui vult ritè coli, non nisi in unica religione potest rectè coli, & si per diversas religiones, quæ sibi invicem repugnant, pariformiter Deus posset rectè coli, hujusmodi cultus diversus, mutabilitatem in Deo argueret, quæ cum Deo est incompossibilis, perhibente Deo ipso per Prophetam: *Ego Deus, & non mutor*; mutabilitatem, inquam in Deo argueret, quatenus in viro secta Lutherano, sibi complaceret Deus in una præcepti observantia, in homine vero Catholico requireret aliam præcepti observantiam, à priori omninò diversam, imò & cum priori repugnantem. Res manifestior fiat exemplo. Si subsisteret (ut contendunt Bifidi) religio Catholica una simul & Calvinistica, jam verificarentur propositiones contradictoriæ: docet siquidem religio Catholica Sanctos esse honorandos: vetat religio Calvinistica, præcipiente Calvino lib. 4. Institut. Sanctos non esse honorandos: quomodò his datis principiis, poterunt sustinere Bifidi, diversas fides nullo modo veritati religionis officere, & Deum pari fide à Calvinistis, & Catholicis honorari, quando idem honor, qui in unà religione præcipitur, in alia prohibetur? Jam Deus odio haberet in Catholico, quod acceptaret in Calvinista, & è converso; sicque manifestè constat deduci, Deum fore mutationi obnoxium, quando plures possent subsistere diversæ fides, ut perperam Bifidi sustinere contendunt. Ex actenus dictis satis constat unam tantùm esse posse, & dari veram fidem, ideoque unam tantùm esse posse veram Ecclesiam, in cujus sensu cuicunque fœliciter vivere in æternum cupienti, indispensabiliter restat fideliter mori.

Hanc unam, & veram Ecclesiam esse solam Ecclesiam Catholicam, Apostolicam, Romanam, quæ est altera ex præmissis adstruenda, ut postmodum dedu-

deducantur hæretici ad admittendam propositam consequentiam, scilicet extra Ecclesiam Romanam neminem consequi posse salutem, manifestè probant testimonia Scripturæ, cui cum se satis non credant Calvinistæ, Lutherani, & cæteri omnes hæretici, ideò contrà ipsos argumenta à ratione deducta prosequimur. Et quidem, dato quòd una tantùm esse possit vera religio, ut probant hactenus dicta, hæc utique alia esse nequit, nisi religio Catholico-Romana, aut una ex hæreticis: Si una ex hæreticis, vel Lutherana, vel Calviniana, vel alia ex similibus, at nulla ex posterioribus esse potest, cæterum dicendum foret usque ad Lutheri, vel Calvini, aut hujusmodi nebulonum tempora nullam fuisse veram religionem, per cujus observantiam potuisset homo salvari. Quòd si dicas religionem Lutheri, aut Calvini veram esse promulgatam à Christo, & Apostolis, ergo jam una, aut altera ex duabus erit falsa religio, cum una tantùm vera esse possit; nihilominùs utriusque religionis falsitas ex multiplicatis argumentis evincitur. Primò, quia omnium religionum principia (una excepta Romana) pugnant vel in toto, vel in parte cum sensu sacræ Scripturæ, cum sanctis traditionibus, & cum sanctis Patribus; imò, quod evidens est argumentum insubsistentiæ religionis omnium Novatorum, pugnant in materia fidei Lutherani cum Lutheranis, Calvinistæ cum Calvinistis, Melancthonici cum Melancthonicis, Sacramentarii cum Sacramentariis, Anabaptistæ cum Anabaptistis, Trinitarii cum Trinitariis, quod evidenter demonstrat eruditissimus Coccius lib. 8. de signis Ecclesiæ, ad quem lectorem remittimus: ergo esse nequeunt veræ religiones, quæ adeò inter se diffident, & jam per secula nondum invenerunt modum conveniendi in eadem fidei formula, imò hactenus mutuis scriptis se se damnarunt, quorum scripta recenset loco citato prælaudatus Coccius. Quòd si consensus in materia fidei unum est ex distinctivis veræ Ecclesiæ, cum hoc consensu careant Lutherani, Calvinistæ, & cæteri omnes Novatores, perspicuum est apud ipsos veram non subsistere Ecclesiam; omne enim regnum in se ipsum divisum desolatur. Multitudinis credentium in Domino, illorum scilicet, qui sunt intrà gremium veræ Ecclesiæ, esse debet in mysteriis fidei credendis cor unum, & anima una; quapropter D. Paulus, cui satis perspecta erat hæc veritas, prima ad Cor. obsecrat fratres per nomen D. N. Jesu Christi id ipsum dicere omnes, ut non sint in ipsis schismata, sint autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia: quia Deus non est Deus dissensionis, sed Deus pacis; omnes verè credentes unum sunt in Christo Jesu teste Apostolo ad Galat. 3. 28. ideò ad Ephesios 4. sic scribit: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus, & Pater omnium.* Quomodo autem de hac unitate gloriari valeant hæretici, inter quos tot constat in materia religionis esse dissidia? quomodo itaque apud hæreticos subsistere poterit vera religio, si tot inter illos patitur scissiones? Certè hæretici, ut ait Justinus quæst. 4. ad Orthodoxos: *Fidem Catholicam, dum sibi adversantur, affirmant.* Non nisi adultera esse potest fides, & religio inter illos, inter quos diversitas doctrinæ invenitur. Mentior, si non etiam à regulis suis variant inter se hæretici, dum unusquisque illorum proindè suo arbitrio modulatur, quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit. Vera Ecclesia Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas doctrinæ separatur. Non aliter cum hæreticis pugnat Christus, quàm mixto inter eos spiritu vertiginis, & dissensionis, qui spiritus vertiginis, & dissensionis cum adeò divexet Novatores, perspicuum est apud ipsos veram non inveniri Ecclesiam. Hoc ulteriùs probatur à Sanctimonia, quæ in

vera Ecclesia debet florescere, qua omnes hæreticorum Ecclesiæ sunt destitutæ, sivè consideretur Institutorum opprobriosissima vita, sive plurium dogmatum, quæ ab hæreticis profitentur, infamia: ubi è conversò sanctitatem, & unitatem doctrinæ, quam proponit suis Fidelibus Ecclesia Catholico-Romana, proclamant ipsi hæretici, qui ejusdem Romanæ Ecclesiæ sanctitatem, non potuerunt aliquandò non commendare, sicut eorundem hæreticorum scripta percurrenti patebit. Ex hoc aliud eruitur argumentum, ad probandam unam veram Ecclesiam esse Apostolico-Romanam, in qua ab ejus exordio semper floruit sanctitas, non modò in puritate doctrinæ, sed in pluribus Ecclesiæ membris, scilicet viris, & mulieribus, qui sanctitate floruerunt, quam nobis Deus per miracula patefecit; vitæ enim, morumque sanctimoniam, & miraculorum gratiam, esse certum Orthodoxæ Ecclesiæ signum, non est qui hactenus non asseruerit; siquidem domum Dei decet sanctitudo in longitudinem dierum. Videatur hic quid de sanctitatis studio, cui semper addicti fuerunt Orthodoxi, scripserint Magdeburgenses Cent. 7. cap. 7. ubi è converso nullam inter Novatores apparere sanctimoniæ umbram, imò magis, ac magis inter illorum sequaces invalescere impietatem, perhibent disertis verbis ipsimet hæretici: sic Martinus Lutherus in Postilla Dominicæ primæ Adventus, in concionibus convivalibus: sic Philippus Melancthon ad cap. 6. Matth. sic Brentius ad cap. 3. Matth.: sic Musculus Dominica prima Adventus, sic Joannes Vvigandus libro de bonis, & malis Germaniæ, sic Gaspar Hedio epistola ad Melanctonem: sic Jacobus Andreæ concione 4. ad cap. 21. Lucæ: sic Calvinus concione decima in Epistolam ad Ephes.: sic demùm, ut alios perplures omittam, Paulus Eberus in Epistolam ad Corinth. qui postquam suæ Synagogæ mala deploravit, his verbis concludit: *Quæ mala, cum quisque propriis oculis intuetur, meritò dubitat, an noster Evangelicus cœtus sit Ecclesia, in quà tot sunt schismata, & dissidia, in quà tot, & tam enormia vitia conspiciuntur*. Certè non nisi perversi esse possunt homines, qui doctrinam sequuntur, quam ipsi Hæresiarchæ se à diabolo totius perversitatis fonte, accepisse fatentur. Non ne hoc est, quod de se, inter alios fatetur Lutherus libro de Missa angulari, ubi se diabolum præceptorem habuisse sæpè repetit? Proh stultitia hominum, qui diaboli documenta amplectuntur, cujus facti sequaces, quomodo non animadvertant se in tenebris ambulare, & extra veræ Ecclesiæ gremium circuire, usque dum cum diabolo præceptore detrudantur in inferis, ut ibi cum magistro suo in æternum habeant miseram societatem.

Unum, in quo potissimum offendunt hæretici, & ad meliorem frugem proinde non reducuntur, hoc est, quod juxta captum suum intelligunt sacram Scripturam, quam falsis, & multiloquis versionibus depravant, quod utique non contingeret, si Scripturam in suo sensu acciperent. Hanc esse petram scandali, profitentur ipsimet hæretici, improbantes tot sacræ Scripturæ versiones, ab ipsis hæreticis pro eorum placito promulgatas. Audiatur Lutherus, qui etiam versionem sacræ Scripturæ protulit, deteriora sequens, licet meliora videret, & probaret: in commentario de novissimis verbis Davidis, ad rem sic scribit. *Omninò melius esset retinere illam hactenus receptam, & usitatam versionem Bibliorum, quam tot novas cumulari, quibus nihil proficitur, nisi quod dissimilitudo, & discrepantia lectionum memoriam legentium turbat, & studium remoratur, ac in multis locis incertiorem, quam fuerat dimittit*. Ex hac multiplici sacræ Scripturæ versione, & interpretatione ab hæreticis facta, fit ut inter eos tot sint sensuum, & sententiarum in materia fidei discrepantiæ, quod contingere nequit in Christiana Republica, quæ una tantum utitur vulgata versione, quæ jam à multis seculis in Ecclesiâ viget, & communi Christianorum consensu est recepta; quapro-

propter, bene hic consonat illud Gen. xi. 1. *Ecce unus est populus, & unum labium omnibus*, quia omnes pendent ab ore Pontificis, in quo verum spiritum sacræ Scripturæ interpretativum est reperire; quod & pro bono regimine est necessarium: nam si unicuique pro libito liceret sac. Scripturam interpretari; in materia fidei tot essent sententiæ, quot capita; una autem esse debet omnium fides, ergo & unus tantum esse debet, qui potestatem habeat promulgandi, & approbandi verum sac. Scripturarum sensum, quo procul dubio carent omnes hæretici, ut ipsimet fatentur, suas vicissim improbantes versiones, & explanationes; scimus enim versionem Lutheri damnasse Tigurinos, versionem Osiandri damnant Munsterici, versionem Bezæ exprobrat Castalio, versionem Castalionis improbat Beza. Qua ratione itaque subsistere poterit hæreticorum doctrina, quæ in versionibus, quas ipsi hæretici vicissim improbant, potiorem habet subsistentiam? Nonnè melius est se credere versioni, quam à tot seculis exhibet nobis Romana Ecclesia, cui irrefragabiliter adhæserunt tot Sanctissimi, doctissimi viri, etiam literarum scientia incomparabiliter Luthero, Calvinio, Beza, ceterisque sectariis excelentiores, quam istorum nebulonum expositionibus, tam variis, tam multis, tam defectis, toties refectis acquiescere? Quo fundamento, qua ratione ducti, judicet lector, eos habere potuisse sensum interpretativum sacræ Scripturæ, qui Scripturam sacram, & sacra omnia profanarunt, qui adeo carnaliter, & impie vixerunt, sicut ex eorum gestis est reperire? Profecto mirum est, quomodo tot convicti rationibus, in sua obstinatione obdurentur hæretici, & non reducantur ad Ecclesiam militantem, quæ cum visibilis, & conspicua sit, non potest non esse perspecta. Ecclesiam Christi militantem, quæ Romana est, & Apostolica, esse visibilem, negant plures hæretici, inter quos Calvinius lib. 4. Instit. c. 1. parag. 2. Nihilominus patet quod non potest non esse visibilis Ecclesia, in qua Spiritus sanctus constituit ad illius regimen visibiles superiores, nempe Episcopos, cujus oves, licet ab interna fide dignosci non valeant, per externam, tamen professionem manifestantur. Ultro concedunt etiam plures hæretici Ecclesiam veram esse visibilem, quæ consistit in cœtu visibili amplectentium incorruptam Evangelii doctrinam, iisdemque participantium Sacramentis sub uno primario capite totius Ecclesiæ, Pastore. Debet utique esse visibilis Ecclesia, quæ debet patere omnibus gentibus, ut si velint, possint intrare; secus, si esset invisibilis, sufficienter provisum non esset omnium saluti. Posito ergo quod vera Ecclesia una tantum esse possit, ut jam superius ostendimus, quod vera Ecclesia sit visibilis, sequitur quod vera Christi Ecclesia sit sola Ecclesia Romana, quia cum vera Ecclesia sit infalibilis, & non possit deficere, & de sola Ecclesia Romana hoc possit subsistenter asseri, quod nunquam defecerit; consequens est ut vera Christi Ecclesia sit Ecclesia Romana, quandoquidem scimus omnes alias Ecclesias vel defecisse, vel multas esse passas scissiones in doctrina proposita. Certè, non nisi temere negare poterunt Lutheri, & Calvini sectatores, utriusque doctrinam in varias abiisse sectas, sibi invicem toto cælo oppositas, quod procul dubio asserere haud quaquam poterunt de doctrina, quam Ecclesia Romana profitetur, quæ semper eadem illibata servata est per tot secula inter tot Christifideles, licet morum, & locorum distantia inter se dissitos, in unius tamen & ejusdem doctrinæ professione semper concordes. Hoc credunt Itali, quod Galli, quod & Hispani, quod & reliqui omnes Ortohodoxi; ubi non modo in eadem Provincia, sed & in eadem domo inter Novatores reprerire est in materia fidei patrem á filio, maritum ab uxore, uxorem à servis diffidentes: ex qubus juvat deducere, quod sola Romana Ecclesia est vera, & unica Christi Ecclesia; unica utique si vera, cum unicam esse debere veram Ecclesiam supra jam satis probaverimus. Quod autem

autem ſit vera, evincit unitas doctrinæ in Pontificia Eccleſia ſemper ſervata. Probant Reverendiſſimi Domini Adrianus, & Petrus de Vvalemburch Epiſcopi nunquam ſatis commendati in tractatu de Controverſiis fidei: comprobat miraculorum gratia, quam habet ſola Eccleſia Orthodoxa, quæ miracula utique negari non poſſunt, cum de pluribus patratis adhuc nunc vigeant viſibilia monumenta; multa etiam miracula noſtro ævo contigiſſe probant, qui adhuc ſuperſtites ſunt plures oculati teſtes, qui eadem conſpexerunt; ubi è converſo, nè unum quidem miraculum narrare poſſunt hæretici, quod in eorum Eccleſiæ gratiam contigerit; niſi fortè Calvini miraculum proferre velint, qui cum bene eſſet conſcius in verâ Eccleſia miracula fieri, quandoquidem legimus Marci 16. 17. *Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia eiicient &c.* ut hac prerogativa Eccleſiam ſuam non carere oſtenderet, quendam virum nomine Brulleum Oſſimum uxoratum, ſed valde pauperem convenit, ſufficientemque pecuniam Calvinus Bruleo daturum promiſit, quâ a paupertatis incommodis, una cum uxore ſublevaretur, dummodo ſe in lecto decumbentem graviter infirmum Brulleus ſimularet; & paulo poſt mortuum: dum interim admonitus Calvinus, quaſi facti ignarus, domum Brullei accederet, quaſi precaturus Deum, ut in teſtimonium veræ religionis, quam ſe prędicare aſſerebat, decumbentem mortuum ſuſcitaret, & ad ejus vocem, Brulleus ficti miraculi conſcius, tamquam mortuus expergiſceretur, factumque eſt: Brulleus ſe graviter infirmum, & paulo poſt mortuum ſimulat, uxor facti conſcia fictè ejulat conſortis deceſſum, accerſitur Calvinus cum aliis ſectatoribus, quibus tamquam Caliſſa magnus reformatæ religionis, ſemper erat ſtipatus; precaturus Deum procumbit in genua, preces effundit, Brullei manum apprehendit, cui in Dei nomine ſurgere præcipit, ſed fruſtra; nam qui ſe propter pecuniam mortuum ſimulaverat, juſto Dei judicio cum Calvini, ſectatorumq; confuſione, verè mortuus inventus eſt; quod ut apprehendit uxor defuncti, pacti conſcia in Calvinum invehitur, rem totam adſtantibus manifeſtat, ad quæ confuſus Calvinus abſcedit, mulierem propter dolorem mortis ſui ſponſi tamquam phreneticam loqui, & compaſſione dignam eſſe aſſerit, quam interim ab urbe diſcedere coegit, quæ ſicut nihil minus erat quam mente capta, quoad vixit non deſtitit rem totam quibuſcumque, ſicut de facto ſe geſſerat, promulgare, Hæc habet Bolſerus in vita Calvini cap. 13. Nulla ergo miracula in Eccleſiis hæreticorum, quæ merito Eccleſiæ malignantium poſſunt nuncupari, hactenus patrata ſunt; ergo non poteſt eſſe vera Eccleſia, in quâ hactenus defecit miraculorum gratia, quæ adeò abundat in Eccleſia Orthodoxâ, ut velint nolint teneantur hæretici confiteri ſolam Romanam Eccleſiam eſſe unicam, & veram, in cujus gremio poteſt homo conſequi ſalutem.

Sed nihilominus hæretici adhuc pertinaces in ſua opinione perſiſtunt, undè hoc? Vel certi ſunt ſuam Eccleſiam eſſe veram, & Pontificiam falſam vel non. Si primum, quæro unde hoc certò ſciant, à quibus hoc ipſis revelatum jactent, quod tot præterierit Sanctos, effugerit ſapientes, qui ſemper hæreticorum conventicula deteſtati ſunt, in quibus nullum ex ſignis veræ Eccleſiæ eſt reperire; habent ſiquidem hæretici mutilatam Scripturam, & depravatam doctrinam. quæ in varias abiit ſciſſiones, Sacramenta inter ipſos non ſunt omnia recepta, regimen eſt confuſum, membra ſunt ſinè capite, miraculorum gratia non invenitur, quibus omnibus ſignis, quantum carent Synagogæ hæreticorum, tantum abundat Eccleſia Pontificia, quæ proinde unica tantum, & vera eſſe perhibetur.

Vera Eccleſia illa eſt, (ut concedunt ipſi hæretici) quæ à Chriſto eſt fundata, ab Apoſtolis propagata, ſucceſſivè in membris dilatata, & nunquam ab unitate doctrinæ Apoſtolicæ defe-

defecit; hoc posito, qua fronte sustinere poterunt hæretici suam esse veram Ecclesiam, quæ in tot doctrinæ suæ capitibus Apostolicam doctrinam oppugnat. Ecclesia à sui institutione debet semper fuisse visibilis; quapropter quæro, quibus in membris antequam Hæresiarchæ sua proferrent dogmata, hæreticorum Ecclesia esset visibilis? Quod si hæreticorum Ecclesia vera est, aliquando tamen fuit, cum non fuit visibilis, scilicet ante suorum Hæresiarcharum adventum; ergo si aliquando fuit, cum non fuit visibilis, nunquam vera Ecclesia fuit, quia vera Ecclesia à suis primordiis semper debet permansisse visibilis, ut omnibus ad eam semper pateret, & pateat accessus. Vera Ecclesia nunquam potest errare, cæterum quomodo vera, quæ errori esse potest obnoxia? sed Ecclesiæ hæreticorum erraverunt, quandoquidem plura docuerunt contra Dei Verbum, tam scriptum, quàm traditum, ut ex hujus operis decursu patebit in hæreticalium propositionum reprobatione, ergo si erraverunt, non potest inter hæreticos vera reperiri Ecclesia, quæ cum absolutè debeat habere unum visibile caput, quod præsideat ad dirimendas controversias, quæ oriri possunt in materia fidei, & ad promulgandas leges, quæ expediunt juxta temporis congruentias, pro religionis manutenentia & incremento, & hoc visibile caput solum habeat Ecclesia Catholicorum, sequitur hanc solam, & non aliam esse veram, & unicam Ecclesiam. Quod autem necessarium sit unum caqut visibile in Ecclesia, suadet ipsamet ratio: nam si unum non esset in Ecclesia caput supremum, plures essent in potestate æquales, cum vero difficile sit plures in eadem sententia convenire, maximè ubi agitur de diremptione controversiarum, sequeretur, quod nunquam posset servari in Ecclesia unitas fidei, quandocumque diversi in potestate æquales, in concurentibus controversiis dirimendis, diversa sentierent, in variasque sententias abirent, quod incongruum quotidie oritur inter hæreticos, qui cum non habeant unum visibile caput, vicissim diffident in materia religionis, & sine certa lege vagantur. Hoc visibile caput esse Romanum Pontificem D. Petri successorem. evincunt rationes contra Armenos, Hussitas, Jacobum Præpositi, Joannem Jandunum, & Joannem Vvestphalum, hujus veritatis impugnatores adducendæ. Quidquid contra hanc veritatem effutiant hæretici, nihil evincunt, omnes siquidem eorum cavillationes facili negotio ab omnibus Theologis enodantur. Primatum Romani Pontificis evincunt appellationes, quæ ex toto Orbe in materia religionis semper ad Romanam Sedem habuere recursum, non modo ab Ecclesia Occidentali, sed etiam ab Orientali, tunc maxime cum magis florere videbatur; omniaque Concilia cum auctoritate Romani Pontificis congregata, ab eodem decretorum suorum confirmationem susceperunt. Necessitas supremi judicis in causa fidei, hinc manifestè deducitur, quod dempto hoc supremo judice, semper invalescerent lites; sic contingit inter Lutheranos, & Calvinistas, qui jam à tot annis inter se litigant de Baptismo, de Prædestinatione, & de Eucharistia, neque hactenus potuerunt in uno sensu convenire, quia controversiarum judicem admittunt solam Scripturam, non autem ut par est visibile caput Ecclesiæ; sed si sola Scriptura esset judex controversiarum, quare ab auctoritate Scripturæ hactenus non potuerunt in pace componi? Manifestum est Scripturam quoad verum, & legitimum sensum sæpè esse obscuram, ideoque non posse causas in fidei materia semper decidere: cæterum Scriptura ipsa pars esset, & judex; & cum judex debeat ita clare sententiam proferre, ut quid juris sit, manifestè controvertentes partes intelligant, ideo Christus supremum judicem constituit, cui & spiritum interpretativum Scripturæ dedit, nempe suum Vicarium Romanum Pontificem, aut Ecclesiam, approbante Romano


mano Pontifice in Conciliis congregatam. Et hinc magis constat solam Scripturam esse non posse judicem in causis fidei, cum multi sint articuli fidei, de quibus nulla sit mentio in Scriptura: V. G. an' septenarius sit numerus Sacramentorum: licèt enim septem esse signa sensibilia à Christo instituta ad conferendam gratiam colligatur ex sac. Scriptura, nullibi tamen Scriptura de septenario numero Sacramentorum sermonem instituit; sicuti nullibi Scriptura dicit librum V. G. Tobiæ esse canonicum, quapropter ad has controversias dirimendas, necesse fuit pro bono Christianæ Reipublicæ regimine, quod Christus, unum supremum, & visibile caput constitueret, eò magis quod in veteri Testamento, teste Josepho lib. 2. contra Appionem, non Scriptura, sed Pontifex pro judice cognoscebatur. Quod manifeste etiam colligitur Deuter. 17. 8. & lib. 2. Paralip. 19. 4. ex quo loco patet Pontificem fuisse Præsidem, seu caput Concilii Seniorum, mandante Domino Deuter. 17, 12. sub pœna mortis, ut omnes acquiescerent sententiæ Pontificis: ex quo infertur Pontificem in causis decidendis falli haudquaquam potuisse. Eandem ergo gratiam infallibilitatis à Deo Pontifici in lege gratiæ concessam, qua pollebant Pontifices in lege scripta, nemo poterit impunè negare; hoc stabilito principio, facile erit omnes controversias in materia religionis dirimere, cum manifestè deducatur in omnibus, quæ ad religionem pertinent, nobis illi sententiæ acquiescendum, quàm legitimus, & supremus Ecclesiæ judex Christi Vicarius Romanus Pontifex amplectendam definit.

Ut autem clarius pateat qualiter omnis doctrina hæreticalis, à quibuscunque hæreticis promulgata, nullam habeat subsistentiam, sufficit investigare quo jure, & quo titulo probare possint hæretici sanam esse, & veram doctrinam, quam prædicarunt. Certum est quod quisquis ministerio Ecclesiastico, quale est illud prædicationis verbi Dei, uti legitime in Ecclesia contendit, suam vocationem ad ministerium, & missionem ad prædicandum probare debet à Deo, vel ordinario, vel extraordinario jure sibi fuisse concessam: *Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?* Ait Apostolus ad Rom. 4. 11. omnes enim qui prædicationis munus assumunt, & à Deo missi non sunt ad prædicandum, ex illis utique sunt qui non intrant per ostium in ovile ovium, sed ascendunt aliunde, & consequenter fures sunt, atque latrones; hoc posito, certum est hæreticos, qui erroneam doctrinam promulgarunt, nec ordinario, nec extraordinario jure à Deo fuisse electos, & missos ad prædicandum. Non ordinario, quia plures eorum ex suo beneplacito, sine debita ordinatione, invitisque Superioribus, Pontifice, scilicet, & Episcopis, prædicationis munus sibi assumpserunt. Legitur autem ad Heb. 5. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aron.* Qui ergo sunt hujusmodi, legitimam non potuerunt promulgare doctrinam, quia sine debita ordinatione, sine titulo, sine jure, absque missione, prædicationis munus sibi usurparunt. Licet autem de pluribus Hæreharchis constet fuisse legitime in vera Ecclesia ordinatos Ministros, hinc nihilominus non potest evinci legitimam promulgasse doctrinam; nam qui legitime ordinatur in Ecclesia, potestatem accipit quidem ab Ecclesia prædicandi, sed predicandi verbum Dei, non verbum diaboli; prædicandi sanam doctrinam sacræ Scripturæ, sacrisque Canonibus conformem, non oppugnantem; quin imò, qui auctoritate, quam in ministerio, ad quod fuit assumptus accepit, abutitur, jus ministrandi amittit: sed hæretici promulgarunt doctrinam verbo Dei repugnantem, ergo perspicuum est hæreticos, licet legitime ordinatos, legitime tanquam ordinariè vocatos non prædicasse, quia ordinariæ vocatus, vocatur ad promulgandam doctrinam Evangelicam, non Evangelio contrariam.

Adde

Adde, quod omnes hæretici, qui in Ecclesia fuerunt ordinati, statim ac suas novas erexerunt Synagogas, professi sunt Ecclesiam Romanam non esse veram Ecclesiam; ergo per hoc quod fuerint in Ecclesia Romana ordinati, neque hinc probare possunt legitime fuisse ad ministerium vocatos; ex quo sequitur nullo titulo probari posse doctrinam ab hæreticis promulgatam esse posse veram, sanam, catholicam, ac subsistentem. Neque demum evinci potest prædicationem ab hæreticis factam fuisse legitimam, eo quod extraordinarie vocati fuerint à Deo ad ministerium prædicationis; omnis enim extraordinaria vocatio, fuit à Deo cônfirmata miraculis; cum autem nunquam contigerit aliquem hæreticorum vel unum patrasse miraculum, satis perspicuum est neminem hæreticorum, neque extraordinarie fuisse à Deo vocatum. Argumenta hactenus exposita utique deberent sufficere ad captivandum quemcumque intellectum in obsequium veræ fidei, cæterum ut loquar cum eruditissimo Pico Mirandulano. *Magna insania est Evangelio non credere, cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolicæ resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, & dæmones confitentur.* Quid sibi tutius revelatum jactant hæretici, quòd tot præterierit sanctos Doctores, Confessores, Martyres, Reges, & populos, tot effugerit sapientes. Illud est evidenter evidentia morali credibile, quod jam per tot secula multitudo copiosissima Doctorum, Sanctorum, martyrum, Confessorum, Regum, principum, & populorum credidit: Aut superbia, aut insania est, non acquiescere sensui multitudinis credentium, omni exceptione majorum; qui enim diversam amplectitur fidem ab illa, quam multitudo sapientum profitetur, vel se plus scire, quam sapiat multitudo sapientum credit, & superbia est, vel se minus sapere cognoscit, & non credere cum multitudine sapientum, stultitia est. Quis rationibiliter assere-re audeat Lutherum, Calvinum; aliosque Hæresiarchas doctiores fuisse omnibus Catholico-Romanæ Ecclesiæ doctoribus? Quis ergo rationabiliter præferre valeat hæreticorum dogmata, sensibus Sanctorum Patrum, qui in una, & eadem fide semper conformes sensus habuerunt? Nonne jure merito adscriberetur vesaniæ, si quis tota anxietate animi, aliquem intendens finem; & facile, tutumque medium suppeteret ad intentum finem obtinendum, mentem suam deinde dilaniaret ad aliud medium excogitandum, pro finis anxie prætensi consecutione, quo adhibito dubius evaderet exitus? Sic proculdubio res se habet in subjecta materia, cum quis Ortodoxa fide neglectâ, religiones alias profitetur adobtinendam æternam salutem. Ad æternam salutem, nemo est (solis Atheis, & Epicureis exceptis) qui toto desiderio non aspiret. Professores fidei Catholicæ esse in via æternæ salutis, concedunt omnes hæretici, potissimum Lutherani, & Calvinistæ: è converso hoc negant Lutherani de Calvinistis, Calvinistæ de Lutheranis, sic vicissim de aliis quibuscunque sectis discurrendo, quæ extra suam respective Synagogam (unà excepta Romana Ecclesia) negant posse ad salutem æternam perveniri; ergo de certitudine sola morali discurrendo, tutius est ad æternam salutem, Catholicam religionem, cæteris omnibus post habitis, profiteri, in qua posse salutem consequi, fere omnes aliæ sectæ concedunt, quam alias religiones inquirere. Vesania igitur est in tanto negotio, tutum medium fidei Orthodoxæ relinquere, & mentem dilaniare in alterius religionis professione, in qua indubium est, unumquenque dubium vivere de fine salutis obtinendo. Urget adhuc ulterius argumentum. Dictat prudentia in concursu duarum opinionum, illam esse probabiliorem, quæ plures habet sectatores, & à majori temporis vetustate semper fuit succesive probata: Hac duplici prærogativa, super omnem aliam religionem excellere Catho-

tholicam fidem, nemo est qui possit impunè negare: tutius ergo est ad salutem obtinendam, Catholicam fidem, etiam naturaliter ratiocinando, profiteri, in qua ipsi hæretici concedunt primitivæ Ecclesiæ professores salutem consecutos, quod & plura miracula comprobarunt; ubi è converso, ne unum quidem vel Lutheranum, vel Calvinistam salutem assecutum, possumus vel levi argumento reperire. Plura adhuc, & efficacissima credibilitatis momenta verbo *Atheistæ*, *Gentiles*, *Deistæ*, *Protestantes*, ad perstringendas induratas hæreticorum cervices, adducentur, per quæ deberent emolliri, & in obsequium veræ fidei captivari; quanquam, cuicumque in hac materia pauca, hic expressa non sufficiunt, plura nec proderunt.





LEXICON POLEMICUM

In quo potiorum Hæreticorum vita perſtringitur : præcipuæ hæreſes colliguntur, & reprobantur.

Numerus Imperialis, qui Hæretico præficitur, ſeculum in quo hæreſis invaluit deſignat, litera R quæ propoſitiones hæreticales immediatè ſubſequitur, ſtat pro verbo Reprobatur.

XII. 

BBAILARDUS. *Sol erat in Galliis, quem Mundus Homerum clamabat : ſciens quidquid fuit ulli ſcibile, vicit Artifices, artes abſque docente docens.* Fragmenta ſunt hæc Epitaphii; quod à Petro venerabili Abbate Cluniacenſi ad tumulum Abbailardi inſcriptum creditur: quoad literarum peritiam ſpectat, ab omnibus commendatus Abbailardus, plures habuit Pariſiis Auditores, ubi fuit Magiſter nuncupatus, inter quos magni nominis fuit Arnaldus de Brixia, qui ſecutus Magiſtrum errantem (plures ſiquidem docuerat Abbailardus errores, quos recenſet ejus Impugnator S. Bernardus epiſt. 188.) renuit eumdem ſequi pœnitentem, ſed majori pertinacia diſſeminavit Arnaldus errores, quàm Abbailardus eorumdem retractator docuerit: hinc factum eſt, ut Arnaldiſtæ, quotquot Abbailardi profitebantur errores, nuncuparentur; Abbailardus itaque, nomine Petrus, genere Nobilis, natione Gallus, propè Nantes, à patre nomine Berengarius, & matre Lucia nuncupata progenitus, ſub erudito Præceptore Pariſiis, Guillelmo dicto, in Philoſophicis ſcientiis multùm proficiens, quas Præceptore ipſo felicius docuit : Ezechielis Prophetias explanavit, publicaſque lectiones ſuper Sacram Scripturam Pariſiis ſumma Auditorum admiratione habuit, ubi Heloiſſæ, Fulberti Canonici Pariſienſis neptis, amore captus, cum eadem matrimonium contraxit, à qua & filium ſuſcepit, ſed eadem conſentiente, & in Monialium Monaſterio, inter quas educata fuerat, ſuſcepta, Abbailardus in Abbatia S. Dionyſii, religioſum habitum induit : ubi ſcripſit ſupra Trinitatis myſterium; hinc occaſionem nacti ejus Antagoniſtæ, eumdem de hæreſi infectum ſuggillarunt; quapropter Sveſſione, ab Ar-

Archiepiſcopo Rhemenſi Concilio congregato, Abbailardi liber de Trinitate, igni traditus fuit. A' Monaſterio S.Dionyſii expulſus, Monaſticam vitam in ſolitudine inſtituit, ubi domicilio cui nomen Paracletus, extructo, affluentibus ad hanc ſolitudinem undequaque Auditoribus, ut ſub Magiſtro magni nominis Abbailardo Theologicas ediſcerent facultates, brevi Paracleti domicilium ampliatum eſt, quod Heloiſſæ, ab Abbailardo alibi poſthac ſe recipiente oblatum, inſigne poſtmodum Monaſterium Virginum fuit; confirmante Innocentio Secundo hujus Monaſterii inſtitutione, in quo cum Sanctimoniæ laude Heloiſſa præfuit, quæ exinde nonniſi per epiſtolas, cum Abbailardo commercium habuit, in quibus ſe invicem ad currendam Religioſæ perfectionis viam hortabantur; ſed iterùm accuſatus de hæreſi Abbailardus, in Concilio Senonenſi ad hoc congregato, cui unà cum Ludovico Septimo Rege Galliæ interfuit S.Bernardus, Abbailardi ſcripta combuſta fuerunt. Reſipuit Abbailardus, & à Petro venerabili Abbate Cluniacenſi, in Monaſterio S.Dionyſii receptus, ibidem nonniſi religioſæ perfectionis ſtudio vacans, continuis macerationibus, & indefeſſo ſtudio extenuatus, anno 1142. ætatis ſuæ 63. pœnitens obdormivit in Domino, & in Monaſterio Paracleto, rogante Heloiſſa ejus uxore, locum ſepulturæ obtinuit; hic ejus non recenſentur errores, opportuniùs reprobandi verbo *Arnaldus*, qui eoſdem diſſeminavit; unum verò hic expedit reprobare, quem fortè Arnaldus non eſt amplexatus, cum ſiquidem non invenio à Concilio Lateranenſi 2. relatum, in quo Arnaldi errores fuerunt proſcripti, à Divo Bernardo Tractatu de erroribus Abbailardi expreſſe confutati.

1. Dixit, quod Spiritus Sanctus eſt Anima Mundi. Reprobatur ex ſacris paginis, ubi Spiritus Sanctus, unus cum Patre, & Filio Deus eſſe perhibetur: tum quia ſi eſſet Anima Mundi, eſſet forma, eſſet Mundi limitibus incluſus, quo ſuppoſito, Spiritus Sanctus non eſſet immenſus, infinitus, nec eſſet Deus. Nec valet objicere Spiritum Sanctum in ſacris paginis dici vivificantem; non enim eſt vivificans per informationem, ſed per aſſiſtentiam, quod particulariter dicitur de Spiritu Sancto: ſicuti particulariter Omnipotentia tribuitur Patri, Sapientia Filio; cum tamen totæ tres Perſonæ Divinæ hæc inferiora cuſtodiant, regant, vivificent, & gubernent, quod clariùs elucidant plures SS. Patres.

XI. Abbaudus, natione Gallus, currente ſeculo undecimo in tractatu de fractione corporis Chriſti,ab eodem exarato, quem refert doctiſſimus Mabilonius tom. 3.veterum Analectorum, opinatur accidentia in Euchariſtia realiter non remanere, & corpus Chriſti verè frangi, dum hoſtia conſecrata dividitur:hæc ſunt præfati Abbaudi verba: *Qui verè frangi corpus Chriſti non concedit, totam fidem tanti Sacramenti, quantum in ſe eſt, fregit.* Deſumebat fundamentum hujus aſſertionis Abbaudus, ex illo, quod legitur in Euangelio: *Benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens, accipite, & manducate.* Item ex illis verbis D. Pauli: *Panis, quem frangimus communicatio corporis Chriſti eſt*; licèt tamen aſſereret corpus Chriſti frangi: dicebat tamen, quod poſſet ſic fractum integrum dici, quatenus unaquæque pars hoſtiæ fractæ vita eſt recipienti, ſi digne ſumatur. Repr. & quidem veras ſpecies panis, & vini remanere in Sacramento poſt conſecrationem, præter alia Concilia, aperte declarat Concilium Lateranenſe 4. ſub Innocentio Tertio celebratum; verumtamen à tot Conciliis confirmata eſt hæc veritas, ut de eadem nullatenus poſſit dubitari. Tum quia ſpecies remanere in Sacramento hinc evincitur, quod cum non ſint multiplicanda miracula ſine neceſſitate, cum ſpecies de facto cadant ſub ſenſu in pane Euchariſtico, jam quotiès quis ſumit, imò videt Sacramentum, totiès miraculum fieri eſſet aſſerendum; Si enim non eſt ſapor, & tamen ſaporem experimur, dicendum eſſet miraculosè hoc fieri; Si non eſt rotunditas, & albedo, & tamen utrum-

utrumque videmus, afferendum eſt hoc miraculosè contingere; Si verum eſſet, quod accidentia in Euchariſtia realiter non remanerent. Cùm tamen (ut dixi) non ſint multiplicanda miracula ſine neceſſitate; etiam hac ratione evincitur de facto accidentia remanere in Euchariſtia, circa quæ cadit fractio, non circa corpus Chriſti, ut vult Abbaudus; Si enim frangitur corpus Chriſti; ergo corpus Chriſti non eſt impaſſibile: certum tamen eſt, corpus Chriſti poſt reſurrectionem eſſe impaſſibile; Inſuper ſi frangeretur corpus Chriſti, non diſtribueretur totum corpus, ſed ſolùm pars corporis: nec valet fundamentum Abbaudi deſumptum ex illis verbis *fregit, deditque*; nam imò ex his verbis contrarium evincitur; poſtquam enim Chriſtus fregit panem, dixit: *Hoc eſt corpus meum*; ſed ſi frangendo panem, fregiſſet & corpus, debuiſſet potius dicere: hæc ſunt partes corporis mei, ſed fregit, & dedit dicens: *Hoc eſt corpus meum*, ut diſceremus, quàm veraciter canat Eccleſia; *Fracto demùm Sacramento ne vacilles, ſed memento tantùm eſſe ſub fragmento, quantùm toto tegitur*.

Ad aliud fundamentum deſumptum ex verbis D. Pauli, dico Apoſtolum dicentem: *Panis quem frangimus*, intelligendum eſſe de diſtributione, itaut ſenſus ſit: panis quem diſtribuimus; non verò intelligendum eſſe de fractione corporis Chriſti, ſicut ubi legitur *frange panem eſurienti*, ſenſus eſt, diſtribue panem eſurienti.

XV. Abecedarii Anabaptiſtarum germen, damnabant eos, qui legere, aut ſcribere ſciebant. De Abecedariis agit Nat. Alex. ſect. 15.

IV. Abelonii, ſive Abellonitæ, apparuerunt in Villis propè Civitatem Hypponenſem, ex gente ruſticana progeniti. Divi Auguſtini temporibus, vix aliquem ex hac ſecta erat invenire: averſabantur matrimonium, quamquam unuſquiſque eorum cum uxore conviveret, uxoribus non commiſcebantur, & adoptabant ſibi in hæredes unum filium, & filiam exteros, qui tamquam filii in ſervientes adoptantibus, poſt eorum mortem, alios deinde ſibi adoptabant, & ſic ſucceſſivè. Quod Abellonii voluerint appellari, ferunt aliqui ab Abel quodam viro Africano, hujus ſectæ primipilo, ſic eſſe dictos. Certiùs eſt, quod cum poſt occiſionem Abel, per Cain proditorem factam, crederent Abellonii, Adamum non amplius cognoviſſe uxorem ſuam; hinc cenſebant licere quidem hominibus cum uxore habitare, non tamen eam cognoſcere; quo errore Abellonitæ decepti, novæ ſectæ anſam dederunt, & Abellonitarum nomen ſortiti ſunt anno 407. ſub Arcadio Imperatore, & ſub Theodoſio juniore omnino extincti fuerunt. Ex S. Aug. lib. de hæreſ.

1. Dixerunt non licere marito cognoſcere uxorem ſuam. Repr. & quidem ſuppoſito, ut probabile eſt, quod hujus hæreſis fundamentum ſit ſupra relatum, ex ipſa Scriptura, conſtat de ejuſdem inſubſiſtentia; Siquidem certum eſt Adamum poſt mortem Abel, cognoviſſe uxorem ſuam, quæ ipſi peperit filium, cui nomen Seth. Ex Gen. lib. 1. cap. 4. verſ. 25. *Cognovit quoque Adam uxorem ſuam, & peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens: poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain*. Tum quia ſi non liceret marito cognoſcere uxorem, non poſſet legitimè propagari genus humanum, de quo dixit Deus: *Creſcite, & multiplicamini*, dixit hoc autem Deus Adæ, poſtquam ipſi fecerat adjutorium ſimile ſibi.

2. Dixerunt Infantes non adoptatos eſſe illegitimos. Repr. quia legitimus ille habetur ex legibus, qui ex legitima conjunctione maris, & fœminæ procreatur, nec indiget adoptari, ut acquirat jus ad hæreditatem parentum, quæ filiis legitimis de jure competit: quamvis adoptatus acquirat jus ad hæreditatem, tale jus ipſi non competit ex jure ſanguinis, ſed ex jure adoptionis: Adoptatus ergo acquirit jus reſpectu Adoptantium legitimi hæredis, ſi nihil in contrarium obſtet, non verò legitimi filii, hoc ſi quidem jus ſe tenet reſpectu ſanguinis, non reſpectu hæreditatis.

V. Abissini Populi Ethiopes, de quorum usibus plura referunt Historici: quantùm ad Religionem spectat usque ad quintum seculum veram professi sunt Fidem, à qua post Concilium Chalcedonense defecerunt, & cum Græcis amplexati sunt schisma. Sæpè per litteras ad Romanos Pontifices, protestati sunt se velle ad unitatem Fidei redire, quod anteacto seculo etiam declaravit David Abissinorum Imperator, per litteras ad Clementem Septimum transmissas: unicum habent Episcopum, quem tamquam Pontificem, & totius Ecclesiæ primatem venerantur. *Autum* antiquior Abissinorum est Civitas, in cujus Ecclesia dicunt asservari Arcam veteris Testamenti; utuntur Altari portatili, ad modum Arcæ fabrefacto, in quo celebrant sacra mysteria: in omnibus conveniunt cum Græcis, quantùm ad Religionem spectat, & in hoc solùm differunt, quod observant circumcisionem simul cum Baptismo, sed illam non suscipiunt tamquam necessariam ad remissionem peccati originalis, ut sentit Cerinthus, imò nec suscipiunt tamquam cerimoniam Legis Mosaicæ, sed solùm ob Christi imitationem, sivè ut corporalem ejus similitudinem gerant. Repr. ut oppositum religioni, ex capite superstitionis, juxtà doctrinam S. Thomæ 2. 2. q. 92. art. 1. in corpore. Agit de Abissinis Card. Bona in Divina psalmodia cap. 18. §. 18.

V. Ablabius fuit Troili Sophistæ Auditor, & cum artis Rethoricæ peritia esset celeberrimus, inter Oratores sui temporis adeo excelluit, ut summo cum delectu ejus conciones à populo exciperentur: hoc medio ad insinuandos errores Novati, quos profitebatur, facilem sibi aditum reseravit, & crescente ejus nominis fama, à Chrisanto Novatianorum Episcopo Presbyter ordinatus, tandem Nicænæ Urbis Episcopatum obtinuit, circà annum 430. in qua dignitate constitutus, adhuc faciliùs potuit propugnare Novati errores. Quia verò Novatus inter alios errores docuerat virtutem pœnitentiæ, & carnis mortificationem nihil prodesse; adeo dissona visa fuit hæc hæresis, ut nemo post Novatum usque ad Lutheri tempora eamdem professus sit, uno excepto Ablabio, qui cum Novato, per solum Baptismum obtineri posse remissionem peccatorum sentiebat; quare hæc hæresis quàm novissime secutus est Molinos quantùm spectat ad reprobandam pœnitentiam, utpotè inutilem, hic est confutanda.

1. Docuit inutilem esse virtutem pœnitentiæ, & carnis mortificationem. Repr. ex Apostolo 1. ad Corin. cap. 9. dicente: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*, quod certè non fecisset, si inutilem fore pœnitentiam Paulus existimasset. Insuper Matth. 16. Christus nos hortatur ad ferendam crucem, sed si pœnitentiæ virtus, & carnis mortificatio non prodest, ergo decepti sunt tot Sancti Pœnitentes, ergo decipiuntur tot viri religiosi, qui huic præcipuè studio vacant; quis hoc audeat asserere? sed ipsa experientia probat bonam, & utilem esse carnis mortificationem, quandoquidem unusquisque experitur ex pœnitentia reprimi passiones, & accendi desiderium vehemens perfectionis. Ratio autem cur Novatus, & post ipsum Ablabius assererent superfluam esse mortificationem est, quia censebant peccata, ob quorum remissionem exercetur virtus pœnitentiæ esse irremissibilia, quod falsum est, cum Christus docuerit Petrum non modò remittere usque septies, sed usque septuagies septies, scilicet quotiescumque peccator accedet contritus, & mortificatus; & certè si peccata essent irremissibilia, & vana esset pœnitentia, quomodo Deus vocaret ad pœnitentiam. Hunc errorem damnat Conç. Trid. sess. 14.

2. Dixit secundas nuptias esse illicitas. Repr. verbo *Græci*. De Ablabio agit Nicef. Hist. Eccles. lib. 14.

III. Abstinentes ex Gnosticis, ac Manicheis prodierunt, persequentibus Ecclesiam Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus. Dicti sunt Abstinentes, quia Inter alios errores, potissimus ille erat,

erat, quo prohibebant escas, tamquam concessas hominibus non à Deo, sed à Diabolo; per varias Europæ partes dispersi, circa annum Domini 289. grassabantur in aliquibus Provinciis Galliæ, Hispaniæ, & in Aquitania; non autem esse possunt iidem, ac Hierarchitæ, ut sentire videtur Baronius; facta siquidem collatione errorum Abstinentium, desumpta ex Philastrio, & ex Prateolo, cum erroribus Hierarchitarum, quos recenset Epiphanius hær. 69., & Hilarius lib. 4. de Trinitate, omnino differunt, & tres tantùm sunt errores Abstinentium, Hierarchitarum verò sex recensentur. Tum quia ex Evagrio constat Hierarcem in Ægypto suos expandisse errores, quem Hierarcem cum Macarius Abbas non posset reprobare verbis, miraculo confudit. Esto etiam Hierarci sequaces, fuisse Abstinentes dictos, quia abstinebant à vino, & à delicatioribus cibis, non tamen abstinebant ea ratione ducti, qua Abstinentes, de quibus hic agimus; ii siquidem abstinebant à cibis, quia à Dœmone datos esse hominibus dicebant, illi verò ad simulandam sanctimoniam.

1. Dicebant Spiritum Sanctum esse Creaturam. R. verbo *Aetiani*.

2. Matrimonia ad libitum solvebant. R. Marci 10. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, Lucæ 16. vers. 18. *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mæratur*. Ex quibus Scripturæ testimoniis apertè constat matrimonia non posse pro libito solvi, quod etiam docet Apostolus 1. ad Cor. cap. 7. vers. 39. Tum quia si matrimonium posset pro libito dissolvi, non modò proles, sed etiam plures mulieres remanerent derelictæ; quia verò alii hæretici non ad libitum, sed ex mutuo consensu, vel ob causam fornicationis, vel si conjux ad longum tempus recedat, vel si unus ex conjugibus alteri reddatur molestus, afferunt his, & similibus de causis posse matrimonium solvi: de ejusdem indissolubilitate alibi iterum agemus, & contrarias rationes dissolvemus. Vide verbo *Armeni*.

3. Prohibebant escas, tamquam concessas hominibus, non à Deo, sed à Diabolo. R. ex sacris paginis, ubi legitur, quod Deus *dat escam pullis corvorum invocantibus eum*; ergo multò magis providet escam hominibus. Tum quia Deus ita constituit hominem, ut sine cibo naturaliter vivere nequeat; ergo quandiù vult hominem vivere, debet ipsi cibum providere. Deum autem esse Creatorem escarum, non Diabolum, ut volunt Abstinentes; probatur, quia Deus creavit cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt: Deus dedit virtutem arboribus, ut producerent fructus, & seminibus, ut fructificarent, sicut constat ex Genesi. Deus in Paradiso terrestri creavit arbores cum fructibus: ergo &c.

V. Acacius, de quo fusè disserunt Evagrius, Niceforus, & Baronius, quinto currente seculo, postquam cujusdam Collegii in Urbe Constantinopolitana præfectus extitit, ad dignitatem Patriarchalem ejusdem Urbis evectus, ambitionis stimulis exagitatus, supra Alexandrinam, Antiochenam, & Hierosolymitanam Sedem, demum supra Romanam primatum contendit. Repressit ejusdem audaciam Simplicius Papa, Apostolicisque mandatis se submittere fingens, Pontificem ipsum magno totius Ecclesiæ damno decepit, cui plus obfuit in ementita sanctitate, quàm dum apertè schismaticum, & hæreticum Eutichianum se patefecit; Siquidem ex quò Simplicius Papa credidit Acacium verè Romanæ Ecclesiæ submissum, sicut talem de facto se fingebat Acacius, eumdem Legatum suum in Oriente constituit, in qua dignitate constitutus, faciliùs valuit Eutichianam sectam protegere, & propagare. Detecta à Felice Tertio Simplicii successore, Acacii fraudolentia, eumdem Romæ congregato Concilio 48. Episcoporum condemnavit, ex quo anathemate Acacius excandescens, Romani Pontificis nomen à tabulis Ecclesiæ rescidit, & Hortodoxos summa violentia est persecutus, usque ad annum 488. quo decessit, ejusque nomen à tabula Episcoporum anno 519. meritò fuit abrasum. Persuadente Acacio, qui non Episcopum, sed Adulatorem in aula Zenonis Imperatoris agebat, Zeno *Henoticon*, idest *Edi-*

Edictum pacis promulgavit, in materia Fidei, ut Arianos, Semiarianos, & Eutichianos simul componeret: siquidem Acacius, solius Imperatoris esse, de Controversiis Ecclesiasticis decidere, docuerat; quam doctrinam facilè amplexatus Zeno Imperator, *Henoticon* promulgavit, quod Eutichianæ sectæ, quam profitebatur Acacius erat propensum.

IV. Acaciani, Acacium Eusebii Pamphili anno 338. in Episcopatu Cæsariensi successorem, ducem habuerunt (diversum utique ab illo, qui fuit Patriarcha Constantinopolitanus: neque confundendi hi duo Acacii, ut putant aliqui; ille siquidem vivebat quinto seculo, hic, de quo in præsenti agimus, seculi quarti anno sexagesimo vivere desiit, ut ex Evagrio lib. 3. & ex Sozomeno lib. 3. & 4. colligitur) fuit Acacius suo ævo inter Doctiores adstipulatus, sic refert Sozomenus, unusque ex celeberrimis Semiarianismi Propugnatoribus. Tempore hujus Acacii divisa est Arianorum Congregatio in tres sectas, de quarum una coryphęus fuit Acacius. S. Cyrillo Episcopo Hierosolymitano infensissimus: vir utique contentionum amicissimus, neque cum suis Semiarianis diù potuit convivere, à quibus post Concilium Sardicense, in quo jam plures suscitaverat turbines, fuit depositus: sed Constantino Imperatore Acacium protegente, hæc condemnatio suum non est fortita effectum. Stimulante Acacio Liberius Papa fuit in exilium pulsus, & Felix Antipapa prævaluit. Cùm S. Cyrillo de primatu suæ Sedis contendit, quem exagitare non destitit, usque dum à Hierosolymitana sua Sede per vim depositum non conspiceret. Hortodoxè enim de consubstantialitate Verbi sentiente Cyrillo contra Acacium, factus est Acacius S. Cyrillo in offendiculum: ambiguam pro temporis opportunitate profitebatur Fidem, Suæ enim Fidei scopus alius non erat, quàm Imperatoris genio sese accommodare: quare Aetio, licèt Ariano, anathema dixit. Indixerat Constantius Imperator Nicomediæ generale Concilium, quod Aetius præpotens apud Imperatorem divisit, convocatis Arimini Occidentalibus Episcopis, & Orientalibus Seleuciæ; timens ne simul congregatis totius Orbis Episcopis, ejus damnaretur impietas, quæ Seleuciæ prævaluit, ubi congregati Orientales Episcopi, potissimum Semiarianismum sequebantur. Ibi Acacius tamquam coryphęus, palàm Arianismum est professus, quod hactenus nonnisi secretò, & quasi in abscondito profitebatur: quare Semiariani de Acacii doctrina causati, eumdem de sua Sede depositum declamarunt, in qua, favore Constantis, iterum fuit constitutus. Librum rituum edidit contra Marcellum Ancyranum Episcopum: vitam Eusebii, sui in Episcopatu prædecessoris,& Magistri exaravit, Commentaria etiam edidit super Ecclesiastem, & diversas miscellaneas quæstiones sex libris comprehensas promulgavit. Ad sedandas Arianorum, & Semiarianorum rixas, præcipiente Imperatore Constantio, Seleuciæ congregati sunt 43. Episcopi, inter quos primum locum obtinuisse videtur Acacius, ubi novam Fidei formulam, rejecto Symbolo Nicæno, ediderat, sed ita ambiguam, & artificiosè compactam, ut in ea unaquæque Arianorum secta, ex tribus recensitis, suum profiteretur errorem, in quo solùm differebant circa diversum se explicandi modum: cęterùm unanimiter cum Ario Filium consubstantialem Patri negabant; una siquidem ex tribus Arianorum factionibus apertè dicebat Filium esse creaturam, alia pro temporis opportunitate nomen creaturæ reticebat; tertia denique, cujus Acacius se primatem constituit.

Dicebat Filium neque esse coessentialem Patri, neque creaturam unam ex creaturis. R. & quidem Filium esse coessentialem Patri, & consubstantialem probabitur infra contra Arium; deinde Verbum non esse creaturam apertè evincitur, nam non datur medium inter hoc, quod est esse Deum, vel creaturam; ergo est purum Acacianorum figmentum dicere, quod Dei Filius non sit una creatura ex creaturis; nam hoc loquendi modo, vel intelligunt Filium esse creaturam de facto, & hoc non, ipse enim Dei Filius

Jo: 10.

Jo: 10. afferit fe effe unum cum Patre: *Ego, & Pater unum fumus*, vel intelligunt Filium effe Deum, & confequenter effe coeffentialem Patri; fed hoc neque per ipfos Acacianos, qui apertè hoc negant, dici poteft de Dei Filio; ergo modus loquendi Acacianorum eft purum figmentum, & nullatenus poteft fubfiftere. Neque valet Acacii ratio dicentis, quod in tantum Filius non poteft dici coeffentialis Patri, quia hæc vox coeffentialis, five confubftantialis nullatenus invenitur in facris paginis; nam præterquamquod facri Scriptores à tempore Apoftolorum hac voce *Confubftantialis* ufi funt, ut videre eft in epiftola quam fcripfit S. Clemens Romanus, Fauftini filius, Apoftolorum Coadjutor ad Cor., & in lib. 1. de Divinis Nominibus à S. Dionyfiò Pauli Apoftoli difcipulo exarato; adhuc ex facris paginis apertè eruitur æquivalentia hujus vocis *Confubftantialis*, ubi enim legitur *Ego, & Pater unum fumus*, idem eft ac fi legeretur *Ego fum Confubftantialis Patri*, neque necefsè eft, ut omnia vocabula, quibus utitur Ecclefia ad explicanda Divina myfteria fint expreffa in facris paginis, dummodo earum vocum æquivalentia ibidem contineatur. Adde, quod Deus fecundùm Ecclefiæ neceffitatem plura Ecclefiæ communicat in tempore, quæ ab initio folùm implicitè indicaverat, & opportuna vocabula Ecclefiæ fuggerit quibus uti debeat, ad hæreticorum confufionem, quibus vocabulis nondum opus habebat Ecclefia primitiva, quæ nullos nondum noverat hoftes Sanctiffimæ Trinitatis.

IV. Academici. Vigebat horum fecta potiffimum temporibus S. Auguftini, quam, cum Manicheifmum reliquiffet veritatis profequendæ ftudio, amplexatus eft. Siquidem Academici fe gloriabantur, quafi foli effent, qui univerfum Mundum veritatis luce perfunderent; fed cum neque apud Academicos Auguftinus veram veritatis viam inveniffet, majori interioris gratiæ lumine perfufus, ab Academicis ad Chriftianam Fidem eft diverfatus. Difputavit contra Academicos, eofdemque convicit erroris S. Ambrofius, qui hac de caufa libros contra Platonem confcripfit. Porrò tanta erat Academicorum jactantia, ut.

Dicerent Chriftianos accepiffe à Platone fuas de Fide fententias quas Euangelifta Joannes fuæ narrationis exordio præ foribus expofuiffet, pro miraculo omnibus contemplandas. R. ubi Chriftus in Euangelio profitetur fe docere ea, quæ didicit à Patre fuo. Tum quia Euangelifta Joannes nullibi legitur, quod Platonicos audierit: tum quia nullibi Plato mentionem fecit de Incarnatione Verbi, de qua eleganter differit in principio fui Euangelii Sanctus Joannes; ergo Academicorum affertum eft purum figmentum.

V. Acephalus anno 496. cùm effet in exilium ab Anaftafio Imperatore pulfus, Antiochenam Sedem invafit, & Angelitarum errores in eadem Civitate diffeminavit, non autem fuit Acephalorum caput, ficut aliqui fentiunt; quia illi Alexandriæ orti funt, hic Antiochiæ debacchavit, fed diverfos errores ab Acephalis profitebatur, quos reprobabimus verbo *Angelita*. De Acephalo agit Durand.

V. Acephali idem fonat ac viri fine capite, qui circa finem feculi quinti in Ecclefia Alexandrina fchifma fufcitarunt, recedentes à communione Petri Moggi Patriarchæ Alexandrini, eo quod dictus Moggus (efto effet homo fraudolentus) verumtamen ut Sedem Alexandrinam obtineret; Concilium Chalcedonenfe receperat, quod ægrè ferentes plures Alexandrini, dicti Concilii Chalcedonenfis infenfiffimi hoftes, ab eodem Petro Moggo fe fegregarunt anno 480, proinde cum nullum Patriarcham, five caput haberent, dicti funt Acephali Eutichianæ fectæ portio: dicti funt etiam Semieutichiani, quia Eutichetis errorem aliquatenus molliebant: Ex hac Acephalorum fecta, aliæ fectæ prodierunt, fcilicet Jacobitæ, & Theopafchitæ, de quibus fuo loco agetur; plures Sancti Doctores, inter quos S. Leo, Acephalorum hærefim impugnarunt, cujus Auctor communiter effe cenfetur Severus Antiochenæ Sedis invafor, de quo fuo loco: errores autem hujus hærefis funt fequentes.

1. Apud

1. Apud Acephalos ab Episcopis, & Sacerdotibus nullum sacrificium est amplius peractum; sed Sacramenta ex antiquis temporibus asservabant, è quibus abrasas perexiguas particulas Paschatis tempore distribuebant ad communionem. R. Hic usus, siquidem contra mentem Christi institutoris esse perhibetur, qui præcepit dicens *facite in meam commemorationem*, quod si sufficeret asservare Sacramentum ex antiquis temporibus, ut faciebant Acephali, rarò fieret commemoratio præcepta à Christo in sacrificio, quam quotidie consuevisse facere ipsos Apostolos, constat plurium testimonio, qui eorum tempore vixerunt, ex quo semper viguit hic usus in Ecclesia Latina, ut unusquisque Sacerdos legitimè non impeditus, quotidie offerat Deo sacrificium incruentum.

2. Capiti suo licet Episcopo subesse noluerunt, nec receperunt Sacrosanctum Concilium Chalcedonense. Repr. ex sacris paginis, ubi omnes fideles, Ecclesiæ subesse hortantur, in qua posuit Christus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo; ergo Fideles sunt sub regimine Episcoporum, & tenentur illis subesse; de quibus dixit Christus: *Qui vos audit me audit*. Tum quia Concilia à Romano Pontifice approbata, quale fuit Chalcedonense, sunt infallibilia; ergo qui non recipit Concilia fallitur, & à veritate declinat; tum quia Spiritus Sanctus per particularem assistentiam ille est qui loquitur in Conciliis, quare qui negant acquiescere Conciliis, ex illis sunt, de quibus legitur in actibus Apostolorum *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*.

3. Duas naturas in Christo esse negabant, reprobandi verbo *Eutiches*. Agit de Acephalis Leontius lib. de sectis.

XIV. Accindynus nomine Gregorius, vixit circa medium seculi decimiquinti, & calamum acuit contra Gregorium Palamam, utpote hæreticis opinionibus infectum: Palamas ut de Accindyno accusatore ultionem faceret, eumdem vicissim hæresis redarguit, & protegente Joanne Cantachuseno, impuberis Imperatoris tutore, ab Episcopo Constantinopolitano condemnationem contra Accindynum promulgari curavit. Accindynus nihilominus numquam destitit scriptis Palamitas exagitare, contra quos etiam carmine yambico composuit: nec desunt, qui Accindynum ab omni hæreticalis erroris nævo immunem defendunt; nihilominus Prateolus, & Gaulterius inter hæreticos eumdem reponunt, utpote qui suis in scriptis sequentes propositiones inseruit.

1. Dixit nullam esse distinctionem in Divinis, ideoque excludendas omnes relationes originis, & personales à natura Divina. R. ex sacris paginis apertè colligitur dari generationem in Divinis, licèt ab humano intellectu incomprehensibilem, de qua loquitur Propheta dicens: *Generationem ejus quis enarrabit?* sed ubi est generatio est relatio originis, ubi relatio originis est distinctio inter generantem, & generatum; ergo si in Divinis datur generatio (eadem ratio est de spiratione) datur relatio: ergo datur distinctio: nec potest negari consequentia, nisi absolutè negetur dari generationem in Divinis; item si Pater in Divinis non generaret Filium, & uterque non spiraret Spiritum Sanctum, Pater non haberet potentiam generativam, nec Pater, & Filius haberent potentiam spirativam, & consequenter daretur imperfectio in Deo, sed hæc nullatenus potest admitti; ergo dici debet Patrem generare; ergo datur relatio; ergo distinctio. Quod daretur imperfectio in Patre si non generaret, facilè probatur, quia producere sibi simile in natura, est summa perfectio producentis; ergo &c.

2. Operationes Dei ad intra, cum operationibus Dei ad extra confundebat, itaut sicut creatio Mundi est actio Dei ad extra terminata, & temporalis, talem etiam esse arbitraretur generationem Verbi. R. quia actiones Dei ad intra sunt essentiales, & necessariæ, ad extra verò non sunt essentiales, & sunt liberæ; Si enim essent necessariæ, Mundus debuisset esse ab æterno, sicut ab æterno generatur Filius. Tum quia solus Deus est ens necessariò existens, & quidquid necessa-

cessariò existit Deus est; tum quia Deus liberè potest destruere Mundum, sicut liberè creavit; sed non potest non generare Filium, & esse sine Filio; ergo ejusdem naturæ non sunt actiones Dei ad intra, quales sunt actiones ad extra. Tum quia actiones ad extra Deus posset, si vellet longè perfectiori modo perficere, sed non potest perfectiorem generare Filium; ergo tales non sunt actiones Dei ad intra, quales sunt ejus actiones ad extra.

3. Transfigurationem in Monte Thabor phantasma, & spectrum fuisse asseruit. R. ex Script. ubi contrarium evincitur.

XVI. Accidentarii secta sunt Semilutheranorum, propagata circa 1550. à Tilmanno Heshusio, & Jacobo Schmidelino. Dissident tamen inter se Accidentarii in articulis de justificatione; circa descensum Christi ad inferos, & illius ascensum ad cœlos; quamvis conveniant in errore, per quem Accidentarii sunt dicti; Error autem est sequens.

Dicunt peccatum originale esse accidens reale, quo hominis natura corrupta est. R. quia non est intelligibile quomodo qualitas corporea, qualem esse peccatum originale asserunt dicti hæretici, habeat vim corrumpendi animam, quæ est spiritualis. Tum quia si peccatum originale esset accidens reale, esset ens reale, sed omne ens reale est à Deo; ergo si peccatum originale esset accidens reale, esset à Deo, quod est blasphemum dicere. Vide verbo *Tilmanus*, & *Jacobus Schmidelinus.* Agit de Accidentariis Gravina in tabula analitica.

IV. Accemetæ fuerunt Monachi in Urbe Constantinopolitana probatæ virtutis, & veræ Fidei sustinendæ zelo ardentissimi. Dicti sunt Accemetæ, quod idem significat ac insomnes, quia vicissim die, noctuque in cantu perseverabant: dicti sunt etiam Studitæ à *Studio*, qui fuit fundator eorum Monasterii in Urbe Constantinopolitana. Ad exprimendum errorem, propter quem fuerunt anathemate percussi à Joanne II. (sub conditione tamen si non resipiscerent, ut constat ex epist. 2. ad Justinianum data 8. kal. Aprilis anno 554.) primò opus esset aliquam de hæresi Eutichiana, & Nestoriana exhibere notitiam, quarum una alteram oppugnabat: sed de hæresi Eutichiana, & Nestoriana suo loco. Hæresim Eutichianam profitebantur quidam Scitæ nullatenus Monachi nuncupandi, cum nihil instituti Monachalis apud ipsos unquam fuerit, licèt sub uno capite, cui nomen erat Mascentius conviverent, de quo Mascentio sic Dioscorus Legatus Hormisdæ ad eumdem scripsit. *Mascentius tamen: qui sub Abbatis vocabulo, dixit se Congregationem habere, si interrogetur, aut cum quibus Monachis vixit, aut in quo Monasterio, aut sub quo Abbate Monachus factus est, dicere non potest.* Hinc colligere est Scitas nunquam fuisse Monachos, quandoquidem nec eorum caput dicere potest in quo Monasterio, aut sub quo Abbate Monachus factus sit, aut cum quibus Monachis vixerit; ex quo debet inferi Scitas, de quibus hic agitur, potiùs fuisse quamdam Eutichianorum coloniam, quæ sub ementito nomine Monachorum, fortè ut sub ementita sanctitate faciliùs alios in suam sententiam protraherent, Eutichetis profitebantur errores: quod & manifestiùs factum est, quando Scitæ contenderunt addenda esse Chalcedonensi Concilio hæc verba: *Unum de Trinitate crucifixum esse in carne*, quæ verba licèt possent in sensu Catholico sustineri, non approbavit Concilium, nec Legati Papæ, qui erant Constantinopoli, nec ipse Hormisda, quia talia verba videbantur favere hæresi Eutichianæ, quæ asserebat Christum secundùm naturam Divinam esse passum. Hac etiam de causa Accemetæ, qui erant Horthodoxæ Fidei zelantissimi professores, oppugnarunt Scitas, contra ipsos cum Ecclesia Romana sustinentes, nullatenus admittendam esse illam propositionem *Unus de Trinitate est crucifixus in carne*, ex quo facta est multa contentio inter Accemetas, & Scitas. Ex hac propositione, non admissa tunc temporis ab Ecclesia, occasionem nacti Nestoriani, statim in favorem propriæ sectæ, sed imprudenter, ratiocinantes, sic discurrebant.

bant. Ecclesia non admittit hanc propositionem *Unus de Trinitate est passus in carne*: ergo neque est natus in carne; ergo Maria non potest dici Deipara, quæ erat sententia Nestorii. Delatus ad Pontificem hic dolosus ratiocinandi modus Nestorianorum, quem ut delu deret, reprimeret, & confunderet, sicut contra Eutichetem tempore Hormisdæ Ecclesia non approbaverat illam novitatem vocum, *Unus de Trinitate est passus in carne*, approbandam postmodum censuit contra Nestorium, tempore Joannis Secundi. Sic res sese habebant, cum Monachi Accemetæ, fortè nescii quod Nestoriani ex illa propositione *Unus de Trinitate est passus in carne*, non approbata ab Ecclesia, ansam accepissent ad impiè discurrendum in favorem Nestorii, negantis Mariam esse Deiparam; adhuc mordicùs sustinebant contra Scitas de facto dictam propositionem non esse admittendam; sed cognita ab ipsis rationabili causa, propter quam Ecclesia progressu temporis, censuerat fore admittendam: credere par est, quod utpote viri summæ virtutis, abstinentiæ, & mortificationis, statim subscripserint sensui Ecclesiæ, ipsique acquieverint, & consequenter excommunicationem non incurrerint, quam non nisi sub conditione, quod non acquiescerent (ut supra indicavimus) contra ipsos promulgaverat Joannes Secundus. Cæterùm nullatenus Nestoriani, vel Eutichiani dicendi sunt Accemetæ, cum non obstante quod sic rixarentur cum Scitis, constet tamen de integritate fidei Monachorum Accemetarum ex libello fidei, quem dictorum Monachorum Legati Pontifici obtulerunt. Tum quia quatuor Concilia generalia reverenter admiserunt, quod utique non fecissent, si Eutichiana, vel ut alii afferunt, Nestoriana labe fuissent infecti. Et hæc dicta sint per modum Apologiæ ad vindicandos Monachos Accemetas à labe, quæ ipsis inuritur, quod hæresi fuerint infecti, & quod fuerint excommunicati, quod tantùm sub conditione factum est. Demum Accemetas Monachos semper fuisse Eutichianæ sectæ infensissimos hostes, constat ex eo, quod à Monasterio semper expulerint quotquot in Fide Horthodoxa claudicantes noverant; quapropter Cnafeum, dictum Petrum Fullonem, fuisse è Monasterio expulsum, quem Monachi Eutichianum noverant, referunt Annales Spond. anno 471. num.3. Esto ergo inter Accemetas aliquos fuisse Eutichiana labe infectos, non propterea Eutichiani sunt nuncupandi: sicut quia proditor fuit Judas in Collegio Apostolico, proditores Apostoli non possunt nuncupari, & sicut à Collegio Apostolico expulsus Judas, ita ab Accemetis Eutichiani proscripti, quemadmodum Fulloni contigisse supra narravimus.

IV. Acesius fuit Episcopus sectæ Novatianæ, circa medium quarti seculi, quem Constantinus Imperator blanditiis delinire, sed frustrà, conatus est, ut eum ad veram fidem amplexandam reduceret, & à Novati erroribus averteret; cujus potissimum errorem cum audiret Imperator, sic eum quasi per jocum, sed argutè usque ad confusionem Acesi est affatus: *Erigito tibi scalam Acesii, & tu solus in cælum ascendito*, siquidem

Dicebat Acesius, neminem qui post Baptismum graviter peccasset esse recipiendum ad pœnitentiam, negans Ecclesiam habere potestatem concedendi veniam gravium peccatorum, afferens non hominum, sed Dei esse concedere remissionem peccatorum. R. Marc. 16. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, quodcumque solveris, erit solutum*; in his verbis Christus nullum prorsus peccatum reservavit, tamquam irremissibile: ergo dedit amplam facultatem Ecclesiæ, quæ se extendit ad dimittenda omnia peccata. Tum quia si peccata gravia, quæ dicuntur ad mortem, essent irremissibilia, frustrà Christus instituisset Sacramentum Pœnitentiæ, frustrà hortaretur peccatores ad pœnitentiam. Tum quia si post Baptismum peccata gravia essent irremissibilia, esset deterioris conditionis Baptizatus, quàm non Baptizatus, ut patet: iste enim haberet opportunum reme-

remedium, non autem ille. Tum quia in sententia Acesii, daretur ansa procrastinandi Baptismum usque ad canos, & multiplicandi peccata, quæ omnia solùm per Baptismum deleri sustinebat Acesius; nec valet quod asserebat, dicens folius Dei esse dimittere peccata, libenter enim hoc concedimus, quandoquidem scimus Sacerdotem dimittendo peccata, se habere tamquam Ministrum Christi, in cujus virtute Sacerdos peccatorem dimittit absolutum. Vide v. *Novatiani*.

IV. Achillas fuit Episcopus Alexandrinus, unus ex colleghis Arii, qui unà cum alii Arii sectatoribus, subscripsit epistolam, quam Arius scripsit ad Alexandrum Episcopum, ut refert Epiphanius hæresi *66*. circa annum 348., inter alios Arii errores hunc præcipuè est amplexatus.

Dicebat, fuit aliquando, quando non fuit Filius Dei, & postea factus est, qui priùs non fuerat, talis factus, qualem & omnem hominem esse contigit, R. Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus*, & etiam ex omnibus Scripturæ locis, ex quibus evincitur Filium esse consubstantialem Patri: Filium esse Deum, sic Jo. cap. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: ergo Verbum non est factum; ergo falsum est, quod fuerit aliquando, quando non fuerat Filius Dei, ergo Filius Dei est unus in natura cum Patre, non in solo consensu voluntatis, ut vult Achillas. Insuper Divinitas Filii Dei probatur, quia Filius Dei si non esset Deus, Pater generasset Filium imperfectum, quod implicat potentiæ generativæ Patris, quæ cum sit perfectissima, non potest habere terminum suæ generationis nisi perfectissimum.

XIV. Acontius Jacobus Philosophus, Jurisconsultus, atque Theologus, Tridenti natus seculo 16. postquam nomen Religioni Reformatæ dedisset, in Angliam profectus est, ubi benignè à Regina Elisabetha fuit exceptus, cui & librum dicavit, cui titulus: *De Stratagematibus Diaboli*; Contrariarum Religionum tolerantiam admisit, & ad Arianismum deflexit. R. verbo *Bissidi*.

XVI Acosta Gabriel Lusitanus, Christianis parentibus ortus, cum se vitam æternam posse consequi desperaret, Judaismum amplexus est Amstelodami, unà cum parentibus suis; sed cum videret Judæorum mores, atque præcepta, Legi Moysis adversari, à Judaismo deficiens, Sadducæorum dogma propugnavit; in eo quod nullum dari Angelum, aut Spiritum asserebat, & tandem ad Judaismum reversus est.

1. Docuit Animam non esse immortalem. R. verbo *Arabes*, *Gregorius Pauli*.

2. Legem Moysis humanum inventum esse affirmabat. R. ex ipsius Scripturæ testimonio, quæ Legem à Deo in monte datam describit; qua de re, nemo umquam per tot secula dubitavit; ut mirum sit quomodo audeant sæpè aliqui ex hæreticis in suis vanis assertis se opponere veritatibus, quibus Orbis universitas per plura secula firmiter adhæsit.

III. Adamantius, dictus Origenes, diversus est ab illo Origene; qui omnibus penè notus est; de Adamantio etiam Origene nuncupato, scribit Epiphanius in Acephalæosi, & S. Augustinus in libro ad Quod vult Deus: ejus sectatores Origeniani sunt dicti; porrò isti nefaria faciebant, suaque corpora corruptioni tradebant.

II. Adamæi, sive Adamiani, vel Adamistæ. Ex Basilianis, & Carpocratianis progenitos fuisse Adamitas, sunt qui autumant: sunt qui Adamitas Gnosticorum propaginem faciunt, prodierunt ex quodam infami viro, cui nomen Prodicus; non tamen dicti sunt Prodiciani, ab eorum Institutore, sed Adamitæ, quia Adæ nuditatem æmulabantur, ingredientes siquidem suas Ecclesias, sive potius cavernas, deponebant in limine vestes, quia Paradisum ingredi dicebant, in quo sicut Adam nudus fuit, ideo Adæ nuditatem æmulari volebant.

1. Dixerunt propagationem homi-

num ex sola Adæ culpa provenire. R. verbo *Armeni*.

2. Nudi incedebant. R. ex sacris paginis, ex quibus colligitur nuditatem nunquam fuisse licitam. Deuter. cap.22. ver.1. Gen.9. ver.24. Gen.3. ver.7. Tum quia Christus, qui nos veram salutis viam docuit, vestitus incedebat. Tum quia nuditatem publicam etiam barbari abhorrent: & in locis ubi ratione eximii caloris nudi incedunt, saltem verenda cooperiunt, sicut mihi retulit Romæ amicus meus, qui ad propagandam fidem illas regiones peragraverat. Imò tantùm verum est, quod à nuditate natura abhorret, ut viri illi, qui in novæ Americæ aliquibus insulis, nudi incedunt, cum aliquem Europæum conspiciunt, statim aufugiunt, verecundia propter nuditatem in qua comprehenduntur, suffulti; sic à præfato meo amico intellexi. Verecundia autem ab omnibus Sanctis Patribus commendatur. Porrò Adamitæ incedebant nudi, quia se credebant in statu innocentiæ, sed præterquamquod omnes in die labimur, & in peccatis sumus concepti, certum est, quod in justitia originali nemo est qui nascatur; ideo nemini licet nudum incedere, & etiamsi ex speciali privilegio aliquis in justitia originali nasceretur, ut de Beatissima Virgine credere pium est, adhuc non liceret nuditas, ubi reliqua hominum propago est culpa infecta.

3. Nuptias execrabantur. R. ex sacris paginis ad Ephes. cap. 5. ubi matrimonium commendatur, & Sacramentum esse perhibetur: ergo nuptiæ sunt inexecrabiles. Tum quia Christus intervenit ad nuptias in Cana Galileæ, quod non fecisset si matrimonium esset res execrabilis, de quo ad Heb.13. legitur *Honorabile connubium*, tantùm abest, quod sit execrabile. Hunc errorem damnat Concilium Gangrense celebratum in Asia anno 325. cap.14., & Bracarense celebratum anno 543. cap. 11. vide prætерea cap.7. epist.1. ad Cor.

4. Mulieres faciebant communes. R. ex pluribus Scripturæ locis, ubi mulieres adulteræ pœna mortis damnantur. Tum quia natura ipsa abhorret quodammodò à communitate mulierum, & licèt permissum fuerit in Lege veteri unum virum habere plures uxores, numquam tamen permissum est unam mulierem duobus viris esse communem.

5. Dicebant se esse liberos, ac nulla lege teneri. R. à Christo, qui dixit: *Non veni solvere legem, sed adimplere*, & præcepit nos obedire Superioribus. Necessitas obtemperandi legibus, satis evincitur ex quotidiana experientia; & ex iniquis absurdis, quæ sequerentur, si homo nulli legi obedire teneretur.

6. Dicebant Christum non esse confitendum, neque subeundum pro eo Martyrium. R. ex eo, quod dixit ipse Christus Matth. 11. ver. 22. & 33. Tum quia pro sustinendis patriis legibus, & jure Principis, homo licitè se exponit periculo mortis: ergo à fortiori pro defensione Christianæ Legis, & pro confessione Christi, licitum erit, imò sanctum subire martyrium. De sanctitate martyrii agetur verbo *Elchezaitæ*.

7. Ejiciebant à sua Ecclesia eos, quos deprehendebant in delicto. R. ab eo qui venit vocare peccatores, salvum facere quod perierat; sed nullatenus hoc esset verum, si peccatores ejiciendi essent ab Ecclesia. Tum quia esset desperata peccatorum salus. Agit de Adamæis S. Epiph. hæref. 52.

XV. Adamitæ Recentiores, Infamem Adamitarum sectam renovavit quidam nomine Piccardus anno 1420. oriundus ex Gallia Belgica, qui per Germaniam, & Bohemiam discurrens, plures habuit sectatores, quos nudos sive mares, sive fœminas incedere volebat; eum adhibant suæ sectæ sequace, qui quotiès libidine incensi aliquam concupiebant, ipsa ad Piccardum deducta, eidem exponebant sub hac formula petitionem: *In hanc spiritus meus concaluit*, responsum accipientes: *Ite, crescite, & multiplicamini*, quo ritu observato, licitum erat cuicumque hujus infamis sectæ viro, ad quamcumque mulierem introire; Tantam impietatem ægrè

ægrè ferentes etiam sceleſtiſſimi viri, factum eſt, ut Ziſca ducto in Adamitas exercitu, omnes trucidaverit. Porrò adeo creverat Piccardi dementia, unà cum ſcelere, ut ſe Deum eſſe jactaret, & perditionis filios eſſe affereret, quotquot ſuæ infami ſectæ non adhærebant. Veterum Adamitarum imitatores viſi iterum ſunt incedere per Hollandiam anno 1535. nudi per arva, & hortos aberrantes, mox arbores conſcedentes, ibique ſed fruſtrà panem expectantes. Nunc omnino repreſſa adeo infamis hæreſis creditur, quam renovare tentaverant quidam, qui prodierunt ex ſecta Lutheri, quorum Coriphæum ſeſe conſtituerat Adam Paſtor, ut refert Lindanus. De Adamitis recentioribus agit Æneas Silvius in Hiſt. Bohem.

XVI. ADAMUS dictus Reiſnerus libro germanico ab ipſo edito.

Dixit, quod Chriſtus naſcendo aperuit Virginis uterum. R. ex Ezechiele cap. 44. ver. 2. *Porta hæc clauſa erit, non aperietur*, quæ verba S. Ambroſius, & S. Hieronymus exponunt, & interpretantur de Maria Virgine, cujus uterum Chriſtum naſcendo non aperuiſſe colligitur ex pluribus Conciliis, in quibus Virginis Mariæ integritas commendatur, & præcipuè ex Concilio Lateran. ſub Martino Quinto Can. 3. De Reiſner. agit Coccius.

I. ADECERDITÆ quo tempore fuerint, compertum non eſt. Aſſerebant Chriſto deſcendenti ad inferos, omnes animas obviam factas crediſſe ei, & liberatas eſſe. R. nam nomine inferi ad quem deſcendit Chriſtus, venit Limbus, non verò Infernus, in quo erant damnati: & ibi Chriſtus liberavit ſolùm illos, qui mortui ſunt in ſpe futuræ redemptionis, faciendæ per venturum Meſſiam, qui fuerunt Sancti Patres, ſicut Deus ipſe prædixerat ſe facturum Eccleſiaſ. cap. 24. ver. 45. *Penetrabo inferiores partes terræ, inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino*; ex quo Textu patet liberaſſe ſolùm ſperantes in Domino; ſed animæ damnatorum non ſperant in Domino. Vide verbo *Joan: Præmonſtraten.*

IV. ADELPHIUS fuit natione Galata, ut refert Flavianus Epiſcopus Antiochenus, qui ejuſdem Adelphii impietatem detexit. In Concilio Sydæ habito adverſus Maſſalianos, Adelphius non eſt admiſſus, quia ſimulatè ſe velle converti ad pœnitentiam aſſerebat, cujus ſimulatio Patribus Sydæ congregatis optimè erat comperta. Fuit autem Adelphius unus ex Principibus ſectæ Maſſalianæ ſeculo 4. ex Nicef. lib 11. cap. 14.

Dixit orationem ſolam ſufficere ad conſequendam vitam æternam, proinde docuit, eum qui orat non poſſe damnari; etiam remotis Sacramentis, & ſpretis Dei, & Eccleſiæ mandatis; quiſquis ille ſit, vel Judæus, vel Infidelis, vel Hæreticus, vel Peccator, ac ſi ſola oratio haberet virtutem delendi omnia peccata. R. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: ergo non ſufficit ad ſalutem ſola oratio, ſed inſuper requiritur mandatorum obſervantia, & bonorum operum poſitio; quod conſtat ex prima Petri: *Satagite ut per veſtra bona opera, certam veſtram vocationem, & electionem faciatis*. Inſuper certum eſt neminem poſſe ſalvari ſine Baptiſmo: ergo non ſufficit ſola oratio; & licèt legatur Luc. 18. ver. 1. *Oportet vos ſemper orare*, hinc non evincitur, quod homo debeat ſemper orationi vacare, hoc enim eſt impoſſibile, cum plura alia teneatur homo agere. Sermo itaque eſt in præfato Textu de continua oratione in affectu; & certè ſi ſermo eſſet de oratione in re, numquam eſſet licitum dormire, manducare &c.

2. Dixit Euchariſtiam nihil prodeſſe, vel obeſſe dignè, vel indignè ſumentibus. R. illis omnibus rationibus, quibus evincitur Sacramenta conferre gratiam; maximè de Sacramento Euchariſtiæ, quantùm proſit dignè ſumentibus, patet ex Joan. *Qui manducat meam carnem habet vitam æternam*; quod noceat indignè ſumentibus teſtatur Paulus: *qui indignè manducat judicium ſibi manducat*. Vide verbo *Entuſiaſtæ*.

ADEMES. Vide verbo *Peraticus*.

XVI. ADESSENARII ſecta ſunt Lutherani rigidi, ſic dicti, quia circa ann. 1560. Dixe-

Dixerunt Corpus Christi adesse in Eucharistia; sed diversimodè: alii ex Adessenariis dixerunt esse sub pane: alii cum pane: alii circa panem: alii supra panem. R. quia nullum ex his dicendi modis consonum est verbis Christi dicentis: *Hoc est Corpus meum*; non enim vera esset hæc propositio: sive Corpus esset circa panem: sive cum pane: sive sub pane: sive supra panem, ut consideranti patet. Tum quia vera fit transubstantiatio in Eucharistia, ut definierunt Concilia, Romanum sub Nicolao Secundo; item Romanum sub Gregorio Septimo, Lateranense sub Innocentio Tertio; sed hoc non esset quando Corpus Christi esset in Eucharistia aliquo modo ex somniatis ab Adessenariis: ergo &c. De Adessenariis agit Prateolus.

XVI. Adiaphoristæ sunt Lutherani molles, iidem ac Melanctoniei, dicti Adiaphoristæ, quod idem significat ac indifferentes, qui confessionem Augustanam, Lutheri scripta, & ipsum *interim* Cæsareum multis in locis correxerunt, mutaverunt, suppleverunt: vel ut ipsorum Adversarii dicebant, verterunt, converterunt, perverterunt, everterunt; quorum præcipuum caput fuit Mathias Flaceus, qui vixit seculo decimo sexto.

Dicebant Ceremonias, & Constitutiones Ecclesiasticas fore inter indifferentias computandas, quæ vel observatæ, vel violatæ nihil nocent, vel prosunt, & possunt observari, vel violari absque salutis discrimine; quapropter pro bono pacis, quoscumque ritus in patria introductos, ad quos declinare contigerit, servandos esse docebant. Dicti sunt etiam *Interimistæ*, quia *Interim* Augustanum sectari voluerunt. R. quia posito Adiaphoristarum asserto, sequitur extra Ecclesiam posse hominem salutem consequi, & salvari in quacumque Religione; frustrà igitur venisset Christus Legem dare salutis. Tum quia standum esse Constitutionibus Ecclesiasticis, quæ fundantur in traditionibus Apostolicis, probatur ex secunda ad Thessalonicenses: *Fratres tenete traditiones quas accepistis*. Tum quia si præcepta Ecclesiastica essent indifferentia, superfluum fuisset Christum præcipere Baptismum, & illa omnia quæ in Lege Euangelica observanda ordinantur. Tum quia falsum est, pro bono pacis quemcumque ritum esse observandum; nam experientia constat, quod ubi non est unitas Religionis, ibi sunt rixæ, jurgia, & contentiones: sicut de facto contigit inter ipsos Lutheri sequaces, qui in plures sectas divisi, non modò procacibus verbis, sed etiam armis, magno populorum damno, se exagitarunt. Numquam erit invenire subditos concorditer fideles Principi, qui unicam religionem non custodiant.

2. Dicebant non esse licitum Christianos jurare. R. verbo *Catharistæ*. De Adiaphoristis agit Spond. an. 1548.

IV. Adilofagi. Probabile est vixisse tempore Sancti Augustini. Dixerunt Christianum ita cibum sumere non debere, ut ab aliis videatur, & hac sola de causa se ab Ecclesia separarunt. R. quia nullum hac de re extat præceptum in sacris paginis. Tum quia Christus discubuit in domo Pharisæi, ubi erant plures adstantes. Tum quia sequeretur, quod Christianus, qui ad plures dies semper esset hominibus circumstipatus, deberet fame perire. De Adilofagis agit Jacobus Sirmundus.

IV. Adimantius fuit unus in Schola Maniehæorum ex præcipuis discipulis, tempore D. Augustini, qui contra disputationes Adimantii scripsit librum unum, in quo Adimantii sophismata reprobantur. Scripserat Adimantius quasdam disputationes adversus Legem, & Prophetas, ut ostenderet Testamentum novum contrarium esse Testamento veteri, itaq;

Dicebat in Scriptura Sacra esse contradictiones. R. quia *Verbum Domini lucidum illuminans oculos*, ut ait Psalmista, non potest continere contradictiones. Tum quia certum est Scripturam Sacram dictatam esse à Spiritu Sancto, qui nullatenus esse potest contradictionibus obnoxius. Tum quia si quæ contradictiones esse videntur in Scriptura, non sunt formales, sed apparentes: sic in veteri Testamento permittitur aliquid, quod prohibetur in novo, sed hæc prohibitio non involvit contradictionem; plura enim quæ licebant in Lege veteri, nunc sunt illicita,

& è

& è converso: sic exigente bono regimine Ecclesiæ. Nonnullos sibi apparenter contradicentes Sacræ Scripturæ textus conciliatos exposuit Annatus in suo apparatu ad Theologiam positivam, ad quam Lector remittitur, ut ex his judicium faciat de cæteris.

IV. Adrumentini fuerunt quidam Monachi, sic dicti à loco quem inhabitabant Adrumentum nuncupato in Africa. Sedes ibi erat Episcopalis, suffraganea Episcopi Carthaginensis, ubique ann. 394. congregatum est Concilium. Porrò Adrumentini ex epist. 105 D. Augustini in recto sensu quo eamdem S. Augustinus scripserat, non intellecta, sed perperam accepta, in duas partes divisi sunt: alii nimis tribuebant gratiæ, alii totam gratiæ efficaciam negabant; sed S. Augustinus auditis hujusmodi dissidiis statim ad sanum intellectum, & ad pristinam concordiam eos revocavit, datis ad illos duabus epistolis, & scriptis hac de causa duobus libris, unum de gratia, alterum de correptione, quibus acceptis in unanimi, & sano sensu dict Monachi acquieverunt.

I. Aerarius dictus Alexander, ille est Pseudo-Apostolus, quem Paulus tradidit Satanæ unà cum Hymenæo, & Phileto; ut constat ex secunda ad Timoth. 2. Aerarius recta, & sana fide abnegata, multos ad suam sequelam trahere studuit in perditionem.

1. Dixit circumcisionem, & legalia fore servanda. Repr. nam de facto Legem veterem abrogatam fuisse quoad legalia, maximè quoad circumcisionem apertè constat ex ep. ad Galatas cap. 5. ver. 1. ad Heb. c. 7. ver. 12. Tum quia mutatio Legis quoad legalia prædicta fuit à Prophetis. Tum quia Christus est noster Legislator, & si Lex vetus obligaret, etiam Moyses esset promulgator Legis Christianorum. Tum quia omnes SS. Patres, qui fuerunt in Lege veteri, annuntiabant quod Lex Mosayca in adventu Messiæ cessare debebat: ergo cum Messias nunc venerit, non debet ampliùs obligare; nec valet dicere, quod Sacerdotium Legis veteris legitur in sacris paginis futurum sempiternum; nam dicitur sempiternum, quatenus erat figura Sacerdotii Legis novæ, non quod semper durare debuisset. Verum quidem est, quod Lex vetus, quoad præcepta moralia, quæ à Christo confirmata sunt, in Lege nova semper est duratura, & ideo dici potest sempiterna: non verò quoad legalia, quæ abrogata sunt. Vide *Abissini*.

2. Prædicabat resurrectionem jam esse factam. R. ex Euang. Joan. quod annunciat resurrectionem futuram in die Judicii. Tum quia omnes resurgere habent: sed si resurrectio jam esset facta, qui nascentur, non possent resurgere: ergo nondum est facta.

IV. Aeriani. Referente D. Augustino circa annum 340. ab Aerio, qui eo quod non potuerit Episcopatum Sebastæ in Armenia obtinere, apostatavit à fide, suam traxerunt originem. Aerius præter Arii errores, quos amplexatus est, nova figmenta proposuit, unde meritò inter capitalia Hereticorum monstra fuit computandus, qui ut consolaretur de non obtento Episcopatu, quem avidè nimis exoptabat.

1. Dixit Presbyterum ab Episcopo nullatenùs differre. R. ex epist. ad Titum cap. 1. ver. 1. ubi Paulus mandat Tito Episcopo Cretensi, ut constituat per Civitates Presbyteros: ergo Episcopus est major Presbytero, cum habeat potestatem constituendi Presbyteros. Cæterùm si Presbyteri essent pares Episcopis, tam Presbyteri possent constituere Episcopos, quàm Episcopi Presbyteros. Tum quia Episcopi destinati sunt specialiter regere Ecclesiam Dei, quod jus per se non competit simplici Presbytero. Tum quia omnis Clerus ab exordio Ecclesiæ semper detulit honores Episcopo. Tum quia si Episcopus non esset Superior Presbytero, omnis Clerus esset sine Capite, & posset unusquisque Presbyter pro libito in Diœcesibus dominium exercere. Tum quia ipsi Apostoli majores fuerunt dignitate septuaginta duobus discipulis; cæterum erat superfluum eligere discipulum, & hunc substituere in locum Judæ, si inter Apostolos, & discipulos non

non fuisset discrimen dignitatis: ex quo benè deducitur Episcopum esse majorem Presbytero. Ex locis Scripturæ, quæ solent ab Hæreticis in contrarium adduci, solùm evincitur, quod omnes Episcopi necessariò sint Presbyteri, non autem quod Presbyteri sint pares Episcopis in jurisdictione, & potestate ordinandi; licèt ipsis sint pares in potestate consecrandi Corpus Christi: qua de causa sæpè in sacris paginis fit mentio de Episcopis unà cum Presbyteris; cumque Presbyteri in primitiva Ecclesia ad solatium Episcoporum superintenderent gregi; hinc aliquando dicti sunt Episcopi, quatenus nomen Episcopi sonat nomen Superintendentis. Hunc errorem damnavit Concilium Hispalense Secundum cap.17. & Tridentinum sess. 23. Superest ad rem notandum, quod licèt Episcopi primis Ecclesiæ seculis etiam Superintendentes vocarentur, cum tamen apud plures novatores mos invaluerit, ut *Superintendentes* suos primarios Ministros vocarent, Ecclesia relicto novatoribus Superintendentis vocabulo, nonnisi Episcopos, Diœcesum Pastores, postmodum vocare consuevit.

2. Jejunia ab Ecclesia statuta damnans, jejunabat die Dominico, dicens jejunia esse exercenda pro cujuscumque arbitrio: negans Ecclesiam habere auctoritatem præcipiendi jejunia. R. nam jejunia, quæ præcipit Ecclesia sunt meritoria, non enim Ecclesia præcipit, nisi opera meritoria: ergo si sunt meritoria non sunt reprobanda, maximè cum plura observentur ex Institutione Apostolica: imò jejunium quadragesimale fuit à Christo observatum: ergo qui reprobat jejunia statuta ab Ecclesia, reprobat Christi, & Apostolorum Institutiones. Quod autem Ecclesia habeat auctoritatem præcipiendi jejunia, probatur; nam Ecclesia potest præcipere omnia, quæ novit expedire ad salutem animarum, hujusmodi sunt jejunia, quæ commendantur in sacris paginis, & à Sanctis Patribus, ergo &c. Tum quia si unusquisque pro libito deberet jejunare, non autem teneretur observare præcepta Ecclesiastica, Christiana Religio jam esset divisa per diversitatem rituum: Unusquisque esset sui Pastor, & Rector; nec esset benè ordinatum Ecclesiæ regimen, quod penderet ab uniuscujusque arbitrio: ergo est observandum jejunium, cum illud præcipit Ecclesia: quod utique est magis meritorium, quam voluntariè assumptum, quia *Melior est obedientia, quàm victima*. Insuper esse observanda jejunia, constat ex illo Matt.6. ver.17. ubi Christus docet quomodò jejunandum sit. Jejunium quadragesimale ex antiqua traditione scimus institutum fuisse ab Apostolis, quibus sicut & Ecclesiæ, dedit Christus auctoritatem suam, ut possent constituere, quæ magis expedire vidissent ad bonum Ecclesiæ; unde Luc.10. legitur: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*: ergo observandum est jejunium quando ab Ecclesia est præceptum, & abstinendum est à jejunio, secundùm Ecclesiæ Institutum, ex quo infertur nos non teneri ad jejunandum die Dominico, quandoquidem Ecclesia tali die prohibet jejunium: nec valet instare, quod cum jugum Christi suave sit, Ecclesia non debet gravare fideles jejunio; nam jejunare diebus ab Ecclesia præceptis, non est contra suavitatem Legis gratiæ, in qua præcipimur etiam facere pœnitentiam. Dicitur autem Lex gratiæ *onus leve*, quia faciliora, & efficaciora remedia instituit Deus per Sacramenta contra peccatum, à cujus servitute per Christum liberati sumus. Contra hanc hæresim stat Concilium Gangrense c.9. Viennense celebratum sub Clemente Quinto.

3. Suffragia pro Defunctis irridebat, nullam tribuens virtutem Sacrificio. R. & quidem ex Sac. Scripturis lib.2. Machab. cap.12. ver.43. quod si Aerius benè, & religiosè cum Machabæo cogitaret, non improbaret suffragia pro Defunctis; consuetudo orandi pro Defunctis, viguit etiam tempore Apostolorum, & deducitur ex epist. ad Cor. 1. cap. 15. vers.29. Tum quia Defuncti, qui sunt in Purgatorio, sunt membra Ecclesiæ: ergo debent posse participare de bonis Ecclesiæ, scilicet de orationibus, & suffragiis,

quæ

quæ pro illis exhibentur. Tum quia auctoritas Ecclesiæ invenitur in Inferno, ubi ligat damnatos, in Paradiso, ubi communicat cum Sanctis, & applicat merita Sanctorum, aperit Paradisi januam, in fide quam docet morientibus: ergo debet etiam inveniri in Purgatorio, ubi refrigerat Purgantes mediis orationibus, & suffragiis: nec valet dicere animas in alia vita non esse capaces meriti, ergo neque satisfactionis; nam ad meritum requiritur libertas, ad satisfactionem sufficit toleratio pœnæ inflictæ à Judice, vel ejusdem redemptio, media alia satisfactione approbata à Judice.

4. Renunciationem omnium rerum prædicabat. R. Sancti Apostoli habebant loculos; nec Deus prohibuit Christianis possessionem bonorum temporalium; prohibuit quidem erga ipsa bona inordinatum affectum. Quod si Deus præcipit eleemosynam, utique non præcipit renunciationem bonorum temporalium, cum solùm ab his qui bona possident, possit eleemosyna exerceri. Hæc propositio, quod non liceat ad consequendam salutem bona temporalia possidere, damnata fuit à Bonifacio Octavo contra Fraticellos. Textus autem Sac. Scripturæ, ex quibus deducunt hæretici, non esse licitam possessionem bonorum temporalium, sunt consilium, non præceptum, & interpretandi sunt de nimio affectu, non de honesta possessione.

5. Celebrationem Paschatis reprobabat dicens, quod celebrare Pascha erat judaizare. R. nam non celebrat Ecclesia Pascha more Judæorum, neque in memoriam liberationis à captivitate Pharaonis, ut ipsi faciebant, sed celebrat in memoriam Resurrectionis, & Institutionis Cœnæ Domini: ergo celebrare Pascha non est judaizare. Tum quia celebratio Paschatis instituta est ab Apostolis, non à Judæis. Decretum de celebratione Paschatis die Dominico promulgatum fuit à Victore hujus nominis Papa Primo ann. 196.

6. Damnabat nuptias, quæ ex Lege fiunt. R. verbo *Græci*.

XVI. Aeriani Novi, sunt Lutherani rigidi, qui circa annum 1546. didicerunt à Brentio, antiqui Aerii aliquos renovare errores. De his agit Gravina in tab. analit.

1. Negant Sacrificium esse pro defunctis offerendum. R. quia Sacrificia Legis scriptæ, quæ erant umbra Legis gratiæ, proficiebant illis, pro quibus offerebantur, qua de causa Judas Machabæus misit offerri Sacrificium pro defunctis. Item ex Apost. ad Corint. 1. cap. 3. vers. 12. cujus auctoritate Concilium Florentinum, & communiter Patres tam Græci, quàm Latini utuntur in præsenti materia: ergo per Sacrificii oblationem remittuntur peccata, ergo Sacrificium prodest defunctis in Purgatorio existentibus, qui in tantum non introducuntur ad gloriam, quia debent expiare sordes peccatorum. Tum quia in hac vita Sanguis Christi applicatur animabus, quæ indigent meritis Christi, ut possint obtinere salutem: ergo debet etiam posse applicari pro animabus existentibus in Purgatorio: maximè cum sit magis consonum Divinæ misericordiæ, quæ sibi complacet recipere orationes, & suffragia, quæ hic offeruntur pro defunctis ad eorum expiationem; & certè si nullum esset remedium, quo possent adjuvari Animæ purgantes, quodammodo videretur Deus nimis sævire in Animas, quas elegit suæ gloriæ consortes: esto quod non possint admitti nisi depuratæ, debebat tamen Divina misericordia remedium opportunum ad illas citò depurandas providere, sicut de facto providit, nempè orationes, & sacrificia ad hunc effectum oblata à fidelibus. Orationes, & Sacrificia pro defunctis stabilierunt plura Concilia. Nicænum primum Canon. 65. Carthaginense tertium Canon. 29. Toletanum secundum Canon. 12. & plura alia. Vide quæ dicta sunt contra Aerianos antiquos.

II. Aeschines fuit sectator Montani, hunc Aeschinem scriptis exagitavit Tertullianus. Vixit circa finem secundi seculi: reprobanda ejus dogmata verbo *Montanus*.

IV. Aetiani ab Aetio circa annum Christi 353. traxerunt originem, cui cum satis non esset Arii prædicare errores,

res, alia figmenta divulgabat quærens si posset etiam supra Arium se extollere, & plures habere sequaces (ait S. Epiph. hær.76.) Aetiani dicti sunt etiam *Eunomiani*, quia cum Eunomius Aetii scriba fuerit, ejusdem potatus erroribus, illos promulgare studuit. Dicti sunt etiam *Anomi*, quia sine lege certa viventes, sive ut aliis placet *Anomæi*, idest dissimiles, quia Filium in Divinis dissimilem Patri quoad essentiam asserebant. Aetius natione Syrus perspicacissimi ingenii, sed ex vili gente progenitus, vilibus etiam muneribus animum applicuit, quibus victitando plures Provincias peragravit. Anazarbi in Cilicia grammaticæ studuit, ubi ab Athanasio Ariano, præfatæ Civitatis Episcopo receptus, & hinc Tarsum profectus, postea Antiochiam, unde fuit expulsus, se contulit; Ciliciam reversus, cum Borborianis hæreticis disputationem habuit, postmodum Alexandriæ ab Aristotelico hæretico edoctus, contra Verbum Divinum, & Spiritum Sanctum suos evomuit errores. Galli Cæsaris gratiam consequtus, à Leontio Episcopo Antiocheno suæ Ecclesiæ Diaconus ordinatus, statim fuit à Diaconatu depositus; quapropter apud Alexandrum Episcopum diversatus, ibidem Diaconi munus iterum exercuit; sed Imperatoris Galli Cæsaris jussu in exilium pulsus, iterum in Concilio Constantinopolitano anno 360. depositus fuit. Deinde à Juliano Apostata revocatus, & honoribus publicis cumulatus, mortuo Juliano ejus protectore, iterum sub Valente Imperatore condemnationem subiit; plures errores docens, à diversitate errorum diversis nominibus in suis Sectatoribus est nuncupatus, qui non modò *Aetiani*, *Eunomiani*, *Anomæi* sunt dicti, sed etiam *Exocontiani*, *Troglitæ*, *Troglodita*, quia in locis subterraneis conveniebant vocabantur, sic refert Theodoretus.

1. Dixit nullam omnino, ne quidem virtualem, & rationis ratiocinatæ distinctionem dari in Deo: quæ sententia ex duplici alio illius errore sequitur; cum enim ille, ex una parte assereret se plenam Dei habere notitiam, & quidem tantam, quantam ipse Deus habet, & ex altera negaret Christum esse verum Deum, ad utrumque impietatis caput propugnandum, maximè opportunum credidit, si omnem penitùs à Deo distinctionem excluderet. Repr. manifesta ratione; quia ea virtualiter distinguuntur, quæ tametsi unam, & simplicissimam habeant entitatem, multis tamen distinctis, ob naturæ suæ præstantiam, & excellentiam æquivalent, ac diversos effectus producunt, unde menti nostræ fundamentum, & caussam præbent diversorum conceptuum: atqui essentia Dei cum attributis comparata, & attributa ad se invicem, unam habent & quidem simplicissimam entitatem, atque ob naturæ suæ præstantiam, & excellentiam, pluribus distinctis æquivalent, unde eadem simplex, & infinita entitas Divinæ substantiæ, prout absoluta communicatur, prout relativa non communicatur; ergo &c. Hinc patet primò, distinctionis virtualis fundamentum duplex esse, unum ex parte Dei, scilicet summam, & infinitam ejus perfectionem, alterum ex parte nostri, mentis scilicet nostræ tenuem, ac finitam capacitatem, qua fit ut uno, & simplici conceptu, omnes Dei perfectiones percipere non valeamus. Patet secundò distinctionem virtualem, prout fundamentum habet in re ipsa, dici posse realem virtualem; quatenùs verò est ex parte intellectus, dici posse formalem per intellectum.

2. Dixit Filium, & Spiritum Sanctum esse creaturas. R. & quidem Divinitas Filii Dei, verbo *Achillas* comprobata est. Divinitas Spiritus Sancti etiam comprobatur à Scriptura; in actibus Apostolorum5. Spiritus Sanctus vocatur Deus: *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, non es mentitus hominibus, sed Deo*. Insuper attributa Divina immensitatis, misericordiæ, æternitatis, tribuuntur in Scriptura Spiritui Sancto, in cujus nomine etiam Baptisma confertur. Spiritus Sanctus est unum cum Patre, & Filio, Jo: epist.1. cap.5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*, non in unitate Personæ, ergo in uni-

in unitate essentiæ. Hæc veritas in pluribus Conciliis est declarata, nempè Constantinopolitano primo, & secundo. Romano sub Damaso Papa. Tum quia si Spiritus Sanctus est creatura, ergo poterit desinere esse, & sic poterit variari mysterium Trinitatis; imò dicendum foret pura esse somnia, quod prævio Sacræ Scripturæ lumine de tanto mysterio credit Ecclesia. Certè nonnisi novus Aetius poterit similia somniari. Quomodò erit creatura, qui est Creator, de quo legitur psalm. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

3. Nullum scelus credebat esse peccatum. R. Deus justus irascitur supra peccatores, minitatur ignem æternum peccatoribus, qui non observant suam legem: ergo inobservantia legis est peccatum. Tum quia si nullum scelus esset peccatum, ergo nullum erit judicium pro sceleribus puniendis, ergo non debet destinare Deus flammis peccatores: frustrà orabat David: *Averte faciem tuam à peccatis meis*, frustrà precabatur veniam; veniam enim non precamur, nisi propter offensam illatam. Demum si nullum scelus est peccatum, non debent constitui pœnæ homicidis, furibus, perjuris, quas tamen non modò justitia Divina, sed etiam humana decernit: & licitum erit furari, occidere &c. quia quidquid non est peccatum, impunè committitur. Hæc & similia absurda ex Aetii sententia sequerentur.

4. Dixit fidem sine operibus salvare. Repr. Deus in sacris paginis præter fidem, vult, & præcipit opera, unde Apostolus ait: *Docete omnes gentes baptizantes &c. docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*; sed si sola fides salvaret, sufficiebat Christum præcipere Apostolis ut docerent omnes servare solam fidem; sed satis clamant sacræ paginæ contra Aetium, quod fides sine operibus mortua est: unde prima ad Corinth. cap. 13. ait Apostolus: *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Necessitatem operum ad salutem suadet David psalm. 14. *Domine quis habitabit &c.* Certè si opera non essent necessaria ad salutem, dicendum foret, quod illam æqualiter consequeretur Christianus, qui sceleratè viveret, quàm qui esset exercitiis pietatis addictus, quod patet quàm sit erroneum dicere. Unde Christus adolescenti petenti quid faciendum esset ad obtinendam salutem, respondit Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Non autem dixit simpliciter *Crede*. Textus Scripturæ, ex quibus intendunt evincere hæretici, sola fide hominem justificari, quia in dictis textibus de sola fide fit mentio, significant quidem fidem esse necessariam ad justificationem, non autem probant solam fidem sufficere; qui enim dicit Architectum construxisse domum, non negat etiam alios Artifices concurrisse ad fabricam domus; & certè si sola fides justificaret, cum peccator habeat fidem, frustrà ad justificationem peccatorum Christus instituisset Sacramentum Pœnitentiæ.

5. Baptizabat in nomine Dei increati, Filii creati, & Spiritus Sancti creativi. Repr. Forma Sacramenti Baptismi expressis verbis habetur in Euangelio, ubi Christus præcepit Apostolis baptizare *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Sanctus Bernardus epist. 340. ostendit Baptismum absolutè conferendum sub forma præscripta ab Ecclesia, reprobans illos, *qui sua temeritate contra formam Ecclesiæ novum baptizandi vellent inducere morem*. Insuper Baptismum esse conferendum sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, definitum est in Concilio Lateranensi cap. firmiter. Demum Filius in Divinis non est creatura, sed Deus: ergo non tenet Baptismus collatus in nomine Filii creati.

6. Antiquitati, Christianorumque multitudini nihil conferebat. R. Si nihil conferendum esset antiquitati Ecclesiasticæ: ergo nihil à fortiori antiquitati sæculari, & sic corruerent omnes historiæ, etiam nulla subsisteret rerum præteritarum narratio. Adde, quod antiquitas Ecclesiastica innititur verbo Dei infallibili, de aure in aurem per Apostolos ad nos derivato. De-

mum temeritas est nihil conferre multitudini Christianorum, & velle dissentire ab illis principiis, in quibus ab adventu Christi, usque ad hæc tempora consentit Ecclesia, in qua fuerunt tot Sancti, tot Reges, tot Doctores, tot Viri omni exceptione majores, qui sine ulla contrarietate antiquitati Christianæ adhæserunt.

IV. Agapetæ ab Agapeta muliere hispana, & ab illius viro Elphidio circa finem seculi quarti originem habuerunt. De his agit D. Hier. lib. de custod. virg.

1. Connubia abhorrebant. R. à suis Institutoribus, isti siquidem erant conjugati. Vide verbo *Adamitæ*.

2. Jejunia contemnebant. Repr. Matth. 6. vers. 17. ubi Christus docuit quomodò jejunandum sit: *Tu autem cum jejunas unge caput tuum ... & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*; ex quo infertur, quod si jejunium esset contemptibile, nec Christus docuisset modum jejunandi, nec promisisset retributionem jejunantibus. Insuper jejunium producit sanctos, & mirabiles effectus, ejicit siquidem dœmonia, unde Christus ad Apostolos: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in jejunio*; ergo jejunium est res sancta, cujus mirabiles effectus commendant SS. Patres, & de quo Psalmista ait: *Operui in jejunio animam meam*, & exemplo Ninivitarum, constat jejunium placare iram Dei.

3. Ab escis abstinebant. R. verbo *Abstinentes*.

III. Agapetæ alii. Dicti fuerunt Agapetæ quidam falsi Monachi, qui cum virginibus habitabant sub specie puræ dilectionis, unde Agapetæ nuncupati sunt, contra quos multa carmina scripsit Nazianzenus, quorum execrandum contubernium damnavit S. Cyprianus: propè hæc tempora fervebat hic execrabilis usus. Ex S. Epiphan. hæref. 78.

Dicebant itaque posse liberè Monachum cum virgine cohabitare, absque continentiæ detrimento, & suam opinionem firmabant illis verbis primæ ad Cor. cap. 9. *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & reliqui Apostoli*. Ex quibus verbis perperam intellectis, deducebant licitum esse continentiam profitenti habitare cum virgine non tamquam muliere, sed tamquam sorore, ad fovendam charitatem animorum. R. ex Euangelio Luc. cap. 9. ubi Christus cum dixisset ad aliquem *Sequere me*, ille dixit, *Domine permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum*, dixit ei Jesus, *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos*. Item ibidem Christus alicui ipsum sic allocuto: *Sequar te Domine, sed permitte mihi primùm renuntiare his quæ domui sunt*, ait ad eum Jesus *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei*. Si ergo Christus ad sui sequelam, & ad regnum Dei consequendum ineptos judicavit, volentes priùs sepelire patrem, rebusque familiaribus providere, quantò magis illicitum erit Monacho, qui mundo valedixit, habitare cum virgine tamquam cum sorore, quod esset periculum evidens violandæ castitatis? *Qui enim amat periculum peribit in illo*, ut ait Ecclesiasticus cap. 3. Quod si quæras cur Apostoli habuerint potestatem circumducendi mulieres tamquam sorores, ut ait D. Paulus? respondeo cum D. Hieronymo lib. 1. contra Jovinianum cap. 14. Apostolum loqui de sanctis quibusdam mulieribus, quæ juxtà morem judaicum Apostolis de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi Domino factitatum Matth. 27. *Erant autem ibi mulieres, quæ secutæ erant Jesum à Galilæa, ministrantes ei*; quod nulli potuit esse occasio scandali, maximè cum ab Apostolis, viris perfectioni addictis, assumptæ fuerint ad hujusmodi ministerium mulieres, quarum castitas cum pietate conjuncta, adeò nota erat, ac probata, ut omnem excluderent incontinentiæ suspicionem. Certum est cordatiores viros habere tamquam purum figmentum, dari posse inter personas utriusque sexus cum frequenti, familiari, ac libera conviventia amorem platonicum, quomodò ergo sine periculo incontinentiæ posset homo cohabitare cum virgine? sed in morali canone lex est irrefragabilis, omnino fugendam proximam occasionem peccati.

VII. Aga-

VII. Agareni sic voluerunt nominari, desumpto nomine ab Agar ancilla Abrahæ, circa medium seculi septimi, teste S.Petro Paschasio lib. contra sectam Mauum. cap. 8. Isti repudiato Euangelio, quod eorum patres jam per aliqua secula profitebantur, secuti sunt Alcoranum; aliqui sentiunt non ab Agar ancilla Abrahæ dictos esse Agarenos, sed potius hos Hæreticos residuum germen Agarenorum fuisse, de quibus etiam David in psalmis mentionem facit.

1. Dicebant Deum non posse habere filium quoniam uxorem non habet. R. ex sacris paginis, ubi generatio æterna Verbi apertè innotescit; item ex Symbolo Nicæno; & utique habere nequit filium corporeum, qui purus spiritus est, æternus, immutabilis, incomprehensibilis, immensus. Generatio autem æterna Verbi, quæ est à Deo incomprehensibili, percipi non potest ab imbecillitate intellectus humani, qui neque suam generationem distinctè novit discernere, neque valet discutere tot mirabilia, quæ quotidie videt & palpat; quomodò ergo audeat scrutari mysterium incomprehensibile? *Generationem Verbi quis enarrabit?* Habet ergo Deus Filium, qui dat omnibus fœcunditatem: sed *Deum de Deo, lumen de lumine, consubstantialem Patri*. Et si Deus non generaret esset sine fœcunditate, & consequenter esset imperfectus; nec esset Deus, qui omnes perfectiones in se continet depuratas; ideo generat, sed sinè adminiculo corporis, per solam sui intellectus fœcunditatem, in unico Filio perfectissimo ab æterno generato absorptam, per sacras paginas revelatum in lege gratiæ, cui solùm hoc privilegium concessum.

2. Dicunt Christum non fuisse crucifixum, sed alium hominem Christo simillimum. R. à Concilio Nicæno, ubi legimus Christum crucifixum pro nobis, à Concilio Ephes. can. 12. Insuper Judæi, interrogante Pilato, *Quid faciam de Jesu?* Responderunt *crucifigatur*; non autem alium petierunt, qui vice Christi crucifigeretur. Paulus Christum, non alium pro Christo fuisse crucifixum expressè asserit, ad Cor. cap. 1. & 2. *Prædicamus Christum crucifixum. Nihil judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum.* Nec valet dicere, quod cum legatur Deutor. 21. *Maledictus à Deo qui pendet in ligno*. Christus non potuit à Deo maledici, ergo non fuit crucifixus; quia utique Christus fuit semper benedictus à Patre, sed factus est maledictus non in se, sed quia pro maledictis pœnam sustinuit. Demum Centurio, & qui cum eo erant, viso terræmotu exclamaverunt, Matth. 26. *Verè filius Dei erat iste*; si verè filius Dei, ergo Christus erat.

VI. Agelanes secta Arianus, missus à Leovigildo Rege Legatus ad Chilpericum, in viâ Sanctum Gregorium Turonensem ad disputandum provocavit, à quo confunditur. Hujus disputationis seriem refert Baronius anno 583. sed Deo dante, cum in Hispaniam reversus fuisset, infirmitate percussus ad veræ Religionis gremium iterum rediit, extra quod

Dicebat fuisse iniquam Episcoporum sententiam illam, qua Filius æqualis Patri asserebatur. R. nam si iniqua esset hæc sententia, etiam iniqua essent illa Christi verba, quæ leguntur Jo: 10. *Ego & Pater unum sumus*; sed hoc asserere iniquum est: ergo est æqualis Patri. Antecedens constat tum ex allato textu, tum ex hoc Jo: 17. vers. 11. *Pater Sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos*, tum ex illo Jo: cap. 14. vers. 19. *Qui videt me, videt & Patrem meum*. Tum quia sententia in qua Filius declaratur æqualis Patri, promulgata est à Concilio Nicæno, in quo fuerunt Sanctissimi Viri: ergo non potest esse nisi Sanctissima. Dicunt Hæretici, ex allatis textibus evinci quidem, Filium esse unum cum Patre in concordia voluntatum, non autem evinci esse unum in natura cum Patre: quod probant ex eo quod legitur *Filium facere voluntatem Patris*, ex quo arguunt: si Filius esset unus in natura

tura cum Patre, diceret se facere voluntatem suam, non voluntatem Patris: sed nihil valet hic ratiocinandi modus hæreticorum, quandoquidem constat, quod ubi Christus dixit *se facere voluntatem Patris*, loquebatur de voluntate humana, secundùm quam obtemperabat Divinæ; sed de his fusiùs verbo *Arius*: Præter ea, quæ jam dicta sunt contra Acacianos, & Aerianos.

IV. Agelius, secta Novatianus, sedit in Episcopatu Constantinopolitano ad annos sexaginta: gravi utique illius Ecclesiæ detrimento, quo tanto tempore Patriarcham hæreticum sustinuit, currente seculo quarto. Ex Baron.

IV. Agiomachi. Impugnatores cultus Sanctorum, dicti fuerunt Agiomachi, quos reprobat S. Epiphanius, ubi agit de vita Sanctorum Prophetarum. R. verbo *Beza*.

IV. Aginenses, circa finem seculi sexti, renovarunt errorem Adamitarum, quoad reprobandum matrimonium; verbo *Adamitæ* satis convicti. Quoad abstinentiam à cibis conveniebant cum Abstinentibus. Vide verbo *Abstinentes*. Habebant insuper alios errores desumptos à Tatianitis, Encratitis, & Manichæis, quorum falsa dogmata sequebantur.

VIII. Agionichitæ fuerunt hæretici octavi seculi. Hoc nomen est privativum, & exprimit repugnantiam, quam habebant dicti hæretici, ad inclinationes, & genuflexiones faciendas, quare semper stantes, nunquam verò genuflexi orabant. R. ex D. Paulo ad Rom. 4. vers. 11. ad Ephes. 3. vers. 14. ad Philip. 2. vers. 10. R. etiam exemplo Christi, qui orans in horto, procidit in faciem suam. Tum quia nullibi legitur, quod stantes orare debeamus: licèt etiam stando bonum sit orare, imò & sedendo, cum genuflectere non possumus; cæterùm si in signum submissionis ante Reges, cum illos supplices alloquimur, genuflectimus; hoc obsequium à fortiori præstandum est, cum Deum alloquimur, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium. Agit de Agionichit. S. Jo: Damascen.

IV. Agnoetæ sunt in duplici genere, nec confundendi, sicut facit Baronius, diverso enim tempore, sub diverso Duce, diversos professi sunt errores. Primi, de quibus hic agimus, Teophronii Capadocis sequebantur placita, qui Teophronius Eunomio se comitem adjunxerat. Isti Agnoetæ insurrexerunt circa annum 370. sub Imperio Valentis, & Pontificatu Damasi. Ab Eunomianis, Teophronii novam doctrinam indignè ferentibus, fuit Teophronius expulsus, ex quo nomine, sectæ se Caput constituit, cujus sectatores, etiam *Eunomiophronenses* dicti fuerunt, quia partim Eunomii, partim Teophronii sequebantur errores; inter quos Teophronius multiplicem in Deo scientiam afferebat, mutationi obnoxiam: at quomodo poterit mutationi subesse scientia necessariò infinita, qua Deus expers esse nullatenus potest?

Dicebant Baptismum conferri debere in solo nomine Jesu Christi, non in nomine Trinitatis, scilicet excluso nomine Patris, & Spiritus Sancti. R. ex Euang. in quo formam baptismi expressè Christus tradidit Apostolis: *Euntes docete; baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & ubi habetur expressa forma Sacramenti tradita à Christo, debet inviolatus litteræ tenor observari, cum nemo, præter Christum, auctoritatem habeat instituendi Sacramenta; & licèt Apostoli initio Ecclesiæ baptizaverint in nomine Christi, ut Christi nomen magis innotesceret; mentionem tamen expressam faciebant Sanctissimæ Trinitatis de quà Concil. Florentin. & Tridentin. statuerunt in Baptismo fieri debere expressam mentionem.

2. Dicebant Deum non habere scientiam essentialem, & immutabilem, sed per reminiscentiam præterita scire, & conjecturaliter futura. Repr. Deus scientiarum Dominus, non indiget nec memoriæ, nec conjecturarum adminiculo ad habendam scientiam rerum, cui omnia, tam præterita, quàm futura, semper

per præsentia sunt. Tum quia memoria, in sensu in quo loquuntur hæretici, est potentia materialis, quæ non potest reperiri in Deo, & est obnoxia errori, qui in Deo esse non potest; scire autem res præteritas adminiculo memoriæ, arguit imperfectionem, sicut etiam scire futura conjecturaliter. Tum quia scientia conjecturalis subjectiva, de qua agitur in præsenti, non est scientia certa, infallibilis: ergo scientia certa, & infallibilis qualis est scientia Dei non potest esse conjecturalis. Arguunt hæretici Deum per memoriam scire præterita, & conjecturaliter futura, quia simili loquendi modo utitur Deus in Scripturis. R. quia hoc Deus facit, ut se conformet imbecillitati nostræ, & captui nostro, ut erudiri possimus per Scripturas, quas pluribus in locis non intelligeremus, si extra nostrum concipiendi modum exprimerent mirabilia Dei. De his agit Nicef. lib. 12.

VI. Agnoetæ alii, prodierunt à Themistio Diacono Alexandrino, circa medium seculi sexti, unde etiam Themistiani dicti sunt: Agnoetarum errorem confutavit Eulogius Patriarcha Alexandrinus. Dicti sunt Agnoetæ ad exprimendam eorum ignorantiam, quam satis ostendebant, dum Christum plura ignorare blaterabant.

Dixerunt Christum degentem in terris, non habuisse scientiam infusam, sed solùm cognitionem eorum, quam habent cæteri homines, & præcipuè ignorasse diem Judicii. Repr. ad Colos.2. legimus, quod in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Insuper ex sacris paginis constat, quod Christus sciebat internas hominum cogitationes, sic Matth.27. ver.14. dixit Petro: *Antequam gallus cantet, ter me negabis*. Tum quia cum in Christo sit communicatio idiomatum, scientiam habere debuit Divinam ex instanti suæ conceptionis, quam mirati sunt ipsi Judæi Jo: 7. *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Necessaria insuper erat in Christo supereminens cognitio, ad ministerium suum adimplendum. Quod autem habuerit cognitionem de die Judicii, probatur, quia habuit scientiam Divinam; veritatem hanc ipse perhibuit dicens Jo: 7. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Nec valet objicere Christum sæpè interrogasse, ut veniret in cognitionem rerum. Sic Jo: 12. legitur: *Simon diligis me?* Has enim interrogationes fecit Christus, non quod ipsi deesset cognitio, sed ut accenderet in Petro amorem, vel ut excitaret interrogatos ad vivam fidem, vel ut discipulos humano modo instrueret, & eorum captui se accomodaret; ex quibus si aliquid evinceretur, dicendum esset, etiam Deum habere cognitionem finitam, cum etiam dixerit: *Adam ubi es?* & ad Cain: *Ubi est Abel frater tuus?* Hoc enim modo locutus est Deus, non ut interrogaret, quasi nesciens, sed ut ad confusionem peccatorum suorum excitaret Adam, & Cain: ad illud quod legitur Matth. 24. *De die illa nemo scit, nisi solus Pater*, & Marci 13. *De die illo nemo scit, neque Filius, nisi Pater*. Hoc modo se expressit Christus, non quod ignoraret diem Judicii, sed quia dignis de causis noluit revelare Apostolis, quorum non erat nosse tempora, quæ Pater posuit in sua potestate. Ideo ne ulteriùs interrogarent Apostoli de die illa, dixit Christus, quod *De die illa nemo scit*, idest, nullus purus homo, neque Angelus, imò neque Christus ipse precisè ratione humanitatis, scit determinatum diem à Deo, pro extrema discussione constitutum.

IV. Agonistici. Vide *Circoncelliones*.

III. Agrippinus Episcopus Carthaginensis circa annum 214. Carthagine Concilium habuit, in quo decrevit rebaptizandos hæreticos, qui veram religionem amplexabantur. De Agrippino agit S. Cyprianus ep. 71. & 72.

1. Dixit rebaptizandos jam baptizatos ab hæreticis, si ad Ecclesiam accessissent. R. quia in Sacramento Baptismi Minister est causa secundaria, & Christus causa primaria, qui baptizat interiùs; ideò in Sacramento, non attenditur probitas Ministri, ut suum sortiatur effectum; ergo dummodò Minister faciat secun-

secundùm ritum Ecclesiæ, & cum debita intentione, etiamsi sit hæreticus, benè baptizat, sicut Sacerdos legitimè ordinatus, benè consecrat; & sicut hæresis non tollit potestatem collatam Sacerdoti, ita neque debet invalidare Baptismum ab hæretico collatum. De non reiterando Baptismo collato ab hæretico, definivit Concilium Nicænum primum, Arelatense primum, Florentinum, & alia. Tum quia Ecclesia confitetur unum Baptisma. Tum quia reiterare Baptismum est contra finem institutionis Baptismi, qui confertur ad delendam culpam originalem; ergo hac semel deleta, non potest reiterari. Tum quia Baptismus est regeneratio spiritualis, & sicut semel nascimur, sic semel tantùm possumus regenerari per Baptismum.

2. Docuit etiam reiterandam Confirmationem, & in hac sententia fuerunt, quotquot sustinuerunt reiterationem Baptismi. R. ex Concilio Florentino in Decreto unionis, & Tridentin. sess. 7. de Sacram. Can. 9. Tum quia eadem est ratio de Confirmatione, ac de Baptismo, quia Confirmatio imprimit characterem æque ac Baptismus, ut omnes Sancti Patres consentiunt: unde Apostolus ad Hebræos 6. vers. 1. & 2. tam Baptismum, quàm Confirmationem, non esse reiterandam innuit. Tum quia ex fine institutionis hujus Sacramenti, etiam constat non esse reiterandam Confirmationem, per quam homo specialiter armatur ad resistendum contra persecutores, & tentationes in materia Fidei.

IV. AIRANI. Fuit eorum Dux Airas circa annum 370. mentionem facit de his hæreticis Prateolus, quorum error fuit sequens.

1. Negavit Airas consubstantialitatem Spiritus Sancti. R. ex epist. 1. Jo: cap. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt*; Non unum in unitate Personæ: ergo in unitate substantiæ. R. etiam ex omnibus locis Scripturæ, ex quibus Spiritus Sancti Divinitas comprobatur, cujusmodi sunt, prima ad Cor. 6. vers. 19. prima Petri cap. 1. vers. 12. Jo: 14. & 15. ubi manifestè habetur Spiritum à Patre procedere. Tum quia Spiritui Sancto conveniunt proprietates, & operationes Divinitatis, ut esse immensum, de cujus immensitate legitur Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*; esse omniscium, de cujus omni scientia legitur Jo: 14. *Spiritus Sanctus docebit vos omnia*; esse Creatorem, esse summè bonum &c. Divinitas Spiritus Sancti asseritur in Concil. Constantinopol. generali secundo. In Romano sub Damaso Papa. Nec valet dicere Filium quia genitus, utique esse consubstantialem Patri, non autem Spiritum Sanctum, utpotè non genitum, sed spiratum; quia licèt non sit genitus, est tamen ab una voluntate, à Patre, & Filio mutuo amore spiratus: ex quo evincitur esse consubstantialem Patri, & Filio; sicut Filius, quia est ab intellectu procedens, est consubstantialis Patri. Hoc secundum admittunt hæretici, ergo & primum.

XVI. ALASCANI. Habuerunt Parentem Joannem Alasco Polonum, qui factus ex Episcopo Lutheranus, & Sacramentarius Zuinglianus, anno 1549. potissimùm hos duos errores docuit.

1. Dixit hæc verba consecrationis *Hoc est Corpus meum* sic esse interpretanda: Hoc, idest non panis, sed universa hæc cœnæ actio, est corpus meum. R. quia Christus quando dixit Discipulis *Accipite, & comedite, hoc est Corpus meum*, non dedit ipsis ad manducandum universam cœnæ actionem, sed panem transubstantiatum, quem habebat præ manibus, & consecravit post cœnam, sicut innuit Evangelista dicens: *Postquam cœnavit &c.* ergo illa verba *Hoc est Corpus meum* nullatenus intelligi possunt de universa cœnæ actione, ut vult Alasco, quandoquidem dicta fuerunt post cœnæ actionem.

2. Dixit Baptismum esse idololatriam. R. quia Baptismus est à Christo institutus, est spiritualis regeneratio, est figura mortis Christi; institutus est pro salute hominum; per Baptismum regeneramur filii dilectionis; in Baptismo infunditur Fides, Spes, Charitas; Sanctificat Animam: ergo non potest esse idololatria. Tum

Tum quia Christus, qui Baptismum instituit, erat impeccabilis; ergo Baptismus non est idololatria. Agit de Jo: Alasco Spond. anno 1540.

XIV. Albati. Genus videtur fuisse aliquorum Flagellantium Albatorum secta, quæ fertur initium habuisse ab aliquibus seductoribus, de partibus Scotiæ, qui ficta sanctimonia, atque fictis miraculis, unum ipsorum etiam finxerunt fuisse Eliam Prophetam, qui mundum brevi periturum annunciabat; Ex sacco albo, quo erant induti, dicti sunt Albati, & apparuerunt in Italia anno 1399. habebant tanquam Dei inimicos, quotquot vestes albas, suis consimiles, deferre renuissent. Tandem cum eorum Pseudopropheta fuisset captus, & fraudem detexisset, eodem combusto, in fumum evanuit Albatorum insania. Ex Spondan.

VIII. Albanenses. Debacchari cœperunt tempore Constantini VII. Imperatoris, & Leonis III. Summi Pontificis, scilicet circa annum 796. vulgò dicebantur sceleratissimi, ob enormes blasphemias, quas eructabant. Dicti sunt Albanenses à Regione, in qua disseminare cœperunt sua impia dogmata; Nomina eorum, qui huic impiissimæ hæresi initium dederunt, non innotescunt. Censentur tamen fuisse de secta Arianos, qui impietatibus Arii, novas addiderunt blasphemias, quas refert Gaulterius Sec. 8.

1. Dixerunt res malas à Deo non præsciri, nisi ope Dœmonis. R. ex sacris paginis, ubi Deum apertè cognoscere humanam malitiam legimus. Sic ex Gen. constat, quod Deus novit peccatum Adæ, Cain, Ninivitarum etiam scelera novit, quandoquidem misit ad eos Jonam prædicare pœnitentiam. Tum quia est proprietas à Divinitate inseparabilis omnia scire; nec est qui Deum honoret, qui etiam omniscium non veneretur, tamquam illum, qui juxtà vias nostras, sive bonas, sive malas judicabit, quoniam omnia nuda sunt, & aperta oculis ejus; sed si ope Dœmonis sciret malum, ergo quando Dœmon hoc revelare non vellet, Deus non posset justitiam exercere. Sed quæro ab Albanensibus, si ope Dœmonis, Deus malum cognoscit, à quo ipsius Dœmonis malum cognovit, quem tradidit æternis cruciatibus. Deum habere cognitionem, & præscientiam rerum omnium, definitum est in Concilio Constantiensi contra Vviclefistas. Nec valet dicere, quod si Deus ex se cognosceret, & præsciret malum, impediret peccatum: Sinit enim causas secundas agere motus suos, licet si vellet, utique posset impedire omnia peccata, quæ tamen non impedit, quia reliquit hominem in manu consilii sui, ut ad quodcumque voluerit, sive ad bonum, sive ad malum, extendat manum suam.

2. Dixerunt duo esse rerum prima principia, unum bonum, aliud malum. R. verbo *Manes*.

3. Dixerunt Mundum semper fuisse, & esse in æternum permansurum. R. verbo *Hermogenes*.

4. Dixerunt non futuram resurrectionem. R. verbo *Basilidiani*.

5. Dixerunt hominem esse Stellis, & fato subjectum, proinde non esse liberi arbitrii. Quoad primum R. verbo *Cæcus*, quoad secundum R. verbo *Bardezanes*.

6. Dixerunt nullum esse creatum à Deo Infernum, pro punitione peccatorum. R. ex Psalm. 34. vers. 16. ex Job cap. 21. vers. 17. ex epist. Divi Petri secunda, cap. 2. vers. 4. & 5. *Deus Angelis precantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*. Demum ex illis verbis: *Discedite à me maledicti in ignem æternum*. Constat dari Infernum pro punitione peccatorum. Et certè si Deus præparavit Justis gloriam æternam, videtur consonum Divinæ Justitiæ, ut etiam præparaverit Reprobis pœnam æternam: timor ipse, quo corripitur homo, statim ac est lethali peccato gravatus, insinuat hanc veritatem, dari scilicet pœnam æternam, cui destinati sunt peccatores, quod exigit etiam inviolabilis Divina Justitia. Necessè insuper est dari Infernum ad coercendos homines à malo, qui faciliùs retrahuntur à malo timore pœnæ, quàm spe præmii.

7. Dixerunt non alia subeunda esse in Inferno supplicia, nisi illa tormenta, quibus

quibus hic homo subjacet. R. ex Sacra Scriptura apertè indicante, in Inferno futurum esse ignem, & ignem æternum, quæ loca nullam patiuntur contrariam interpretationem; utique in Inferno peccator patietur etiam tormenta, quibus hic subjacet, quia Infernus est tormentorum omnium cumulus; sed præter hæc tormenta, ibi erit fletus, & stridor dentium, aspectus Dœmoniorum, continua desperatio, nulla spes evasionis, quia tormenta erunt æterna, & in Inferno nulla est redemptio, cui tormento hic homo non subjacet; quoniam quantumcumque cruciatus, semper sperat aliquo modo posse cruciatus evadere; sed talis spes non erit in Inferno: scit enim damnatus, Infernum esse æternum; ergo falsum est in solis suppliciis, quibus hic homo subjacet, consistere pœnas Inferni.

8. Dixerunt illicitum esse juramentum etiam pro afferenda veritate; & instante alicujus Superioris auctoritate, quæ juramentum exigeret, non esse obediendum. R. verbo *Cathari*.

9. Dixerunt usuram, non esse à Deo prohibitam. R. Exodi cap.22. Deuteronom. cap.23. vers.19. quæ loca adeò manifestè usuram prohibent, ut nulli esse possit ignorantiæ locus, neque ipsis Judæis, non modò Christianis; quibus etiam constat ex novo Testamento, usuram esse prohibitam: sic Lucæ vers. 23. *Peccatores peccatoribus fænerantur, ut recipiant æqualia, verumtamen benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes*. Et certè qui mutuò petit pecuniam, indigenus est; ab indigente autem injustum est aliquid petere; mutuum dare est benefacere, beneficium debet gratis fieri, ideò Christus præcipit: *Mutuum date, nihil inde sperantes*; ipse enim est, qui eorum qui mutuò dant, vult esse merces: & quodammodò sibi specialiter reservavit mutui beneficium reddere; quod autem legitur Deuteronom. cap.23 vers.19. *Non fæneraberis fratri tuo ad usuram, sed alienis*, non evincit usuram esse licitam, sed solùm propter duritiam, & avaritiam summam Judæorum, Deus permisit ut fænerarentur alieno, non autem fratri. Non esse licitam usuram, declaratum est in Concilio Viennensi sub Clemente V.

10. Asserebant generale Judicium jam esse factum, & ideò negabant carnis resurrectionem. R. ex Scriptura, quæ Matth.21. vers.32. asserit, quod in Judicio universali *Congregabuntur ante eum* (idest Christum) *omnes gentes*, sed hactenus omnes gentes non sunt congregatæ, ergo Judicium universale nondum est factum. Insuper ad Cor.2. cap.5. *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi*, sed nos qui vivimus nondum manifestati sumus, ergo &c. Tum quia dies Judicii hactenus ignoratur ab omnibus, sed si jam fuisset, ampliùs non ignoraretur. Tum quia si jam esset factum Judicium, omnes qui non adfuerunt remanerent injudicati, & sic bona opera justorum non reciperent ampliùs præmium, nec mala pœnam. Resurrectionem autem de facto futuram, probatur verbo *Basilidiani*. Vide verbo *Aerarius*.

11. Negabant Purgatorium, & orationes pro Defunctis. R. quoad orationes pro Defunctis verbo *Aetiani*. Quoad existentiam Purgatorii, quam negant. R. Auctoritate Philosophorum, qui vel ipso naturæ lumine, vel ex traditione majorum, agnoverunt nullum peccatum, posse inultum remanere. Vide Trismegistum in Aselepio cap.10. Platonem in Phædone, in Gorgia; item Plutarcum in Commentario inscripto *de Orbe Lunæ*; Demum celebriores Pœtas, qui omnes pro delictorum gravitate, pœnas Defunctis præparatas, uno ore confessi sunt; quod insinuasse sufficiat: non enim prætendimus dogmata fidei, Philosophorum, vel Poetarum dictis comprobare. Probatur ex Sac. Scriptura lib.2. Macchabæorum c.12. vers.43. ad quid enim præcepisset Macchabæus pro fratribus offerri sacrificia, si eosdem esse in statu pœnæ, à qua possent medio sacrificio liberari, non credidisset. Item primo Regum 2. *Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit*. Constat hic nomine Inferi intelligendum esse Purgatorium; ab Inferno enim Damnatorum, in quo nulla est redemptio, Deus neminem reducit. Huc

Huc ſpectat, quod legitur Pſalm.49. *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.* Demum Matth.12. conſtat eſſe aliquod peccatum, quod neque in hoc ſeculo remittitur, neque in futuro; ſed utique in futuro ſeculo, non remittitur peccatum Damnatis, qui in æternum cruciabuntur: ergo remittitur Animabus, quæ non ſunt deſtinatæ ad pœnam æternam, ſed temporalem, ſcilicet ad Purgatorium: & certè ſi nullum remitteretur peccatum in futuro ſeculo, ſatis fuiſſet Chriſtum dixiſſe, quod aliqua ſunt peccata, quæ numquam remittuntur, & illa additio *in futuro* eſſet ſuperflua; quoniam ſecundùm Adverſariorum ſenſum, eſſet de re impoſſibili; neque talis remiſſio debet intelligi ſolùm quoad culpam, non verò quoad pœnam, ut volunt aliqui ex Adverſariis, quia remiſſio quoad culpam non fit in futuro ſeculo, cæterum etiam Damnati poſſent ſperare ſalutem; & ſolùm venialia quoad culpam, remittuntur in futuro ſeculo. Demum ad negandum Purgatorium, non valet dicere, Chriſtum ſatisfeciſſe pro omni culpa; ſatisfecit enim quoad pœnam æternam, non verò voluit ſatisfacere quoad temporalem. Dari Purgatorium definivit Concilium Florentinum, & Tridentinum ſeſſ.25.

12. Dixerunt Eccleſiam non habere poteſtatem excommunicandi, neque poſſe facere Conſtitutiones obligantes in conſcientia, nec poſſe ulciſci ſceleratos. Repr. ex Can.12. Apoſtolorum, ubi apertè legitur Eccleſiam habere hanc poteſtatem; quod colligitur etiam ex Conc. Cartag. 14. cap.13. & ex Bracarenſi primo cap.13. Eadem veritas ſimiliter colligitur ex ſacris paginis, Matth.18. Apoſtoli uſi ſunt etiam hac poteſtate, maximè SS. Petrus, & Paulus, ſicut legitur prima ad Cor.cap.5.& prima ad Thimot. cap.1. verſ.19. Inſuper ab initio Eccleſiæ, conſtat Eccleſiam in urgentibus neceſſitatibus hunc gladium exeruiſſe contra pertinaces. Privat excommunicatio excommunicatum omni participatione bonorum Eccleſiæ, ideò licèt per ſe non ſit peccatum, eſt tamen valde timenda à peccatore, qui cum ampliùs non habeat ſubſidium orationum Eccleſiæ, certè quòd ſinè tali ſubſidio, ſemper in dies majori patet ruinæ: Reſpicit autem Eccleſia, in excommunicatione ferenda, fidelium utilitatem, nempè, ut qui fideles perſiſtunt, aliorum exemplo timeant, qui verò excommunicantur, perterriti coerceantur, & revertantur ad gremium Matris Eccleſiæ. Ex quo patet Eccleſiam, non eſſe matrem crudelem, ſed piam matrem, tunc etiam cùm utitur gladio excommunicationis neceſſario ad coercendos pertinaces; Cum enim Eccleſia judicet cauſas ſpirituales, debet etiam habere pœnas ſpirituales infligendas iis, qui delinquunt, ſicut fidelibus confert bona ſpiritualia. Vide verbo *Huſſita.*

13. Vetus Teſtamentum tanquam à malo principio factum reſpuebant. R. & quidem notandum plures hæreticos, circa Scripturam Sacram plura ſentire; alii enim unum librum, alii alium reſpuunt; alii totum vetus Teſtamentum, alii novum, alii utrumque. Porro Scripturarum Canonicarum Catalogus continetur expreſsè in Conc. Trident. ſeſſ.4. in decreto de Canonicis Scripturis. Præter libros quos hic tanquam Canonicos proponit Sacra Synodus, nullus alius liber pro Canonico eſt recipiendus. Verùm omnes libri in allegata Synodo recepti, admittendi ſunt ab omnibus Chriſtifidelibus tanquam Canonici, quoniam utpotè Canonicos univerſa recepit Eccleſia, etiam in aliis Synodis congregata, ut patet in Laodicæno anno 318. Carthaginenſi 3. anno 397. & in pluribus aliis. Tum quia Deus ipſe teſtatur ſe locutum fuiſſe per os Prophetarum, & Apoſtolorum, unde D. Petrus epiſt. 2. cap. 1. verſ.21. ait: *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed inſpirati Spiritu Sancto, locuti ſunt ſancti Dei homines.* Tum quia omnibus libris, quos ut Canonicos recepit Eccleſia, uſi ſunt identidem Sancti Patres in ſcriptis, & ſermonibus ſuis, ad Fidei dogmata confirmanda; quibus rationibus ſufficienter evincitur recipiendos eſſe libros, quos tanquam Canonicos approbavit Eccleſia.

clesia. Nec valet dicere, quod aliquando dubitatum est à Patribus in Concilio congregatis, an aliqui ex libris, qui nunc habentur tanquam Canónici, de facto essent Canonici; Nam in præfatis Conciliis, Ecclesia universalis approbavit legitimas traditiones, quæ in particularibus Ecclesiis conservabantur, idque factum judicio Romani Pontificis, assistente Spiritu Sancto; & certè si tot Sancti Patres, & Doctores, qui interfuerunt Conciliis, receperunt libros recensitos à Conc. Trident. loco citato, ut Canonicos: quid sibi hæretici securiùs revelatum jactant, quod tot prætererierit Sanctos, effugerit Sapientes. Certè temeritas est non acquiescere sensui cordati Viri, & docti; quanto major audacia erit, non acquiescere sensui Ecclesiæ. Dices, si libri quos recenset Concilium Tridentinum sunt omnes Canonici; ergo debemus omnia facere, quæ in illis continentur, sed hoc non facimus: non enim Ecclesia utitur Circumcisione, & similibus, quæ præcipiuntur in veteri Testamento; ergo non omnes libri recensiti à Con. Trident. sunt Canonici. Respondeo, Canonicum librum illum esse, quem Ecclesia declarat dictatum esse à Spiritu Sancto; Attamen in his libris non omnia sunt præcepta, sed aliqua sunt consilia. Insuper plura, quæ erant præcepta, non ampliùs esse sub præcepto, eadem Scriptura declarat; ideò non ampliùs observari debent: hujusmodi sunt Circumcisio, & plura alia præcepta legalia, quæ erant significativa, nunc autem adimpletum est, quod significabant; sicut à pari in veteri Testamento promittitur Messias; nunc autem, quod per novum Testamentum scimus Messiam venisse, non ampliùs credimus in Messiam venturum, sed in Messiam qui jam venit. Ex hactenùs dictis, non modò constat libros omnes ab Ecclesia receptos esse Canonicos, sed etiam vetus Testamentum non esse à malo principio factum, *Quoniam inspirati Spiritu Sancto, locuti sunt sancti Dei homines*. Tum quia in veteri Testamento reprobantur plura, imò omnia peccata; ergo vetus Testamentum non potest esse à malo principio factum, quod potiùs induceret ad peccatum.

14. Dixerunt Baptismum nullam habere virtutem, nullumque conferre beneficium hominibus. R. tum ex eo, quod dictum est contra Alascanos, tum ex illo Jo: 3. vers. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei* ad Titum cap. 3. vers. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. Tum quia Baptismus successit Circumcisioni ad delendam originalem culpam; ergo Baptismus summam habet virtutem, & confert hominibus maximum beneficium, sicut declararunt plura Concilia, inter quæ Florentinum sub Eugenio IV. Demum cum Baptismus sit janua Sacramentorum, hoc initiati fuerunt ipsi Apostoli, ut testantur plures Doctores, inter quos S. Augustinus ep. 108. Esto quod Baptismus non potuerit conferre ipsis primarium effectum, qui est delere culpam originalem, quæ jam in ipsis deleta erat per Circumcisionem; attamen ut essent capaces aliorum Sacramentorum, ut observarent præceptum Christi, & docerent exemplo Legem, quam prædicabant, baptizati sunt. Quod si aliqui Doctores dicant Apostolos non baptizatos, intelligendi sunt, quod non acceperint Baptismum pro delenda culpa originali, sed ob acquirendam gratiam majorem, & ob alios fines supra insinuatos: quod autem legitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, non evincit Baptismum esse inutilem parvulis, ut volunt hæretici, dicentes pueros non posse credere, ideò non debere baptizari; nam ibi Christus loquebatur de adultis, non de parvulis, quos tamen etiam baptizandos constat, quandoquidem dixit: *Ite baptizantes omnes gentes*, sed ly *omnes* comprehendit etiam parvulos; ergo utilis est Baptismus collatus parvulis, non minùs, quàm adultis: cæterùm superfluum fuisset præcipere quod baptizarentur omnes, si nullum indè recepturi erant beneficium, in puerili ætate degentes.

15. Con-

15. Confessionem auricularem reprobarunt, dicentes hominem liberè non peccare, ideò non teneri ad confessionem. R. quia falsum est eorum fundamentum; & quidem hominem peccare liberè, præter ea, quæ dicentur contra *Valentinianos*, satis constat ex eo, quod sæpè legitur in Scriptura, Deum per Prophetas sic arguere Peccatores: *Quia fecisti malum hoc*. Ex quo infertur hominem esse causam effectivam peccatorum, quandoquidem peccatum homini imputatur; sic legitur 2. Regum 13. *Transtulit Deus peccatum tuum*; quomodò autem diceret *tuum*, si homo liberè non peccaret; quomodò posset imputari ad culpam, & condemnari ad pœnam? sed si liberè non peccaret, neque liberè bona faceret; ergo omnia operaretur ex necessitate, vel ex instinctu naturæ, & sic homo jam non differret ab equo, & mulo, quibus non est intellectus. Supposito ergo, quod liberè peccet homo, ut probabitur verbo citato, sequitur teneri ad confessionem, si vult absolvi, cum hoc sit unicum medium à Deo constitutum. Et certè, si non esset necessaria confessio, frustrà Apostoli accepissent à Deo potestatem dimittendi, nec dixisset Christus ad illos: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Sed ut fiat remissio peccati à Judice, debet Judex scire peccatum, cæterùm ageret imprudenti, & cœco modo; ergo si Pœnitens vult sibi remitti peccatum, debet patefacere, & confiteri peccatum suum Sacerdoti, qui in hac causa specialiter à Deo Judex est designatus. Tum quia si non teneretur confiteri peccata, qui peccat: vel hoc esset quia liberè non peccat: vel quia non teneretur reddere rationem Deo de suis actibus; sed nullum ex his subsistit; ergo tenetur confiteri; quod si renuit, jam majori culpæ est obnoxius. Sicut quando Princeps Indultum aliquod promulgavit, qui Reus est, & Indulto se non accomodat, agendo quæ præcipiuntur, gravioris culpæ reus censetur.

16. Dixerunt Extremam unctionem non esse Sacramentum. Repr. verbo *Heraclitæ*.

17. Dixerunt Christum ex Beata Virgine carnem non assumpsisse, sed attulisse de cælo: nec verum hominem fuisse, sed solùm apparenter edisse, ambulasse, passum esse &c. R. ex Scriptura, quæ expresse asserit Christum conceptum esse à Virgine, & in ejus utero hominem factum, ex eadem natum. Christus vocatur filius hominis, juxtà illud: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Nec verè filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine; ergo nasciturо cum humanis membris Dei filio, carnis suæ materiam Virgo ministravit: neque ejus caro à carne Virginis Matris potest pronunciari extranea; ergo falsum est Christum attulisse carnem de cælo. Sed de hac materia iterum agetur contra Eutychen, qui primus somniavit Christum attulisse carnem de cælo; Si ergo Christus verè, & realiter est homo, ut evincunt rationes mox adductæ, & verbò citato adducendæ; sequitur, quod verè, ac realiter manducaverit, ambulaverit, & passus sit: Unde Isajas cap. 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*. Verè ait, ut confundantur Albanenses, qui Christum solùm apparenter passum, asserere ausi sunt. Sic perhibet Concilium Nicænum, Christum verè passum: *Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est*. Tum quia si Christus solùm apparenter esset passus; ergo solùm apparenter esset Redemptor humani generis.

18. Dixerunt Deum non creare novas animas sed mortuo uno homine, eandem animam ad aliud corpus transmigrare. R. verbo *Albigenses*.

19. Dixerunt nullum esse peccatum originis. R. verbo *Pelagius*.

20. Dixerunt Sanctissimum Altaris Sacramentum nihil esse. R. Luc. 22. ubi legitur, quod Christus quando communicavit Apostolos, sic dixit: *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*. Et paulò post:

Hæc

Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis. Ex quo patet in Eucharistia esse verum corpus Christi; quod si, ut volunt Albanenses, *nihil esset*, ad quid præcepisset Christus Apostolis, ut in sui memoriam Eucharistiam conficerent; utique aliquid esse debet, quod præcepit Christus, ut in sui memoriam conficeretur. Insuper, illud quod dat vitam debet esse aliquid, hujusmodi est Sacramentum Altaris, de quo legimus: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Et alibi: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Demum si Sacramentum Altaris nihil esset, non incurreret Dei indignationem, qui illud indignè manducaret; quam incurrere, testatur Apostolus: *Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat*; ergo panis Eucharisticus, verè est Sacramentum.

21. Dixerunt malum esse matrimonium. Vide verbo *Adamitæ*.

22. Nullum improbum posse creari Episcopum asserebant. R. quia Christus præcipit nos obedire superioribus, etiam discolis, ut asserit D. Paulus. Huc spectat quod legitur in Euangelio: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ ..... facite quæ dicunt, non facite quæ faciunt*. Ex quibus textibus evincitur, etiam improbum posse creari Episcopum. Tum quia auctoritas, quam exercet Episcopus, non pendet ab ipsius probitate, vel improbitate; sed pendet à jurisdictione, quam tradit Ecclesia Episcopo, ut possit pastorale munus exercere. Tum quia Sacramenta, non ab homine, sed à Christo habent virtutem suam; ergo Sacramenta licèt confecta ab improbo, suum fortiuntur effectum; ergo etiam improbus poterit ordinari Episcopus, quandoquidem quoad efficaciam Sacramentorum, quæ debet ministrare, nihil detrimenti Populus patitur. Tum quia multi, qui apparenter videntur probi, interiùs sunt improbi, & de interno non potest ferri judicium; ergo si nullus improbus posset creari Episcopus, sequeretur quod Ecclesia neminem posset creare Episcopum, cum de nullius interna probitate, possit esse certa. Demum Apostolus erat Judas, licèt impius, electus à Domino, & de illius Apostolatu non licet dubitare, dicente Domino: *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus est?* Fuit ergo verus Apostolus, licèt improbus; ergo potest improbus creari Episcopus.

XIV. ALBERTUS tempore Gregorii XI. anno 1372. erat Episcopus in Germania, in Urbe Alberstadensi, & Priscilianistarum renovavit errores, omnia tribuens fato, ex quo inferebat.

1. Nihil valere meritum, vel demeritum. R. primò quoad meritum Eccl. 16. *Omnis misericordia facit locum unicuique, secundùm meritum operum suorum*. Item Apost. 2. ad Timoth. 4. ait: *Bonum certamen certavi, cursum consumavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa justus Judex: non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus*. Idem Apostolus ad Hebræos 11. ait: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se, remunerator sit*. Demum cum Christus ipse Matth. 2. Regnum cælorum, seu vitam æternam, vocet mercedem: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*. Sequitur opera nostra esse meritoria de condigno, nam merces, & meritum sunt correlativa, sicut Pater, & Filius. R. quoad demeritum Deus passim in Scriptura appellatur justus Judex: at qui non esset justus Judex, si tantùm mercedem benè operantibus retribueret, & condignis pœnis malè operantes non animadverteret; ergo &c.

2. Invocationem Sanctorum nullam esse. R. usus utilis ille est, ac proficit, quem Deus pluribus miraculis multotiès confirmavit: quemadmodùm enim Deus editis miraculis, non potest impium dogma confirmare, cum id repugnet summæ illius sapientiæ, summæ illius bonitati: ita nec praxim, quæ pia, ac utilis non sit; at qui Deus editis miraculis,

lis, multotiès confirmavit usum de Sanctorum invocatione. Ad rem S. Augustinus lib.22. de Civitate Dei cap.8. plurima narrat miracula, quæ in Africa ad cultum, & invocationem Prothomartyris Stephani edita sunt, quæ (cum ipse Augustinus illorum Testis fuerit oculatus) revocari non possunt in dubium; ergo &c. Confirmatur. Ille usus est utilis, ac prodest, quem Ecclesia à primis seculis, ad hæc usque tempora ubique gentium servavit, commendavitque fidelibus; cum enim à Spiritu Sancto regatur Ecclesia, sicut errorem docere non potest; ita nec praxim inutilem commendare; atqui Ecclesia à primis seculis, ad hæc usque tempora, usum de invocatione Sanctorum, ubique gentium servavit, commendavitque fidelibus ergo &c.

3. Nullum dari liberum arbitrium, quoniam omnia fato subjecta esse asserebat. R. verbo *Bardezanes*.

XII. Albigenses. Renuit Christianus calamus adamussim rescribere, & pia auris audire, quæ in spretum rerum sacrarum, commiserunt Albigenses; qui pluribus renovatis Albanensium erroribus, & aliis de novo promulgatis blasphemiis, in Comitatu Tholosano, circa annum Domini 1176. debacchari cœperunt; sed aliqualiter repressa, non autem extincta horum insolentia, iterùm ferventiùs pullulavit seculo 13. Contra quos utrumque gladium exerere opus fuit, non modò promulgato anathemate, sed etiam repetitis vicibus contra ipsos collecto milite Cruce signato, scilicet anno 1210. Duce Christianorum exercitus Comite Montis fortis, & anno 1228. Ludovicus VIII. Galliæ Rex, iterùm contra Albigenses bellum indixit, & plura sanguinolenta commissa sunt prælia. Albigensium Primipilus fuit quidam nomine *Oliverius*, Albæ natus, & ex ejus patria denominati sunt Albigenses. Inter Albigenses alii vocabantur perfecti, alii credentes: perfecti, de continentiæ observantia gloriabantur, lacticiniorum, & carnis usu sibi penitùs interdicto. Credentes verò omni genere perversorum morum contaminati, credebant in sola fide perfectorum debere, ac posse salvari. Primò damnati sunt Albigenses in Provinciali Concilio à Ghilberto Episcopo Lugdunensi anno 1176. deinde Concilium Lateranense anno 1179. Albigensibus anathema dixit. Nihilominùs sub specie pietatis longè, latèque serpere non destitit Albigensium virus, contra quos Didacus in Hispania Episcopus Oxomensis, S. Dominicus, Arnaldus Cisterciensis Abbas, viriliter prædicatione sese opposuerunt; unà cum S. Petro à Castronovo, qui Martyr occubuit, ab Albigensibus in odium veræ Fidei interfectus. Ex Petro de Valle Cernaj in Hist. Albig.

1. Dixerunt Deum creare animas, Diabolum autem omnia corpora. R. Genesis cap.2. vers.7. Tum quia creatio est opus solius Dei, quia solus Deus potest ex nihilo aliquid facere; ergo Dœmon non potest creare corpora. Tum quia in Euangelio Jo: cap.1. *Omnia per ipsum facta sunt*, (idest Deum) *& sinè ipso factum est nihil*. Tum quia in organizatione corporis admiratur omnipotentia Divina: Tum quia corpora justorum glorificabuntur; sed Deus non vult glorificare opera Dœmonis: Tum quia si Dœmon crearet corpora omnia, esset etiam Dominus omnium corporum; sed non est qui dicat Dœmonem esse Dominum corporum humanorum: Tandem si Dœmon crearet omnia corpora humana, à fortiori crearet alia corpora, & sic ipse esset Creator cæli, & terræ: sed *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum*.

2. Defunctis nihil prodesse, quæ ipsis applicantur suffragia, asserebant. R. verbo *Aeriani novi*.

3. Eucharistiam à malis Presbyteris non consecrari affirmabant. R. quia auctoritas conficiendi Sacramenta non est gratia gratum faciens, sed gratis data; ergo non repugnat cum improbitate vitæ. Tum quia si à malis Presbyteris non consecraretur Eucharistia, sæpè accideret purum panem pro Sacramento adora-

adorari, cum plures inveniantur Presbyteri, qui consecrant in peccato lethali; sed credibile est in re tanti momenti, Deum noluisse exponere fideles tam frequenti periculo deceptionis. Tum quia Hæreticus, aut Paganus baptizans confert verum Sacramentum Baptismi, si ritè operetur; ergo malus Presbyter consecrans conficiet verum Sacramentum, dummodò ritè operetur. Tum quia Ecclesia quando confert auctoritatem consecrandi ei, qui in Presbyterum ordinatur, monet ut dignè tractet tantum mysterium; sed superflua esset hæc admonitio, si malus Presbyter non consecraret; numquam enim posset indignè tractare mysterium, si hoc in peccato existens, non posset conficere. Vide verbo *Apostolici*. *Jacobus præpositi*.

4. Corpus Christi non aliter esse in Eucharistia, quàm in aliis rebus somniarunt. R. ex verbis Christi asserentis, quod in pane consecrato verè est Corpus suum: *Hoc est Corpus meum. Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam*; at si corpus Christi non aliter esset in Eucharistia, quàm in qualibet alia re, falsæ essent hujusmodi propositiones, sed hoc non, quia Christus nonnisi vera potuit loqui, quoniam est ipsa veritas; ergo &c. Tum quia Concilia definierunt corpus Christi esse realiter in Eucharistia. Tum quia si corpus Christi esset æqualiter in Eucharistia, quàm in aliis rebus, eosdem effectus deberet experiri, qui quemlibet fructum comederet, quàm qui panem Eucharisticum susciperet; sed ex digna sumptione Eucharistiæ experimur in nobis accendi desiderium vehemens perfectionis, augeri vires contra tentationes, & similia, quæ utique non experimur, dum alias res suscipimus. Tum quia corpus Christi in virtute verborum consecrationis, scimus esse infallibiliter in pane Eucharistico, sed non est assignabile in cujus rei virtute esse debeat in qualibet alia re; ergo &c. Demum per hunc dicendi modum, fortè intendunt Albigenses exprimere, quod corpus Christi nullatenus sit in Eucharistia, & reprobati sunt verbo *Albanenses*.

5. Dixerunt inutile esse adire Ecclesiam ad orandum Deum. R. ex libro 2. Paralip. cap. 7. in quo Deus profitetur se faciliùs exauditurum orantes in templo: *Elegi locum istum mihi in domum sacrificii . . . Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit*; ergo non est inutile adire templum ad orandum, quandoquidem ibi Deus, faciliùs suscipit preces supplicum. Quod si Deus ostendit quàm libenter susceperit preces effusas in templo Salomonis, quantò libentiùs suscipiet preces effusas in templis Christianorum, ubi non arca lignea, non manna hebræorum, sed vera arca animata, scilicet corpus Christi, quod supra manna habet omnem saporem, & dulcedinis suavitatem asservatur? Insuper ab initio Ecclesiæ, etiam tempore Apostolorum, consueverunt Apostoli convenire cum credentibus, in domibus specialiter deputatis pro celebrandis sacris, & effundendis ad Deum precibus; ergo &c.

6. Blasphemarunt, dicentes omnes veteris Testamenti Patres esse damnatos, & Sanctum Joannem Baptistam esse unum ex majoribus Dæmonibus. R. nam veteris Testamenti Patres commendantur tanquam justi, & Deo accepti, in sacris paginis; sed nemo justus decedens damnatur. Tum quia ex historia Euangelica Epulonis, qui destinatus fuit ad ignem, & Lazari requiescentis in sinu Abrahæ, constat SS. Patres non esse damnatos. Quoad id quod dicunt de S. Joanne Baptista, satis R. ex eo, quod legitur: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*, cujus vita fuit speculum sine macula, exemplum Sanctitatis, & norma virtutum, cujus Sanctitatem ipse Herodes venerabatur; siquidem libenter eum audiebat, & multa faciebat propter ipsum, ut constat ex Euangelio.

7. Dixerunt Christum, qui natus est in Bethlehem esse malum, esse aliam Terram novam, & invisibilem, in qua natus est bonus Christus. R. Et quidem quoad id, quod dicunt de Terra nova constat

constat purum esse figmentum. De Christo, qui natus est in Bethlehem tot sunt testimonia Scripturæ, quæ illius Sanctitatem perhibent, ut superfluum sit eadem hic contexere. Christi Sanctitatem confessi sunt ipsi Judæi, qui eumdem crucifixerunt, dicentes: *Verè filius Dei erat*, quorum plures revertebantur percutientes pectora sua. Quatuor Euangelia, Christi, qui in Bethlehem natus est, Sanctitatem annunciant.

8. Totam Romanam Ecclesiam speluncam esse latronum. R. ex Davide, qui psalm. 149. eamdem vocat Ecclesiam Sanctorum, in qua floruerunt tot Martyres, tot Confessores, tot Doctores, tot Virgines, quam Spiritus Sanctus gubernat, sanctificata meritis Christi, qui eamdem ædificavit, ut nunquam possit à Sanctitate deflectere.

9. Dixerunt in matrimonio neminem salvari posse. R. ex eo, quod dictum est contra *Adamitas*, ostendendo matrimonium non esse execrabile, & ex eo quod dicetur contra *Armenos*, probando matrimonium fuisse à Christo elevatum ad dignitatem Sacramenti; ex quo sequitur falsum esse Albanensium assertum. Tum quia si nemo salvari posset in matrimonio, nemini expediret nubere, quod falsum est, pluribus enim *Meliùs est nubere, quàm uri*, ut ad Cor, asserit D. Paulus. Tum quia necessarium est matrimonium ad propagandum genus humanum.

10. Dixerunt Eucharistiam non differre à pane laico. R. verb. *Albanenses* contra quos probatum est verè, ac realiter corpus Christi esse in Eucharistia, & Eucharistiam esse Sacramentum.

11. Dixerunt ad salutem non esse necessariam restitutionem ablatorum, sed sufficere in mortis articulo, si dicere possent *Pater noster*, & per suos Ministros supra decessurum fieret impositio manuum. R. Quoad necessitatem restitutionis pro obtinenda salute verbo *Græci*: cæterùm non sufficere ad salutem dicere in mortis articulo *Pater noster*; constat ex eo, quod legitur: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum*; ex quo sequitur non sufficere orare, vel dicere *Pater noster*: quia Deus præter orationem, præcipit etiam executionem bonorum operum, ad obtinendam salutem; & quidem orationem solam non sufficere ad salutem, probatum est verbo *Adelphius*; Item si ad obtinendam salutem sufficeret dicere *Pater noster* in mortis articulo, aperiretur aditus ad enormissima scelera committenda, quandocunque per solam recitationem *Pater noster* remitterentur. Insuper sequeretur, quod essent superflua omnia Sacramenta: neque impositio manuum facta per Ministrum, ut dicunt Albigenses, sufficit ad salutem, quia in hoc casu, sequeretur etiam invitum posse salvari; sufficeret enim ad salutem ipsius, ut ipso nesciò, reciperet manuum impositionem à Ministro.

12. Usum Imaginum, ut sunt in Ecclesia, dicebant esse Idololatriam. R. verbo *Iconoclastæ*.

13. Ecclesiarum Campanas esse tubas Dæmonum asserebant. R. ex lib. Num. cap. 10. vers. 1. ubi præcepit Dominus Moysi, ut faceret tubas argenteas ductiles, quibus convocaret populum, quarum usum etiam in sacrificiis mandavit, ut constat vers. 9. cap. citati; ergo à pari potest Ecclesia uti campanis, ad convocandum populum ad orationem, ut assistat Divinis officiis, & sacrificiis, ex quo satis patet, campanas non esse tubas Dæmonum, quatenus pro Dei laudibus persolvendis institutæ sunt ab Ecclesia. Adde, quod usus campanarum in Ecclesia est antiquissimus, ad effectum convocandi fideles ad sacra, ut constat ex S. Ephrem Parænesi 23. Demum in Concilio Aquisgranensi sub Ludovico I. cap. 121. sic legitur: *Mox enim ut datum fuerit signum, festinatò ad Ecclesiam omnes conveniant*.

14. Dicebant non peccare graviùs, qui cum matre, aut sorore dormiat, quàm cum qualibet alia. R. quia in nulla lege unquam permissum est filium cognoscere matrem, aut fratrem sororem, abhorret natura ipsa ab hoc concubitu, graviùs punitur à legibus huma- nis;

nis; ergo à fortiori à Divinis. Tum quia si Deus punivit generationes filiorum Loth, quia concubuerunt cum patre, facilè hinc est arguere, quam grave malum sit cognoscere matrem.

15. Dicebant Animas post mortem secundùm diversa merita, diversa informare corpora, ita ut Animæ eorum qui impiè vixissent, informarent corpora, sed animalium: eorum verò, qui benè vixissent, informarent corpora hominum illustrium, seu etiam Principum, secundùm uniuscujusque merita, vel demerita. R. ab Ecclesia, quæ in pluribus Conciliis, definivit Animas nostras, post separationem à corpore, statim judicari, & recipere mercedem suam, vel pœnam scilicet æternam, vel præmium, præmissa quidem ante præmium purgatione, si opus habeant. Insuper in die judicii omnes resurgere habent cum corporibus suis; quod si una Anima successivè informaret plura corpora, dicendum foret, quod in die judicii plura corpora non resurgerent; cum pro eodem tempore una Anima non possit nisi unum corpus informare. Dato quod Anima iterum informaret aliud corpus, deberet recordari vel in toto, vel saltem in parte de his, quæ gesserat in priori corpore. Demum si præmium meritorum est informare corpus Principis, sequeretur quod Animæ Magnatorum, non possent accipere præmium meritorum suorum, cum non possent informare corpus melioris conditionis.

16. Dixerunt Episcopos, & Sacerdotes, qui peccassent mortaliter, carere dignitate, & potestate conficiendi Sacramenta. R. verbo *Albanenses*, quibus rationibus ibi adductis addere est, quod potestas confertur à Deo Sacerdotibus, sed Deus non confert potestatem cum tali conditione, ut quandocunque peccaverint, amittant potestatem; ergo etiam in peccato retinent potestatem. Tum quia Judas post proditionem non amisit dignitatem Apostolatus, non enim alius in ejus locum suffectus est, nisi postquam fuit mortuus; ergo &c. Addenda his etiam quæ diximus sup. num. 3.

17. Idem judicium faciebant de potestate seculari, ita ut dicerent, quod sive Princeps, sive Magistratus peccato mortali coinquinatus, potestatem amitteret. R. argumento à fortiori ex his, quæ de Episcopo, & Presbytero diximus: Si enim per peccatum non amittitur dignitas Ecclesiastica; ergo à fortiori non amittitur dignitas Laicalis. Tum quia Jerem. cap. 27 legimus, quod Deus præcepit populo obedire Nabuchodonosor Regi, qui Rex, utique multis erat coinquinatus flagitiis. Tum quia si verum esset, quod asserunt Albigenses, vix esset Principem, aut Sacerdotem invenire, cum difficile sit hominem, toto vitæ suæ tempore ita vivere, ut in mortale peccatum non labatur: potest utique media gratia homo se ab omni mortali custodire immunem; sed difficile est invenire, qui gratiæ cooperetur, quantum expedit ad hunc finem obtinendum. Tum quia plura peccata mortalia sunt abscondita oculis populi; ergo in tali casu deberet Sacerdos, vel Princeps propriam propalare turpitudinem, dicendo se decidisse à sua potestate, ratione gravis peccati à se commissi; nemo autem tenetur publicare sua peccata.

18. Dixerunt inter Christum, & Magdalenam illicitos fuisse amores. R. ab ipsa historia Euangelica, ubi legitur, quod Magdalena pœnitens accessit ad Jesum discumbentem in domo Pharisæi, & mirabantur adstantes, quod eam peccatricem esse non cognosceret. Tum quia Christus erat impeccabilis. Sed adeò horribilis est hæc blasphemia, ut non opus sit probatione ad eam reprobandam, sicut & sequentem, in qua asserebant Deum habuisse duas uxores, cum quibus intemperatè viveret, inde sibi assumentes patrocinium, ad quodcunque inhonestum scelus perpetrandum: in quo fuerunt Ptolomæo deteriores, qui licèt duas uxores Deo assignaret, has esse intelligentiam, & voluntatem dixit; fortè veritus, propter respectum Divinitatis, cum inverecundis Albigensibus

fibus adeò turpiter fentire, & loqui de Deo.

19. Dixerunt Mundum nullum habiturum effe finem, fed permanfurum in ftatu eodem, in quo nunc eft. R. ex pfalmo 101. ver.26. ex Euang.Marci 13 ex D. Petro epift.2. cap.3. Eftò quod Mundi deftructio non fit ita futura, ut annihiletur, erit tamen fecundùm modum, quandoquidem ignis plura devorabit, ex quo præteriet figura hujus Mundi, & renovabitur Cælum, & Terra, non quoad fubftantiam, fed fecundùm modum, qua de re plura dixerunt SS.Patres explicaturi in quo confiftat renovatio Mundi; qui tamen admittunt unanimiter hunc Mundum renovandum, non permanfurum in omnibus, ficut nunc eft, ut volunt Albigenfes, quorum errores damnavit Concilium Lateranenfe 4. Demum pro completa Albigenfium notitia notandum cum Natali Alex. fect.13. quod aliqui ex Albigenfibus dicebantur perfecti, & erant nigro habitu induti, fimulantes fanctimoniam: efum carnis, & lacticiniorum dicebant effe omninò deteftandum, cum interim graviora fcelera non curarent. Abftinentiam à peccatis, non à cibis, præterquam in diebus ab Ecclefia præceptis, prædicant SS. Patres. Bonum eft exercere mortificationem per abftinentiam à cibis, non tamen cibi funt deteftandi: dixit enim Chriftus Apoftolis: *Manducate quæ apponuntur vobis*; neque ullius cibi commeftionem in Lege Euangelica prohibitam effe conftat, nifi ad tempus.

XVI. Alciatus nomine Joannes Paulus Alciatus, patria Mediolanenfis, nobilibus parentibus progenitus, profeffione miles, militari cingulo rejecto, Genevam fe contulit, ut novam reformationem amplecteretur. Soccini errores etiam contra Trinitatem eft amplexatus, unà cum aliis Apoftatis, Georgio Blandrata, novæ fectæ inventori adhæfit, ejufque doctrinam propagare ftuduit, circa annum 1560. Geneva aufugere coactus, in Poloniam fe recepit; tandem apud Turcas Alcoranum profeffus, moritur circa annum 1565. ejus errores, verbo *Soccinus*, & *Blandrata*. R.

III. Alcibiades Apamænfis Elcefæorum hærefim inftauravit, tempore Origenis, quæ ab Origine ftatim repreffa fuit, & extincta. Vide verbo *Elchefaita*

VIII. Aldebertus, five Adelbertus, five Albertus. Prodidit fuos errores circa medium feculi 8. Fuit natione Gallus, ab Epifcopis quos feduxerat confecratus Epifcopus, fe æquiparavit Apoftolis, fuas ungulas, & capillos tanquam reliquias diftribuens: in fui honorem templa conftrui patiebatur. Barbara Angelorum nomina fomniavit, ab Angelo Michaele in quadam apparitione, per epiftolam fibi ab eodem Michaele traditam, notificata; fecreta cordium fe cognofcere gloriabundus,cum tamenDeus folus fit fcrutator cordium, & cui voluerit Deus revelare, folùm poffint fecreta cordium innotefcere. Errores Aldeberti perftringit S. Bonifacius Germanorum Epifcopus, in fua epiftola ad Zacchariam Pontificem Maximum directa, in qua etiam refert errores Clementis Scoti pertinaciffimi hæretici, de quo fub proprio nomine agemus. Aldeberti errores potiffimi fuerunt duo fequentes, quos hic R. Quod enim fe æquipararet Apoftolis, quod fuos capillos, & ungulas tanquam reliquias diftribueret, quod templa in fui honorem erigi curaret, quod docuerit fuos fequaces orare: *Merita S. Aldeberti adjuvent nos*, & fe tanquam Sanctum jactitaret, ficut & epiftolam fibi à Jefu Chrifto è cælo tranfmiffam blatetaret, figmenta funt mente capti, & infaniffimi viri, potius quàm hæretici. Nomina autem ignotorum Angelorum, quæ in oratione à fe compofita invocabat, funt *Urier*, *Ragael*, *Turuel*, *Inias*, *Tubuas*, *Sabaoch*, *Simiel*, quæ non Angelorum nomina, fed Dæmonum effe, Romana Synodus dixit;Non enim plus quàm trium Angelorum nomina cognofcit, & invocat Sancta Romana Ecclefia, fcilicet Michael, Gabriel, Raphael. Damnatus fuit Aldebertus in Synodo Sveffionenfi anno 745 & iterum in alia Synodo habita in Majoratu Carolomanni anno fequenti, fcili-

scilicet 746. confirmante hanc damnstionem in Synodo Romana, eodem anno Zaccharia Pontifice.

1. Dixit, posse Christianum accipere uxorem fratris sui defuncti. R. à Lege Canonica, quæ hoc distinctè vetat, nec nisi gravi de causa, prævia Ecclesiæ approbatione, & dispensatione, fieri posse docet. Tenentur autem Christiani obtemperare Legibus Ecclesiasticis, quæ omnes ad majus Ecclesiæ incrementum, & spirituale bonum ordinantur.

2. Dixit meritum, & demeritum nihil valere. R. verbo *Amsdorphiani*, verbo *Anabaptistæ*. Tum quia si merita, & demerita nihil valerent, æquè commendari deberent benè operantes, quàm malè operantes, tam boni, quàm improbi; ex quo dicendi modo, cuicumque impietati aditus reseratur. Vide, quæ dicta sunt verbo *Albertus*.

3. Absolvebat peccatores, inauditis eorum peccatis. R. quia absolutio est actus judiciarius, & Judex non potest rectè judicare, nisi audiat reum. Tum quia confessio est de jure Divino, ut probabitur contra Lutherum. Demum in Conc. Trid. sess.14. Can.9. sic legitur: *Si quis dixerit non requiri confessionem pœnitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit, anathema sit*, ex quo satis reprobatur Adalberti temeritas, qui novum absolvendi modum, contra jus Divinum, & Ecclesiasticum inducebat.

4. Dixit invocationem Sanctorum nihil proficere. R. verbo *Albertus*.

5. Dixit Christum resurgentem ab inferis, omnes liberasse. R. nam hoc dato, non modò liberasset homines improbos, sed etiam dœmones, quos constat quidem pœna æterna cruciandos, ex Euangelio: nullibi autem legitur resurgente Christo, dœmones, aut improbos fuisse absolutos, quod si fuissent absoluti, sequeretur deterioris esse conditionis improbos in Lege Gratiæ, ut patet.

IV. ALEXANDER Latro. Hic primùm Christianus, deinde à Fide Apostata, & hæreticus, quam hæresim professus sit, non indicat Eusebius Cæsariensis, qui tamen Hist. Eccles. lib.5. cap.10. significat hæreticum fuisse, postmodum latronem, & ob sua latrocinia, apud Æmilium Tuntinum Proconsulem, Ephesi judicatum.

I. ALEXANDER Imenæi socius, ut refert D. Paulus epist. 1. ad Timoth. negavit per Filium nos salvari. R. ex Euangelio Luc. cap.19. ver.10. *Venit filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat*. Ex Conc. Nicæn. *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis*. Ex Euang. *Salvum faciet popolum suum à peccatis eorum*.

II. ALEXANDER ex Valentini secta descendens, dicebat Christi carnem à primo sui ortu infectam fuisse peccato. R. Christus enim de Spiritu Sancto conceptus, non potuit Adæ culpam contrahere; contra quam, pharmacum Sacramenti Baptismi venit instituere. Nec potuit iræ filius nasci, qui venit Æterni Patris iram placaturus. Tum quia Christus, ratione unionis hypostaticæ, erat essentialiter Sanctus, quare necessariò debuit à se excludere omne peccatum. Agit de hoc hæretico Tertullianus contra Valentinum.

XIII. ALGAZEL, sive ALGASET, sentiunt aliqui fuisse Gentilem; Prateolus eumdem reponit inter hæreticos: Ex erroribus quibus adhærebat probabiliùs colligitur Gentilem fuisse. De hoc hæretico scribit D. Thomas lib.1. contra Gentes cap.145.

1. Dicebat nullam esse in Deo providentiam. R. verbo *Avveroes*.

2. Dixit peccatoribus post hanc vitam, nullam aliam pœnam infligendam esse, quàm afflictionem de amissione ultimi finis. R. ex Euang. ubi Deus peccatoribus minatur ignem æternum, ubi erit fletus, stridor dentium, ignis devorans, carbones desolatorii, ardores sempiterni. Estò quod erit etiam summa afflictio de amissione ultimi finis; sed non hæc sola pœna erit constituta per illa verba: *Discedite à me maledicti*, sed etiam pœnam ignis infligendam, ex sequentibus: *Ite in ignem æternum* evidenter comprobatur.

XIII. ALMARICUS, sive AMAURICUS, in Territorio Carnotensi in Gallia natus, professione Clericus, Parisiis Doctoratus lauream sumpsit. Suos retractare errores ab In-

ab Innocentio III. coactus, ore, non intellectu, ac voluntate consentit. Quod cum post ejus mortem fuisset compertum, aliquos post annos ab ejus obitu, excommunicatum ejus cadaver, in sterquilinium projectum fuit, & plures ex ejus sectatoribus anno 1210. igni traditi fuerunt. Anno 1204. sequentes promulgaverat errores. Ex Spondan. anno 1204.

1. Dixit propagationem hominum ex sola Adæ culpa provenire. R. verbo *Armeni*.

2. Negavit resurrectionem corporum. R. verbo *Basilidiani*.

3. Dixit in resurrectione non futuram sexus distinctionem, sed omnes resurrecturos in corpore virili. R. nam de hac conformi corporum resurrectione in sexu virili, nulla in sacris paginis fit mentio: omnes in sua carne, hoc est in eodem numero corpore resurrecturos, in quo decesserunt, unanimis est SS. PP. consensus; quod secùs contingeret, si mulieres resurgerent in virili corpore; quod autem legitur in epist. D. Pauli ad Eph 13. *Omnes resurgemus in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, non significat mulieres resurrecturas in corpore virili, sed quod omnes resurgent quasi viri, cum maturitate judicii, etiamsi quis mortuus fuerit in ætate, & judicio puerili; ità ut resurgentes ad gloriam in Christi fide, agnitione, & amore, non simus infantes, & pueri; sed quasi viri cum agnitione perfecta. Adde, quod vir in sacris paginis non semper significat sexum, sed aliquando accipitur pro perfectione, robore, & constantia virili, unde ad illa verba: *In mensuram ætatis plenitudinis Christi*, statim subdit, *Jam non simus parvuli, fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*, ubi vides, nomine viri perfecti, hic intelligi constantiam, & perfectionem in doctrina sana, quam habebunt omnes, qui resurgent in gloria. Insuper Tertullianus lib. de Resurrectione carnis cap. 60. S. Hieronymus epist. 61. ad Pammachium, & alii SS. Patres, docent unumquemque resurrecturum in proprio sexu. Fusiores super allatum textum D. Pauli expositiones, videre est apud Commentatores Sac. Scripturæ.

4. Dixit idæas in mente Divina extantes, & creare, & creari posse. R. nam omnes Catholici, qui volunt admittere idæas in mente Divina, nomine ideæ Divinæ, nihil aliud intelligere possunt, quàm essentiam Divinam, prout continentem eminenter omnia possibilia, ad quam respiciens Deus, videt quinam, & quomodò producendi sint omnes effectus, sive creaturæ: Non enim idæa concipienda est in Deo, eodem modo ac est in mente humana; agentia enim intellectualia creata, diriguntur ab idæa, quæ est tanquam quid distinctum à se ipsis. Deus autem operatur secundùm exemplar essentiæ Divinæ, in qua eminenter sunt omnes effectus possibiles, & habet rationem ideæ in Deo: ex quo sequitur, quod ideæ in mente Divina extantes, creari non possunt, essentia enim Divina est à se, est æterna, est increabilis.

5. Dixit Deum non esse visibilem in cælo Beatis. R. ex Matthæo cap. 5. & 18. ad Cor. 1. cap. 13. Tum quia per omnes Theologos in visione, & fruitione consistit beatitudo. Animas in cælo Deum videre, declaravit Conc. Florent. sess. 25. Textus autem Sacræ Scripturæ adducti ab hæreticis, ad firmandam eorum sententiam, solùm evincunt, Deum non posse videri oculo corporeo, neque posse comprehendi.

6. Existenti in charitate nullum peccatum imputari dicebat. R. quia charitas, prout dicit gratiam sanctificantem, est incompatibilis cum omni peccato mortali, per cujus commissionem subtrahitur gratia, & statim subsequitur quod ait Apostolus ad Roman. cap. 6. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*. Tum quia si existenti in charitate nullum peccatum imputaretur, sequeretur, quod semel ac quis accepit charitatem infusam in baptismate, nunquam posset à gratia excidere, & sic posset unusquisque impunè, & pro libito peccare. Tum quia si existenti in gratia nullum peccatum imputaretur; sequeretur, quod ex infusione virtutum, daretur aditus ad vitia, & homines

nes probi ob amorem Dei possent facere quæ sunt contra legem Dei, quæ omnia sunt absurda, & scandalosa.

7. Dixit, quod qui cognitionem Dei in se habet continet quoque in se Paradisum; è contra qui peccatum mortale habet, in se habere Infernum. R. quia ex Sacra Scriptura Paradisus vocatur sinus Abrahæ, locus quietis; Infernus verò, locus tormentorum: ergo Paradisus, & Infernus consistere nequeunt in assignatis ab *Almarico*, qui in tantùm sic locutus est, quia tam Paradisum pro bonis, quàm Infernum pro malis esse negavit: Reprobante eum Christo, qui in extrema discussione dicet bonis: *Venite, percipite regnum*, malis autem: *Ite in ignem æternum*. Sed si Paradisus consisteret in cognitione Dei, quam hic potest homo acquirere: sequeretur quod Theologus, qui media Theologia plus habet cognitionis rerum Divinarum, licèt discolus, haberet Paradisum, & illo careret rusticus, licèt pius, ac devotus. Si verò Infernus nihil aliud esset, quàm conscientia peccato lethali infecta, tantùm cruciaretur, qui habet unum peccatum mortale, quàm qui plura commisisset; cum autem legatur de peccatoribus, quod *Lætantur cum malè fecerint, & bibunt sicut aquam iniquitatem*: hinc planè deducitur, Infernum non esse solùm reatum culpæ.

8. Dixit Corpus Christi non esse aliter in hostia consecrata, quàm in qualibet alia re. R. verbo *Calvinus*, contra quem probatur realis existentia Corporis Christi in Eucharistia, de qua etiam actum est contra Albanenses, qui Sanctissimum Altaris Sacramentum, nihil esse dixerunt.

9. Dixit quemlibet teneri credere se esse membrum Christi, & neminem salvari posse, qui hoc non crederet. R. nam licet Christus sit Caput omnium Christifidelium, nosque ejus membra simus, quatenùs sumus de corpore Ecclesiæ, hoc verum est in sensu morali, non autem in sensu reali, quasi Christi Corpus realiter conficiatur ex omnibus corporibus Christifidelium; si hoc enim verum esset, jam quidquid docet Ecclesia de Christi incarnatione, corrueret: vel fortè intendit exprimere hoc loquendi modo Almaricus, quod tenemur credere nos esse in gratia, & hoc falsum est; nemo enim scit an sit odio, an amore dignus. Tum quia si hoc sufficeret credere ad salutem obtinendam, jam pateret aditus ad omnia scelera: videtur tamen Almaricum potiùs in priori sensu locutum fuisse, quandoquidem consimilem errorem sequentem promulgavit.

10. Dixit omnes creaturas tandem in Deum redire, in ipsumque converti, ut unicum sint cum ipso individuum, quæ propositio est non minùs erronea, quàm ridicula, ut proinde meritò Conc. Lateran.4. reprobando Almarici errores, dixerit ejusdem doctrinam, non tantùm hæreticam, quàm insanam esse censendam.

11. Dixit Sanctorum invocationem, Altarium, & Imaginum thurificationem esse Idololatriam R. quoad invocationem Sanctorum, verbo *Vigilantius*; quoad thurificationem Altarium. R. ex Sac. Scriptura Apocalip. cap.8. *Et alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa ... & ascendit fumus incensorum de manu Angeli coram Deo*; in qua visione S. Joannes edoctus est, & per ipsum universa Ecclesia, acceptam esse Deo protestationem honoris, quæ Deo in thurificatione adhibetur. Tum quia ex facto Jacob, qui erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper, comprobatur Altaria, quæ erecta sunt in titulum, scilicet Deo sacra, posse thurificari, neque hæc esse Idololatriam; quia omnis cultus, omnisque ritus sacer, quo Ecclesia utitur, dirigitur ad honorem Dei, quem honorat mirabilem in Sanctis suis, propitium ad supplicum preces in Ecclesiis suis. Quoad cultum sacrarum Imaginum. R. verbo *Iconomaci*.

12. Dixit mentem Contemplativi, vel Beati perdere suum esse in genere, & redire in illud esse, quod habuit in mente Dei. R. quia creaturæ in mente Dei sunt ipsa essentia Dei, in qua creaturæ omnes meliùs contínen-

nentur, quàm in seipsis; quia essentia Dei eminenter continet creaturarum omnium essentiam, & esse quod habent creaturæ in mente Dei nunquam amittunt, ergo est inintelligibile quomodò mens Contemplativi, vel Beati, perdat suum esse in proprio genere, & revertatur in illo esse, quod habuit in mente Dei: data enim Almarici sententia, Beati desinerent esse realiter à parte rei: Beati autem videntes Deum, similes quidem Deo erunt: sed non erunt indistincti ab ipso: esse verò, quod habent Beati in mente Dei, nullatenùs est à Deo distinctum.

II. Alogi de quibus mentionem facit S. August. de hæresi 133. non ab Auctore (quis enim eorum Auctor fuerit ignoratur) sed ab ipsa hæresi quam propugnabant, nominati fuerunt; *Logos* enim græcè significat *verbum*, & *alogos* idem exprimit ac sine verbo. Alogi ergo, sive Alogiani in Græcia, circa finem seculi secundi.

1. Dixerunt Filium non posse dici Verbum Patris, quod ut sustinerent, rejiciebant Apocalypsim, & Euangelium S. Joannis, quia ex utroque libro apertè colligitur Jesum Christum esse Verbum Patris. Repr. Sap. cap.18. vers.14. Eccl. cap. 1. ver. 5. Joann. cap.1. ver.7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*, ex psalmo 106. vers. 20. *Misit Verbum suum, & sanavit eos*, ex quibus Scripturæ locis, constat Filium in Divinis esse Verbum Patris, & hoc nomen *Verbum* in Divinis de facto significare secundam Personam Trinitatis. Estò quod Spiritus Sanctus, aliquando dicatur etiam Verbum, ut in epist. ad Hebr. *Portans omnia Verbo virtutis suæ*: non dicitur tamen Verbum ex vi productionis; sed solùm ab effectu quem operatur, quatenùs ille est, qui dat affluentiam sermonis Apostolis, Doctoribus, & Martyribus, & verbi Dei promulgatoribus: juxtà illud Matth.10. vers. 19. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Nec demùm valet negare Filium dici posse Verbum, quia verbum ore profertur, & est transitorium: quando enim Scriptura dicit Filium Dei esse Verbum, non de verbo materiali loquitur, & ab ore prolato, sed de Verbo æterno, producto per intellectum Divinum.

IX. Amalarius primùm Diaconus, deinde Presbyter Metensis, postmodum Episcopus, sed cujus Ecclesiæ, nihil certi colligitur apud Scriptores, quorum aliqui, eumdem confundunt, cum Amalario Archiepiscopo Trevirensi, qui sub Regno Caroli Magni, inter Primates sui ævi Ecclesiæ Prælatos, doctrina insignes, celeberrimus extitit. Verum quidem est, quod licèt hi duo Amalarii fuerint coævi, distinguendi tamen sunt. Amalarius ergo, de quo hic agimus, qui in Ducatu Luxemburgi Abbatiali dignitate, vel Episcopali, ut alii sentiunt, unà simul & scientiæ fama distinguebatur, scripsit libros 4. de Divinis Officiis, in quibus plura inutilia, absurda, & noxia reprehendit Abogardus Lugdunensis Archiepiscopus, eorum librorum impugnator. Amalarium negasse realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia, falsò asseritur ab aliquibus, eumdemque vindicat ab hac nota Natalis Alexander. In errorem tamen Sterquilinistarum incidisse, a liqui affirmant. An reponendus sit inter hæreticos judicet Lector ex his, quæ de eodem legere potest in Natali Alexandro, in Sirmundo, in Not. ad Tom.2. Conc. Gal. & aliis.

IV. Amantius vixit circa annum 371. aliqui Scriptores hunc Amantium eumdem esse arbitrantur, qui Palladius dicitur, contra quem disputavit, quemque convicit D. Ambrosius.

1. Dixit Verbum incarnatum non esse consubstantiale Patri, & consequenter non esse Deum. R. verbo *Achillas*, & iterùm Repr. verbo *Arius*.

XVI. Ambrosiani dicti etiam *Pneumatici*, Ducem habuerunt quemdam nomine Ambrosium, hos Gravina in sua tabula analitica, inter Antichristianos, Scmia-

Semiatheos recenset; Pratelous Anabaptistarum surculum esse arbitratur. Porrò Ambrosius circa annum 1559. receptas à Deo speciales revelationes fingens.

1. Dixit Scripturam utriusque Testamenti esse abdicandam, & præcepta omnia contemnenda. R. quoad abdicationem Scripturæ Sacræ ex his quæ dicta sunt verbo *Albanenses*. Tum etiam ex illo Divi Pauli ad Hebræos: *Tenete traditiones &c.* Tum ex Conc. Nicæn. actio.6. *Si quis traditionem Ecclesiæ sive consuetudinem valentem non curaverit, anathema sit*. Tum quia in omni Republica benè ordinata dantur leges, & leges debent innotescere his, qui sunt de corpore Reipublicæ, ut possint illas servare: ergo & in Republica Christiana ordinata à Deo, admittendæ sunt leges, quæ omnibus innotescant. Sed abdicata Scriptura utriusque Testamenti, Respublica Christiana esset sine legibus; ergo non esset benè ordinata. Tum quia abdicata Scriptura Sacra, & omnibus præceptis contemptis, liberum esset unicuique pro suo arbitrio vivere, & sic tot essent leges, quot capita; vera autem lex, una tantùm esse potest. Tum quia Christus præcepit nos obedire Superioribus; sed superfluum foret hoc præceptum, si præcepta essent contemnenda.

XVI. Ambrosius vixit seculo 16., & prout refert Coccius anno 1579. edidit librum de Augustana confessione, pluribus refertum erroribus, sed præcipuè scripsit, panem esse corpus Christi, & vinum esse sanguinem Christi significativè, non aliter, ac clavis tradita sit domus, sceptrum sit imperium, & annulus sit hæreditas, ideoque negat realem existentiam corporis Christi in Eucharistia. R. verbo *Calvinus*, *Anabaptistæ*, *Sacramentarii*.

XV. Amedeus natione Mediolanensis arithmeticæ scientiæ in eadem urbe publicè Lector, deinde Theologiæ Professor, plures hæreticas propositiones tempore Eugenii IV. anno 1446. disseminabat: quales fuerint propriè ejus errores non recensent Auctores. Certum est, quod sæpè fuit à S.Bernardino, Viro verè Apostolico; impugnatus, ex quo colligitur Amedeum, utpotè insignem Arithmeticum, voluisse ex ejusdem principiis in Theologia syllogizare; proinde probabile est circa Sanctissimum Trinitatis mysterium errasse, quod, arguitivè solùm, non positivè perhibeo: cæterum hæreticum, & recidivum fuisse comperimus, ex eo quod Eugenius IV. scripsit ad Archiepiscopum Mediolanensem, ut eumdem carceri manciparet

XVII. Amesius Calvinista, qui Cardinalem Bellarminum impugnare est aggressus, vixit seculo 17. sed contra Amesii cavillationes extant vindiciæ R.P.Viti Erbermanni S. I. quæ in Tomo 4. operum Card. Bellarm. impressæ fuerunt.

V. Ametritæ secuti sunt antiquorum Philosophorum sententiam: dicentes innumerabiles esse Mundos. R. ex lib. Genes. ubi Moyses unius Mundi creationem describit, nec de aliis mentionem facit; & si essent alii Mundi à Deo creati, Deus alicui ex Prophetis revelasset, sicut tot alia mysteria magis abscondità, tam in lege scripta, quam in lege gratiæ hominibus revelare sibi complacuit. Vide Sirmond. lib.5. de hær.

XVI Amphidoxi (ex Lutherana progenie orti) arbitrantur unumquemque hominem in fide sua salvari, dummodo in Christo credat per se passum, ac mortuum. R. verbo *Aetiani*, *Antinomi*, *Jo: Seignour*, *Calvinus*.

XVI. Ammistæ prodierunt ex secta Lutheri, & inter Lutheranos molles adscribuntur à Gravina. Hi sunt, qui cum viderent multas esse inter Lutheranos dissensiones, præcipuè inter Osiandrinos, & Antiosiandrinos, qui in pluribus articulis discordant, quod commune est inter Sectarios, ubi ferè quot eapita tot sententiæ: studuerunt modum conciliandi prædictos Osiandrinos, & Antiosiandrinos hoc medio, ut hinc inde dissimularentur eorum errores, & sic cessaret inter ipsos contentio. Sed futilis est modus conciliandi dissensiones, maximè in materia Fidei, per dissimulationem errorum, quandoquidem

dem vera Fides nullam simulationem errorum, quandoquidem vera Fides nullam simulationem patitur. Una tantùm est vera Fides, & si dissimulando errores, liberum esset unicuique quod magis arridet sentire, jam non una esset Fides, imò unusquisque secundùm suum errorem, sibi esse posset Auctor, & Magister Fidei, quod quam erroneum sit dicere, per se patet, ut hinc satis manifesta appareat horum Sectariorum insipientia.

II. Ammonius fuit Patria Alexandrinus, summa eruditione præditùs; vixit circa annum 200. quippè qui Origenem habuit discipulum. Hunc in hæresim incidisse testatur Porphirius, sed defendit Nicephorus, & eumdem usque ad canos Orthodoxum fuisse asseverat. Certè fatiùs, est Niceforo, utpotè Catholico, quàm Porphirio hæretico fidem adhibere. Ammonii scripta eumdem Christianum fuisse perhibent: eruditè prosequitur Ammonii defensionem Niceforus lib.5. hist. eccl. cap.16.

II. Ammonius filius Bardezanes ejusdem hæresis hæres. Vide *Bardezanes*. De hoc Ammonio scribit Theodoretus hær. fab. lib.1.

IV. Ampulianus ex Bithinia, defendebat errorem suum testimonio Origenis, cujus opera ad hoc malitiosè depravaverat, sicut constat ex S. Pamphilo Martyre, qui Apologeticum edidit, & omnia, quæ de Origene, ejusmodi corruptores mentiuntur exclusit.

1. Docuit omnes criminosos cum Diabolo, & Dœmoniis eò usque torqueri in gehenna, quousque puri redire possint; inde mundos, & immaculatos egredi. R. verbo *Anabaptistæ*, contra quos dari Infernum æternum probavimus.

XVI. Amsdorphiani, prout perhibet *Staphilus*, propagati sunt ex secta Lutheri, numerantur inter Confessionistas rigidos, prodierunt anno 1533. Duce Nicolao Amsdorphio Ministro Lutherano, & à Protestantibus Episcopo consecrato, quem Carolus V. ab Imperii ditione fugere coegit; sed apud Magdemburgenses, jam hæresi Lutherana infectos, asylo invento, Lutheri erroribus etiam hunc addidit.

1. Scripsit librum, in quo ostendere nitebatur, bona opera esse perniciosa ad salutem. R. ex Sac. Scriptura ad Philippenses cap.2. vers.12. *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini*, ex D.Petro epist.2. cap.1. vers.10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*. Ex quo patet non modò bona opera non esse perniciosa, sed necessaria ad salutem. Insuper Christus in Euangelio præcipit dilectionem, docet operibus justis vacare, nempè mortificationi, eleemosynæ, ægrotorum curæ, & similibus; sed Christus, qui venit omnes salvare, nihil potest præcipere perniciosum ad salutem; ergo &c. Tum quia si bona opera essent perniciosa ad salutem, pauperes deberent ex necessitate perire, quod tamen adeò est inhumanum dicere, ut etiam inter Turcas, inveniant pauperes subsidium; adeò erronea visa est Amsdorphii sententia, ut adhuc ipso vivente, omnes sectatores ab eodem recesserint, sed ipse nihilominùs obstinatior factus, in sua impietate decessit.

XVI. Anabaptistæ, à quo originem habuerint, non conveniunt Auctores. Sunt qui à Bernardino Ochino, alii à Zuinglio, alii à Carolo Stadio, qui à Thoma Montzero Auctore belli rusticani in Germania, alii à Joanne de Leidem, vel à Balthazare Pacimontano progenitos fuisse authumant. Hic notandum, quod licèt nomine Anabaptistarum veniant rebaptizantes, nihilominùs non debent inter Anabaptistas recenseri, qui tertio currente seculo, sedente Stephano Pontifice, quæstionem hanc, nondùm tunc temporis ab Ecclesia decisam agitarunt, inter quos S.Cyprianus opinari visus est, rebaptizandos ab hæreticis jam baptizatos, quod decisum est ab aliquibus Africanis Conciliis. Viceversa Stephanus Papa decrevit hæreticos ad Ecclesiam accedentes non fore rebaptizandos. Conciliantur tamen Patres Africani cum Stephano Papa, si ani-

animadvertat Lector, Africanos Episcopos asseruisse rebaptizandos eos, qui non fuerunt baptizati ab hæreticis in nomine expresso Sanctissimæ Trinitatis, quod neque negavit Stephanus Papa, dum declaravit, non rebaptizandos hæreticos, illos scilicet, qui baptizati fuissent in nomine Sanctissimæ Trinitatis. His præmissis, ut ad Anabaptistas hæreticos revertamur; probabiliùs est semina Anabaptismi sparsa fuisse à Thoma Montzero, & Nicolao Storchio Witembergæ, absente Luthero; Verum quidem est, quod Anabaptistæ Lutherum Auctorem habere gloriantur, qui de facto in libello ab ipso edito Witembergæ anno 1523. asserit præstare Infantes non baptizari, quàm sinè fide propria baptizari; sed cum jam anno antecedenti Witembergæ Anabaptisma grassaretur, dicendum Lutherum, Thomæ Montzerii doctrinæ, quæ jam radices dilataverat, adhæsisse; & fortè data opera illam doctrinam prædicasse, ad quam Witembergenses jam proclives detexerat, & in eadem doctrina, ad quam Thomas Montzerius, Luthero absente, Witembergenses induxerat, solidasse. Hoc enim ex ipsis Lutheri scriptis facilè colligitur, quod dummodò posset inducere Populos, ad profitenda dogmata Ecclesiæ Romanæ contraria, nihil inde curabat, sivè propria hæc, sive aliena esset doctrina, quandocunque ad Euangelicæ Fidei, & Papatus destructionem conduceret. Anabaptistæ, quod idem est, ac rebaptizantes, à præcipuo errore quem profitebantur, nomen sortiti sunt; quia scilicet rebaptizabant Infantes legitimè baptizatos à Catholicis, credentes neminem posse validè baptizari, qui rationis usum non haberet; in propria siquidem fide, non in fide aliena, unumquemque debere baptizari asserebant; & huic errori omnes Anabaptistæ semper adhæserunt, licèt in varias factiones divisi, quoad reliqua, multi multa sentirent. Hisce adhuc temporibus in Olandia, & Anglia sunt Anabaptistæ, dicti etiam Menonitæ, à quodam Simone, cujusdam Menonis à Frisia filio, & primario modernorum Anabaptistarum Doctore nuncupati, quorum errores utpotè diversi ab illis primorum Anabaptistarum, & longè minores, etiam infrà adducemus. Moderni enim Anabaptistæ, qui sunt in Olandia, & Anglia, solùm quatenus Infantibus negant Baptismum, cum veteribus conveniunt, & alias illorum enormitates rejiciunt. Quantùm spectat ad primos Anabaptistas Petrobusianorum, & Henricianorum hæreses omnes profitentur, quibus sequentes addiderunt errores.

1. Dixerunt Baptisma nihil prodesse parvulis, proinde eos rebaptizabant in adulta ætate. R. parvulis Deus vult salutem; ergo vult etiam conferri media necessaria ad ipsam obtinendam, cujusmodi est Baptismus, à Christo institutus, ad expiandum originale peccatum, & propter hanc rationem Concilium Florentinum habitum sub Eugenio IV. declarat conferendum esse parvulis Baptismum, quia scilicet si decederent sinè Baptismo, non possent obtinere salutem, quam Deus vult dare omnibus. Hac etiam de causa Sacramentum Baptismi prodesse parvulis, declarat Conc. Lateran. sub Innocentio III., & Trident. sess.7. Can.13. Insuper conferendum parvulis Baptismum, probatur argumento à fortiori; quia in lege veteri conferebatur circumcisio, quæ utique nonnisi cum multo parvulorum incommodo suscipi poterat, ad effectum purgandi eos ab originali; ergo à fortiori in lege gratiæ debet conferri Baptismus, qui sinè incommodo parvulorum suscipitur. Tum quia certum est sinè Baptismo neminem posse salvari; ergo si non potest conferri parvulis Baptismus, dicendum foret desperatam esse parvulorum salutem, quos tamen Christus ad se vocat, dicens: *Sinite parvulos venire ad me*. Puer autem baptizatus, non est in ætate adulta rebaptizandus, ut volunt Anabaptistæ; nam cum Baptisma conferatur ad delendum originale, superfluum esset iterùm baptizare illum, qui cum Baptismate jam est ab originali absolutus; cessante enim fine, cessare debet & medio-

diorum applicatio. Deinde Ecclesia confitetur unum Baptisma; ergo cum Baptisma collatum pueris sit validum, ut constat ex supradictis, non est reiterandum. Iterationem Baptismi damnavit Conc. Carthag. 1. Can. 1. Licèt illud Concilium fuerit principaliter ad approbandum Baptismum collatum ab hæreticis. In tantum verò Anabaptistæ negant Baptismum prodesse parvulis, quia fidem non habent. Estò tamen, quod fidem non habeant per proprios actus elicitam, supplet nihilominùs fides Matris Ecclesiæ, undè suscipiunt infusam; dignum nempè est, & ad Dei spectat bonitatem, ut quibus fidem ætas denegat propriam, gratia prodesse concedat alienam. Neque obstat, quod legitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit.* Hinc enim non evincitur omnes baptizandos, propriam debere habere fidem, sed solùm adultos, de quibus ibidem Christus loquebatur. Vide quæ dicta sunt contra *Agrippinum*.

2. Negant Christum Dominum sumpsisse carnem de M. V. R. verbo *Euthyches*.

3. Rejiciunt plures Scripturæ libros. R. verbo *Albanenses*.

4. Ecclesiasticos ritus avversantur. R. ritus Ecclesiastici ad Deum glorificandum diriguntur; plures ex ritibus Ecclesiasticis observantur ex traditione Apostolica, ipsi siquidem plures ritus, qui nunc sunt in praxi, instituerunt, ut colligitur ex D. Paulo, qui cum plura jam docuisset quoad ritus Titum, de reliquis in adventu suo dispositurum scripsit, quod apertè patet ex illis verbis: *Cætera cum venero disponam*. Insuper Ecclesia habet auctoritatem instituendi ritus, quos observare tenentur Christiani, ut dictum est contra *Aerianos*, & *Albanenses*; ergo Ecclesiastici ritus non sunt improbandi.

5. Dixerunt Magistratus, & Principatus abolendos, tanquam libertatis suffocatores. R. ex Script. ubi legimus: *Omnem potestatem à Deo esse, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Tum quia plura exempla habemus in Scriptura de Divina vindicta in eos excita, qui contra Magistratus, & Principatus insurrexerunt, vel occidere ausi sunt, ut faciendum esse contendunt Anabaptistæ, ad vindicandam omnimodam libertatem. Datam esse Principibus potestatem, patet ex eo, quod dixit Christus Pilato. Jo. 19. vers. 11. *Non haberes potestatem adversùs me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Tum quia ubi sunt Principes, & Magistratus, ibi viget justitia, & nemo opprimitur; è converso sinè Principibus, & Magistratibus grassantur prædones, latrocinia, homicidæ, & consequenter enervatur libertas; ergo &c.

6. Volunt non licere Christianis bona temporalia possidere. R. verbo *Aetiani*, & *Apostolici*.

7. Etiam non licere à prædonibus se defendere, sed hoc est contra jus naturæ, ideoque ex hoc satis patet insubsistentia assertionis.

8. Uxorum communitatem invexerunt. R. verbo *Bernardinus Ochinus*, & verbo *Adamitæ*.

9. Angelis Apostatis, damnatisque hominibus veniam post Judicium polli centur. R. & quidem quoad Angelos spectat, veniam non esse consecuturos, probatur ex illo Matthæi: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus*; ergo si ignis æternus, paratus est Diabolo, & Angelis ejus, Angeli Apostatæ veniam non consequentur: neque peccatores, siquidem ad eumdem ignem erunt destinati. Urget instantia, quia hæc sententia comminabitur à Christo in die Judicii; ergo post Judicium, nec Angeli apostatæ, nec Peccatores veniam consequentur. Probatur item ex illo Isaiæ cap. ult. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Item Judith. cap. 16. vers. 20. & 21. *Veh genti insurgenti super genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die judicii visitabit illos. Dabit enim ignem, & vermes in carnem eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum*; ergo si *usque in sempiternum* nulla spes veniæ remanet damnatis. Illud autem Davidis

psalm.15. ver.8. *Non derelinques animam meam in inferno* non probat Infernum habiturum finem, sed refertur ad Christum, cujus anima non est relicta in Inferno, scilicet in Limbo Sanctorum Patrum, quod probant subsequentia verba: *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*, corpus enim Christi resurrexit gloriosum, nec fuit corruptioni obnoxium. Igitur Propheta illis verbis prophetavit de Christi resurrectione, non autem locutus est de inferno damnatorum. Item quod legitur psal.76. *Numquid in æternum projiciet Deus, aut oblivisectur misereri Deus*. Non significat Deum in communi sensu allegorico aliquando daturum veniam damnatis, sed sunt verba, per quæ S.Propheta prævidens quanta esset damnatorum multitudo, quasi timens exclamabat: possibile ne est tantam multitudinem esse damnandam, ut admodùm pauci debeant obtinere à Deo misericordiam, & salutem.

10. Sustinent per opera bona,& sancta, justificationem nostram non augeri. R. Apoc. cap.22. vers.11. *Qui justus est, justificetur adhuc*, ad Philippenses cap.1. vers.9. *Oro, ut charitas vestra magis, ac magis abundet*. Item 2. ad Cor. cap.9. & ex aliis Scripturæ locis colligitur per bona opera de facto justificationem augeri; cæterùm si non augeretur justificatio, omnes essent in sanctitate pares, & æqualem reciperent mercedem, quod falsum est, quia Deus secundùm merita confert præmia; Insuper Conc. Trid. sess.6. cap.10. Canone 24. dicit Anathema negantibus per bona opera justificationem augeri; sed & ex ipsa natura gratiæ, quæ est qualitas supernaturalis collata à Deo, constat justificationem posse recipere augmentum; qualitas enim suscipit magis, & minùs; estò gratiam gratis à Deo conferri; hinc non sequitur ad positionem operum bonorum, non debere augeri, quia Deus regulariter loquendo, promisit conferre donum gratiæ magis, & minus, secundùm majorem, vel minorem quantitatem, vel qualitatem bonorum operum; quia verò gratia est gratis data, licèt Deus in collatione gratiæ, respiciat ad majora, vel minora merita; semper stat, quod gratia sit gratis data, & ex sua liberalitate quodammodò fecit se Deus nobis debitorem, promittendo augmentum gratiæ benè operantibus. Demum si Deus non augeret justitiam, superfluum esset Ecclesiam orare: *Da nobis fidei, spei, & charitatis augumentum. Auge piis justitiam*, & similes preces quas Ecclesia effundit.

11. Negant corpus Christi esse realiter in Eucharistia. R. efficaciter verbo *Sacramentarii*. Existentia realis in Eucharistia, tot tantisque est declarata miraculis, quæ adhuc diversis vigent in locis, ut neque apud Infideles esse possit locus dubitationi. Hanc veritatem adeò claris testimoniis unanimiter profitentur omnes Sancti Patres, ut nullum sit hæreticorum subterfugium, cum verba Scripturæ, ad hoc Sacramentum spectantia, in diversum sensum exponere conantur.

12. Millenariorum errorem renovant. R. verbo *Millenarii*.

13. De salute sua se securos jactant, & jubent illorum singulos id de seipsis habere indubitatum. Repr. ex Apostolo, qui nos docet operari cum timore, & tremore nostram salutem: quod superfluum esset, si posset homo certus esse de sua salute, ideò legitur: *Quis scit utrùm ignoscat, & misereatur Deus*. Item: *Nemo scit, an sit odio, vel amore dignus*; quæ omnia evincunt, neminem posse esse certum suæ salutis; quam certitudinem si quis haberet, posset impunè peccare, & sic sequeretur peccatores esse glorificandos. Tum quia ille est certus de sua salute, qui certò scit se non habere peccatum, vel certò scit peccata sua sibi esse remissa, sed neutrum ex his; nam quantùm ad primum ait Joannes: *Si quis dixerit se peccatum non habere, mendax est*, quantùm ad secundum, Deus de via ordinaria hoc non revelat, & solùm ex singulari privilegio vivit aliquis immunis à peccatis, ut præ cæteris vixit Virgo Dei Genitrix;

trix; vel revelat Deus alicui peccatori transtulisse peccata ejus; ficut de Davide legitur.

14. Fuerunt ex Anabaptistis, qui asseruerunt, Christum in cruce dicentem: *Eli Eli Lamasabacthani* peccasse peccato desperationis. R. verbo *Antichristiani*.

15. Sustinuerunt quamlibet fœminam obligari ei, qui illam concupierit servire, & viceversa. R. ex præceptis Decalogi: *Non mæcaberis, non concupisces mulierem alienam*. Insuper Adulterium in lege veteri erat districtè prohibitum, sub pœna mortis, ut patet Levit. cap. 20. vers. 10. ergo nulla est obligatio ficta ab Anabaptistis. Tum quia talis obligatio esset in præjudicium prolis, ad quam solam procreandam, licet inter conjuges, habere copulam carnalem. Tum quia ad Cor. 7. vers. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir*; ergo mulier non potest tradere corpus suum alteri, quàm proprio viro: ergo non obligatur &c. Eccl. cap. 19. ver. 3. *Qui se jungit fornicariis, erit nequam, putredo, & vermes hæreditabunt illum*; sed nemo potest obligari ad perpetrandam nequitiam; ergo &c.

16. Dixerunt temporibus Christi, & Apostolorum verbum Dei purè traditum non fuisse. R. verbum Dei tunc erat ab ipso Deo, in carne visibili nobiscum conversante prolatum, & per suos Apostolos, qui immediatè ab ipso Christo didicerant, quæ docebant, ergo purissimum fuit verbum, quod ab ipso fonte immediatè emanabat; etsi liceret dubitare de puritate verbi Dei traditi tempore Christi, à fortiori posset dubitari de verbo Dei tradito in lege veteri: sed illud, ut par est, tanquam irrefragabile acceptatur: ergo etiam istud. Tum quia Christus, qui prædicabat, & docebat, est ipsa veritas; ergo non poterat nisi vera dicere; & de facto Christum in veritate docuisse, ex eodem constat, qui sæpè dixit: *Amen Amen dico vobis, in veritate dico vobis, cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*. De Anabaptistis vide verbo *Montzerici*.

VII. Anastasius Jacobita. Hic Anastasius, quem alii etiam Athanasium vocant, mordicùs Jacobitarum errores sustinuit, & Sanctum Chalcedonense Concilium oppugnavit. Hierapolim ad Heraclium profectus tunc de Persis triumphantem, acceptus fuit Imperatori, qui ut ad resipiscentiam Anastasium induceret, Patriarchatum Antiochenum eidem obtulit, quod & de facto obtinuit, sub conditione acceptandi Chalcedonense Conc. Ab ampla promissione allectus Anastasius Chalcedonensi Conc. acquiescere simulavit, & duas naturas in Christo professus, unicam tamen in Christo operationem, quam *Dei virilem* vocabat, admisit, quæ malitiosa novæ locutionis restrictio, Imperatorem ipsum, magno totius Ecclesiæ Orientalis damno, decepit. R. verbo *Monothelitæ*.

V. Anastasius Presbyter Patria Antiochenus, primò dogmatum Judæorum sectator, deinde inter primarios Nestorii fautores ab eodem Nestorio assumptus, ad ejus hæresim promulgandam Constantinopoli pertinax adjutor fuit anno 428. referente Bar.

1. Dixit Mariam non debere vocari Deiparam. R. ex Conc. Ephesino, quod salutationi Angelicæ addidit hæc verba: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ*. Luc. 1. *Quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei*. Tum quia illa verè est Mater alicujus, quæ illi, cujus dicitur Mater, ministrat in generatione materiam, ex qua conficitur corpus; sed Maria Filio Dei nascituro cum humanis membris, de facto ministravit materiam suam purissimam: ergo &c. Tum quia Christus est verè Filius Dei, ut probant plures scripturæ Textus; sed Maria peperit Christum, ergo verè est Mater Dei. Nec valet cum Nestorio dicere, Deus non potest nasci ex homine, ergo Maria cum sit homo, non potest esse Mater Dei; nam licèt Christus, qua Deus, sit ab æterno genitus, nec possit nasci in tempore, nec ab homine, attamen certum est, quod persona Verbi unita est humanitati in tempore, ex qua unione resultavit Christus Dominus, qui licèt sit Deus, & homo,

homo, non duo tamen, sed unus est Christus, qui de facto natus est de Maria Virgine, ergo Maria verè est Mater Christi, ergo verè dici debet Mater Dei, cum ille quem genuit, verè sit Deus. Insuper Maria quando genuit habuit terminum generationis, sed terminus generationis fuit homo Deus, ergo Maria verè est Mater Dei, quia genuit hominem subsistentem divino supposito; Argumenta verò adversariorum, probant quidem Mariam non esse Matrem Divinitatis, quod ultrò concedimus, sed non evincunt haud quaquam esse Matrem Christi, qui verè est homo Deus: Nam ut Maria sit Mater Dei, debet verificari, quod dederit initium existendi homini Deo, sive humanitati subsistenti subsistentia Divina, sicut de facto fecit, concipiendo hominem subsistentem subsistentia Verbi, quia homo Christus, eo quod subsistat subsistentia Verbi, verè in concreto est Deus, ergo si Maria verè dicitur Mater Christi, etiam dici debet Mater Dei.

V. Anastasius Dicors. Sic nuncupatus à discoloribus oculorum pupillis, quarum una erat nigra, alia cærulea. Obtinuit Imperium post Leonem Isauricum anno 493. liberum erat sub ejus Imperio in quacumque lege, aut hæresi vivere, excepta orthodoxa evangelica, cujus inimicissimus, in ejus odium plura scelera patravit, inter quæ non est silentio prætereundum, quod trecentum quinquaginta Monacos, Romanæ fidei defensores, jussit gladio perire. Qui plura de Anastasio desiderat, Baronium consulat ab anno 497. usque ad annum 518. Quantùm ad nostrum institutum spectat, fuit Euthichianæ hæresis acerrimus propugnator, supra, quam addidit aliam impietatem.

1. Dicens non Trinitatem, sed Quaternitatem adorandam esse in Divinis. R. essentia non est quid realiter distinctum à tribus Personis, cæterùm nec Pater, nec Filius, nec Spiritus Sanctus essent Deus; ergo essentia Divina, si est idem realiter cum tribus Personis, non quaternitas, sed Trinitas admittenda est in Divinis. Tum quia legimus: *Tres esse, qui testimonium dant in Cælo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*; Item si essentia Divina esset realitèr distincta à tribus Personis, verus esset conceptus, quo quis conciperet Personam Divinam, sinè divinitate, sed implicat concipere Personam Divinam, reduplicativè qua talem, sinè divinitate; ergo implicat concipere essentiam realiter distinctam à Personis, & consequentèr implicat concipere quaternitatem in Divinis. Tum quia in Divinis, nulla potest esse realis distinctio, nisi inter producentem, & productum, inter generantem, & genitum, sed essentia divina, nec est producta, nec genita, nec est procedens aut generans, cum sit eadem in tribus Personis, ergo non potest concipi, ut realiter distincta: ergo essentia divina non constituit quaternitatem in divinis, ut vult Anastasius. Nec valet dicere quod natura divina, in suo conceptu formali, non est Pater, nec Filius, nec Spiritus Sanctus, ad inferendum esse realiter distinctam à tribus Personis; quia licet natura divina, in suo conceptu formali, non sit Pater, tamen tam Pater, quàm Filius, quàm Spiritus Sanctus includunt essentialitèr divinitatem, ex quo infertur quod natura Divina, non constituit quartam entitatem; cæterùm si teneret ratio adversaria, non modo quatuor, sed sex entitates in Divinis essent admittendæ, ut consideranti patet. In Deo esse solùm Trinitatem, non quaternitatem, definitum est in Conc. Florent., & in Later. cap. *Damnamus*.

2. Papam debere parere Imperatori, quod asserens, renuit obedire Papæ, ejusque legatis, & Episcopo Constantinopolitano. Repr. Potestas Pontificis, quæ est immediatè à Deo, nullum superiorem agnoscit. Imperator est una ex ovibus Ecclesiæ; ergo debet obedire Pastori, non enim ovis esse potest supra Pastorem, scilicet Pontificem, cui soli Christus dedit potestatem super universos Christifideles, non autem hanc potestatem dedit Imperatoribus. Tum quia Imperatores Christiani, Anastasii prædecessores, Pontifici Romano se submiserunt, eique obtemperarunt, ut colligitur ex Annalibus Ecclesiasticis. Tum quia Summus Pon-

Pontifex eſt Supremus Judex controverſiarum, ut probabitur contra *Marſilium de Padua*, nec poteſt ab aliquo judicari, ſed hoc non ſubſiſteret, ſi Papa deberet parere Imperatori.

VIII. ANASTASIUS Abbas Monaſterii S. Euthymii in Siria, anno 749. extinctam hæreſim perditiſſimi Gnaphæi in lucem revocare ſtuduit, cui malo opportunè occurrit S. Joannes Damaſcenus, qui eumdem confutavit. Ex Baron.

V. ANATOLIUS Patriarcha Conſtantinopolitanus, fuæ urbis fretus potentia, voluit ſe totius Eccleſiæ primatem conſtituere, detrahendo Sedi Romanæ, cujus urbis Epiſcopus Supremus Pontifex, & totius Eccleſiæ Caput agnoſcitur. Hæc Anatolii hæreſis, colligitur ex litteris Leonis Papæ ad Marcianum Imperatorem; vixit circa annum 450. R. verbo *Armeni*, contra quos probabitur Epiſcopum Romanum eſſe totius Eccleſiæ primatem.

XVI. ANDREAS SMIDELINUS in Ducatu Witembergenſi ortus anno 1582. parentibus pauperrimis, aliorum ope, qui pueri ingenium mirabantur, ſtudiis fuit addictus, in quibus cum mirabiliter profeciſſet, Cancellarius Univerſitatis Tubingenſis conſtitutus, unus fuit ex potioribus Miniſtris Proteſtantibus, Lutheranæ ſectæ propugnator acerrimus, & pro unione Principum Auguſtanæ confeſſionis nullis pepercit laboribus: plura opera edidit, quorum potiſſimùm eſt inſcriptum *Liber Concordiæ*. Sunt qui in extremis poſitum, reſipuiſſe aſſerant, & ſenſibus orthodoxis mortuum anno 1590. Ex vita Theolog. Germ.

XVI. ANDREAS DUDITHIUS Epiſcopus Civitatis Quinque Eccleſiarum in Hungaria, regnante Sigiſmundo Auguſto Poloniæ Rege, novorum Arrianorum, & Semiarrianorum erroribus fuit infectus. Ex hiſt. Regni Hungar.

Dixit ſufficere ad ſalutem credere in ſolum Deum, & legem ſervare naturæ. R. Præter fidem, & obſervantiam legis naturalis neceſsè eſt primò ad ſalutem ſervare præcepta poſitiva Euangelii, & leges Eccleſiaſticas, quæ obligant in foro interiori conſcientiæ, & quidem leges Eccleſiaſticas imponere veram coram Deo obligationem, habetur ex Script. nam Matth. 18. dicitur: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*; ſed qui tanquam Ethnicus, & Publicanus haberi debet, eo quod Eccleſiam non audierit, gravis peccati coram Deo reus eſt; ergo &c. Luc. 10. ſic Chriſtus ſuos Apoſtolos, eorumque in Epiſcopali officio ſucceſſores alloquitur: *Qui vos audit, me audit*; ergo qui non audit Eccleſiam aliquid præcipientem reus eſt, quaſi Chriſtum ipſum non audierit. Idem oſtenditur ex Conc. œcumenicis, quæ nonnunquam in eos qui Eccleſiaſticis legibus non parent, ſuſpenſionis, depoſitionis, imò & anathematis pœnam comminantur, at graviſſimæ pœnæ non infliguntur, niſi iis, qui coram Deo gravem habent reatum.

Neceſsè eſt ſecundò ad ſalutem ſervare leges civiles, quæ etiam ſubditos obligant coram Deo, quod ſic probatur ad Rom. 13. expreſsè Paulus aſſerit eum, qui poteſtati non obtemperat, Dei ordinationi reſiſtere. *Itaque* (inquit) *qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*; ſed ille, qui Dei ordinationi reſiſtit, coram Deo reus eſt, ut ibidem ait Apoſtolus: *Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*. Etiam monet ſubditos eſſe oportere poteſtati fideles, non tantùm propter pœnam, ſed etiam propter conſcientiam. Ideò ait: *Neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*.

XVI. ANDREAS TIRAQUELLUS ad c. 27. lib. 5. Alexandri ab Alexandro genialium dierum; putat Dœmonum apparitiones, & ſpectra mera eſſe ſomnia. R. ex Gen. 3. verſ. 1. pſal. 90. verſ. 5. Matth. 4. 1. ex quibus textibus comprobatur de facto Dœmones realiter apparere in corporibus aſſumptis, eorumque apparitiones non eſſe ſomnia; quæ veritas totiès comprobata eſt experientia, pluribus in caſibus à Sac. Congregatione examinatis, ut jam nullus remaneat dubitationi locus.

III. ANGELICI. Circa annum Domini 250. apparuerunt quidam hæretici, dicti Angelici, cujus nominis diverſam aſſignant cauſam Auctores; alii enim volunt

lunt dictos Angelicos, quia in Angelorum ordine se constituebant, alii quia persuadebant Colloffensibus superstitiosam Angelorum venerationem; alii quia in finibus Mesopotamiæ, è loco cui nomen Angelines prodierunt. Quatenùs se constituebant in ordine Angelorum. R. ex differentia specifica, quæ est inter hominem materia, & forma compositum, & Angelos, qui sunt spiritus sinè corpore. Quatenùs prædicabant superstitiosam Angelorum venerationem. R. verbo *Apulejani*. Demùm quatenùs.

Dicebant Mundum ab Angelis esse factum. R. ex sacris paginis, ubi omnia à Deo facta esse legitur: *In principio creavit Deus cælum, & terram. Omnia à Deo facta sunt, & sinè ipso factum est nihil.* Tum quia Angeli sunt creaturæ; ergo non possunt creare, quia potentia creativa competit soli Deo. Si dicas non esse creaturas, ergo sunt Dii, & tot erunt Dii, quot sunt Angeli: ex quo pluralitatem Deorum, quæ repugnat ex intrinsecis principiis, opus erit adstruere. Vide verbo *Arcontici*. Sunt qui asserant Angelicos ortum habuisse initio secundi seculi, sub Victore I. & Severo Imperatore, cum potiori tamen, eos seculo tertio constituimus. De Angelicis agit S. Epiph. hær. 60.

XVI. Angelici Novi. Alia Angelicorum species, ex secta Anabaptistarum, prodiit in Silesia, & in Bohemia anno 1596. referente P. Joseph de Turre tit. 4. quæst. 7. art. 8.

1. Dicebant habere unumquemque ex illa secta Angelum familiarem, plura secreta revelantem; sed gratis asserebant, quod tamen ut verum esse ostenderent, eidem Angelo familiari superstitiosa verborum formula fidem, obedientiam, & homagium, qui sunt actus Deo debiti, exhibebant. Utique Christiana Religio docet unicuique concessum fuisse à Deo Angelum Tutelarem; sed tanquam Dei ministros, in nostrum subsidium Angelos destinatos veneratur, & in ipsis Deum honorat, non verò tanquam Deos esse docet, quos constat esse opera manuum Domini.

V. Angelitæ ex Niceph. lib. 8. cap. 49. emerserunt anno 494. sic dicti à loco, in quo cœperunt propagare suum errorem, cui nomen Angelii, propè Alexandriam. Eorum Dux fuisse creditur Theodosius Menophisitarum hæresis princeps: aliquando vocantur Sabeliani; quia Sabelii erroribus adhæserunt: cum quo negabant quidèm Trinitatis mysterium, sed diverso modo suam hæresim explicabant.

Dicebant Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, non tantùm habere communem Deitatem, sive Deitatem in eis existentem, quemlibet esse Deum; & esse unam solam substantiam, sed etiam esse unam solam Personam. R. Deitatem sinè Deitate existentem asserere, idem est, ac Deum, qui non sit Deus adstruere; ergo &c. Insuper si essent una sola Persona Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quidquid dicitur de Patre, deberet posse asseri de Filio, & Spiritu Sancto. Quidquid prædicatur de Filio, posset prædicari de Spiritu Sancto, & Patre; sed hoc est falsum, quia de una Persona dicitur, quod sit generans, de alia, quod sit genita, de alia quod sit spirata. Nec potest dici de genita, quod sit generans, vel viceversa, vel de spirata, quod sit spirans: ergo falsum est, quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sit unica tantùm Persona.

XVI. Anglocalviniani, de quibus Natal. Alex. agit sec. 15. art. 12. §. 3. inter sectas, quæ ex Calvini schola prodierunt videntur mitiùs contra Romanam Ecclesiam sentire, magisque ejus ritibus adhærere; sed tum in disciplina, tum in dogmatibus toto cælo differunt à Lutheranis, & Reformatis. Admittunt ergo Anglocalviniani Episcopalem ordinem de jure Divino cæteris superiorem, quamvis nunc temporis veri Episcopi ibi non reperiantur. Venerantur signum Crucis, quo utuntur in Baptismo: multùm conformantur in ordinatione Presbyterorum cum Ecclesia Romana. Habent Ecclesias Cathedrales, in quibus sunt Canonici, qui celebrant Matutinum, & Vesperas: Superpelliceo utuntur in suis functionibus;

bus; nullam tribuunt Regi facultatem, quoad prædicandum, vel conferenda Sacramenta, sive quoad ferendas censuras, quamvis.

1. Tanquam Summum Ecclesiæ Caput, Regem Angliæ agnoscant, in quo censent esse unitam, cum Regno omnem jurisdictionem Ecclesiasticam. R. Tum ex his, quæ dicta sunt verbo *Anastasius.* Tum quia si summa potestas esset penès Regem, cum plures sint Reges, sequeretur quod summa potestas Ecclesiæ esset in pluribus Regibus, & consequenter non unum, sed plura suprema Capita haberet Ecclesia: nec una foret, sed tot essent Ecclesiæ, quot sunt Regna. Sed Ecclesia, quæ est una, non potest habere nisi unum supremum Caput; ex quo liquidò infertur hunc non posse esse Regem. Tum quia si Rex esset supremum Caput, sequeretur auctoritatem Ecclesiæ, jure hæreditario in Regibus de patre in filium transire; sed Deus nemini dedit hoc jus hæreditarium. Succedit enim ad regimen Ecclesiæ, qui est canonicè electus per suffragia electorum. Tum quia ex ipso Christo patet, quod Reges non sunt Caput Ecclesiæ. Dixit enim ad Apostolos: *Reges terræ dominantur eorum, vos autem non sic.* Ex quo potest inferri, diversam esse jurisdictionem, & regimen Regum, à jurisdictione, & regimine Ecclesiastico: quandoquidem Apostoli docentur diverso modo se gerere, ac se gerant Reges terræ. Demum non dixit Christus ad Reges, sed ad Petrum: *Tibi dabo claves*; ergo &c.

2. Dicunt Regem posse condere novas leges circa cæremonias, consentiente Metropolitano, & judicare posse de causis fidei, cum quis ad Tribunal Regium appellat. R. ex his, quæ antecedenter dicta sunt; nam cum hæc agere spectet ad caput Ecclesiæ, & ostensum sit Regem secularem non posse esse supremum in Ecclesia Pastorem, sequitur quod neque possit instituere cæremonias, vel decidere in causis fidei, quarum appellatio non potest devolvere ad Forum Regium, cum non sit competens Tribunal pro decidendis causis fidei, in quibus ab ipsa fundatione Ecclesiæ usque ad hæc tempora, semper omnes consueverunt appellare, & recurrere ad Pontificem, non ad Regem. Exempla harum appellationum copiosa colliguntur ex annalibus, ex quorum serie satis confutantur hæretici. Præterquamquod si Reges possent condere novas leges, & judicare de causis fidei, jam non ampliùs esset unus in Ecclesia consensus circa Divinum cultum; diversi enim Reges diversa sentirent, & diversimodè de causis fidei judicarent, ex quo non eadem esset apud fideles norma fidei, quæ tamen una tantùm esse debet, & potest. Vide verbo *Puritani.*

XVI. Anglopapistæ, qui Archiepiscoporum, Episcoporum, Decanorum, Canonicorum, Abbatum, aliorumque Prælatorum gradus observant, & repræsentant in superpelliceis suis, templa frequentantes, in cæteris autem plerumque Calvino adhærent. Ex Gault.

XIII. Anglus innominatus; ex Spondano anno 1240. Apud Cantabrigiam captus fuit, qui gestabat habitum Carthusianorum, licet esset Phanaticus, & sub ementito Religionis habitu, contra veram Religionem sequentes promulgabat insanias, ob quas ductus ad Othonem Legatum, inclusus est Turri Londinensi.

1. Dicebat omnes Ecclesias esse profanas, ideò illas intrare renuebat. R. Nam fortè Ecclesias omnes dicebat esse profanas, quia omnis Ecclesia, in qua orant Christiani, & verum Sacrificium Deo offerunt Sacerdotes, tam est aperta justis, quàm peccatoribus; sed per hoc quod peccatores ingrediantur Ecclesiam Ecclesia non est profana, quia ideò aperta est peccatoribus, ut per Sacramenta, quæ ibi ministrantur reviviscant, non ut ibi per opera peccaminosa pollutam reddant Ecclesiam, quæ similis Virginibus prudentibus, & fatuis esse perhibetur, quia tam justos recipit, quàm peccatores.

2. Papam non esse caput Ecclesiæ. R. verbo *Armeni.*

3. Christum carnem sumpsisse, in Virgine, non de Virgine. R. Nam non modo in Virgine, sed ex Virgine carnem sumpsisse Christum probant omnia argumenta, quibus evincitur Christum esse verum hominem, verbo *Euthyches*. Insuper omnibus rationibus, quibus evincitur Mariam esse veram Christi Matrem, etiam probatur Christum assumpsisse carnem de Virgine. Vide verbo *Anastasius Presbyter*. Demùm Ecclesia sic orat: *Deus, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero, Verbum tuum Angelo annunciante, carnem suscipere voluisti*. Vide verbo *Albanenses*.

XI. Anna Comnena Græcorum Imperatrix, vixit XI. currente seculo, litteris dedita, Alexii Imperatoris, sui Patris vitam scripsit, in 15. libros divisam: in ea fuit opinione, ut censeret primatum Ecclesiæ ad Constantinopolitanum Episcopum esse delatum. R. Nam cum Ecclesiæ Primatus constanter permaneat, ex Christi institutione, in illo qui succedit Petro in Episcopatu, & hic solus sit Romanus Pontifex, consequenter Romanus Episcopus, non Constantinopolitanus habet Ecclesiæ primatum, quam prærogativam in Romano Pontifice agnoverunt ipsa Concilia Constantinopoli legitimè congregata, in quibus præsentes aderant Patriarchæ Constantinopolitani, nullo ex ipsis reclamante; ergo &c. Ratio autem, propter quam Anna Comnena volebat primatum Ecclesiæ esse delatum ad Episcopum Constantinopolitanum erat, quia ad illam Urbem delata erat Sedes Romani Imperii, sed nulla est, quia quando Christus creavit Petrum Ecclesiæ caput, nullatenùs respexit ad Urbem Imperii Sedem, cæterum debuisset illum non Hierosolymis, sed Romæ statìm creare, & constituere suum Vicarium, ubi tunc sedebant Imperatores. Demùm Primatum Ecclesiæ esse in solo Romano Pontifice, probatur contra *Armenos*.

V. Annianus Celedensis Diaconus, secta Pelagianus, quam toto conatu defendere studuit, plura scripsit, ut hanc propugnaret, & promulgaret; præcipuè impugnavit Sancti Hieronymum. De eodem mentionem facit S. Doctor in epistola ad Alpium. Summoque eferbuit odio in S. Augustinum.

IV. Anomæi, sive Anomi. Idem sonat hæc vox ac inæquales, sive dissimiles, sic dicti quia circa medium quarti seculi dixerunt Filium dissimilem in Deitate esse cum Patre. Fæx sunt Arianorum. Ducem habuerunt Aetium, & Eudoxium; unde etiam Actiani, & Eudoxiani appellantur; quia tamen ex Aetii, & Eudoxi sectatoribus plures hunc mordicùs profitebantur errorem, quo Filium dissimilem Patri prædicabant; hinc Anomæorum secta originem habuit, quæ præter hunc errorem, etiam alium propugnavit, asserens Christum nullam legem instituisse, ex quo errore alii censent Anomæos esse dictos, & vòlunt nomen *Anomæi* significare, virum sine lege, potiùs quam explicare inæqualitatem. Cæterùm sunt qui Anomæorum sectam omnes errores Aetii, & Eudoxii amplexatam esse referant, quos verbo *Aetius*, & *Eudoxius* reprobatos exhibemus. Agit de Anomæis S. Epiph. hæres. 76.

1. Dixerunt Filium esse dissimilem Patri in Deitate. R. Filius est consubstantialis Patri: *Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero*; ut constat ex his, quæ dicta sunt verbo *Aetius*, verbo *Acaciani*, & ex his, quæ dicuntur verbo *Arius*, ergo non potest esse dissimilis. Tum quia si Filius esset dissimilis Patri in Deitate, vel non obstante hac dissimilitudine adhùc esset Deus, vel non. Si primum ergo duo Dii, si secundum ergo Filius non est à Deo Patre genitus, quia Deus Pater non potest generare nisi Filium Deum, sibi consubstantialem.

2. Christum nullam legem instituisse, ideòque nullum ejus præceptum admittendum. R. ex sacris paginis, ubi Christus præcipit observantiam mandatorum suorum, dicens: *Hæc mando vobis*,

bis. *Hoc est præceptum meum*; ex quibus locis constat Christum præcepisse observantiam eorum, quæ ipse instituit; sic præcipit omnes baptizari; Lex autem de Baptismo instituta est à Christo; non enim in veteri lege erat talis institutio; sic de aliis pluribus legibus Euangelicis discurrendo, quas Christus absolutè instituit,& observari præcepit. Euangelium autem veram legis rationem habere, probabitur contra *Brentium*. Cæterum, quod legitur: *Non veni solvere legem, sed adimplere*; non suffragatur Adversariis, hinc probare conantibus, Christum nullum dedisse præceptum; potiùs enim contrarium evincitur; nam cum lex Moysis esset imperfecta, Christus per nova præcepta addita super legem Moysis, legem fecit perfectam. Sic cum in lege Moysi solum esset præceptum de diligendo proximo, Christus addidit præceptum de diligendo etiam inimico, ut patet ex illo Mat. cap.7 vers.43. Nec verba Apostoli ad Rom.6. intelligenda sunt de solutione legis absolutè, sed restrictè, scilicet quoad legalia, & de libertate à servitute peccati, & à morte æterna: ut alibi idem Apostolus exprimit.

XVI. Antelapsarii dicti sunt illi, ex Calvinianorum secta, qui docebant Deum ante lapsum hominis, aliquos ad vitam, alios verò ad mortem æternam præordinasse; Illis opponuntur Postlapsarii, qui post lapsum duntaxàt hominis, eoque supposito, docent Deum aliquos nolle salvos fieri, sed æternis destinare suppliciis. Ortum dedit his duabus sectis Calvinus, cum enim in suo opere de æterna prædestinatione, passim doceat Deum nolle omnes homines salvari, nec satis constare sibi videatur, ut statuat, an illa Dei voluntas, qua ex ejus mente, Deus non vult omnes homines salvos fieri, prior sit, vel posterior prævisione peccati originalis, hinc ex illa non satis perspecta Calvini sententia, subortæ sunt inter Calvinianos duæ istæ sectæ, quarum error confutabitur verbo *Prædestinatiani*, quo in loco probabimus Deum, supposito, vel non supposito Adami lapsu, verè, & propriè velle omnes homines salvos fieri, qua de re ad Theologos Scholasticos Lectorem remittimus.

XVI. Anticalviniani. Prodierunt anno 1555. à Joachino Vvestfalo; secta sunt Confessionistæ rigidi: in omnibus conveniunt cum Calvino, & in hoc differunt, quod

Dicunt Corpus Christi verum, & naturale esse in Eucharistia, sed iterum postea cum Calvino, dicunt solùm esse præsens in usu; negant insuper ullam fieri transubstantiationem. R. quoad permanentiam Corporis Christi in Eucharistia verbo *Bucerus*, quoad transubstantiationem verbo *Lutherus*.

XVI. Anticatholici omnia rejiciunt, quæ docet Rom. Ecclesia circa ritus, & cæremonias, & solùm doctrinæ Lutheri, quoad ritus, & cæremonias adhærere gloriantur.

XVI. Antichristiani. Hoc nomen licet omnibus Christi inimicis conveniat, diversis tamen, & peculiaribus sectariorum conventiculis tribuitur. Sic Lindanus vocat Antichristianos, sequaces cujusdam apostatæ, cujus nomen, & Patria ignoratur *Præmonstatensis* dictus, de quo suo loco. Insuper alii sectarii, qui meretriculam quamdam Lovaniensem nudam adorabant, ex qua Messiam nasciturum asserebant, dicti sunt etiam Antichristiani: Osius nomen Antichristianorum tribuit aliis sectariis, qui in colloquio Aldeburgensi, ut suos pseudo doctores honorarent æquiparabant Lutherum Christo. Verbum Lutheri, cum verbo Dei, Melanctonem cum Paulo, Calvinum cum Marco; sed proprium nomen Antichristiani convenit sectatoribus, cujusdam hæretici, cujus nomen *Bertoldus de Borbaco*, qui vixit anno 1540., & adeo in impietate excessit, ut diceret.

Christum fuisse peccabilem, & de facto peccasse peccato desperationis, cum dixit in cruce: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Reprobatur ex sacris paginis, ubi Christi sanctitas commendatur. Christum esse impeccabilem, aper-

apertè legitur Isaiæ cap.53. vers.9., & epist.1. D. Petri cap.2. vers.22., Certè quis arguet Christum de peccato, nonnisi impius, & blasphemus? quomodò potuisset Christus mediator esse inter Deum, & peccatorem, si peccatis ipse etiam fuisset obnoxius? Repugnat in Christo peccabilitas ratione unionis hypostaticæ, ità ut idem sit dicere Christum esse peccabilem, quàm Christum non esse Deum asserere. Ceterùm verba illa; *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Non sunt verba desperationis, ut dicunt Antichristiani, sed potiùs verba Filii amantis, & dolentis. Sicut legitur in psalmo 21. *Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* Alii scripturæ textus, ex quibus hæretici contendunt evincere Christum de facto peccasse, ostendunt Christum assumpsisse peccata nostra expianda, non autem peccata commisisse; hac ratione de eodem dicitur, quod apparuerit; *In similitudinem carnis peccati*, quia supra ejus dorsum fabricaverunt peccatores. Christi impeccabilitas decisa habetur quoad potentiam, & quoad actum in Conc. Ephesino, celebrato anno 431. Can.10.

XVI. Antidæmoniaci prodierunt anno 1545. germen Lutheranorum, & Anabaptistarum, parentibus Osiandro, & Georgio David.

1. Dicunt nullos esse Dæmones, nulla maleficia, nullas præstigias. R. ex sacris paginis, ubi sæpè de malis Angelis, sive Dæmonibus fit mentio, quibus paratum esse ignem æternum asserit ipsa veritas. Videri poterunt loca Scripturæ ad rem Matt. cap.4. ad Eph.4. epist.1. Petri cap.5., sed etiam ex illo, quod legitur. *Erat Jesus ejiciens Dæmonium, & illud erat mutum.* Constat ope Dæmonis fieri maleficia, & præstigias. Vide lib.1. Reg. cap.28. Dicunt hæretici nomine Dæmoniorum intelligendos esse homines; sed falsum est, quia si nomine Dæmoniorum intelligerentur homines, ille locus Scripturæ: *Ite in ignem æternum paratum Diabolo, & Angelis ejus*, non plus significaret, quam hæc propositio, ite in ignem æternum paratum hominibus, & hominibus ejus, quod est falsum, quia hic Christi sermo erat directus ad homines reprobos, & superfluum esset dicere, ite homines in locum paratum hominibus. Adde, quod quamvis alicubi Christus nomine Dæmonis intellexerit homines, ut Jo:6. vers.71. *Unus ex vobis Diabolus est*, scilicet Judas, qui dicebatur Diabolus à Christo ratione peccati, quod suadente Diabolo erat commissurus; attamen in superiùs citatis scripturæ Testimoniis, nullatenùs nomine Dæmonis, Diaboli, Satanæ, venire possunt homines, sed intelligendi sunt mali Angeli, qui iidem sunt, ac Dæmones, quos de facto dari, evincitur ex Conc. Bracarensi cap.8., & ex Trid. sess.5. Demùm mali Angeli, quando peccarunt, non sunt annihilati; ergo adhuc existunt, sed horum nomine intelliguntur Dæmones, ergo de facto dantur.

XVI. Antidiaforistæ initium habuerunt anno 1560. Adiaforistis omninò adversantur, & inter Lutheranos rigidos adscribuntur. Eorum Dux Flaccus Illyricus nuncupatur. Vide verbo *Flacciani*.

1. Dicebant nullas cæremonias in Ecclesia esse debere. R. Qui non admittit cæremonias Ecclesiasticas negat consequenter Dei cultum, quem potissimùm promovere debet Ecclesia; ergo in Ecclesia esse debent cæremoniæ, quarum aliquæ sunt immediatè cultus Dei, utpotè sacrificium, oratio, venerationes; aliæ sunt dispositiones ad cultum Dei, scilicet habitus Religiosus, vestes Sacerdotales. Tum quia concessum est Sinagogæ, diversas habere cæremonias: ergo hoc non est denegandum Ecclesiæ. Vide verbo *Adiaforistæ*.

2. In Episcopis nullam jurisdictionem agnoscebant. R. Ex D. Paulo, scimus Christum constituisse Episcopos regere Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo; sed qui debet regere aliis præeminet, omnis autem præminentia necessariò importat aliquam jurisdictionem, ergo si Episcopi munus est regere Ecclesiam, debent habere jurisdictionem. Tum quia Epis-

Episcopi sunt successores Apostolorum; sed Apostoli habebant jurisdictionem, ipsis à Christo traditam: ergo etiam Episcopi debent habere jurisdictionem. Tum quia contra Aetianos probatum est Episcopum esse eminentiorem Presbytero. Tum quia jurisdictionem Episcoporum agnoverunt ipsi Imperatores, quorum plures eorumdem judicio se submiserunt.

XVI. Antilutherani. Sunt illi, qui inter Lutheranos in plures sectas dividuntur. Eorum dogmata recensere est difficile; nihil enim apud ipsos certi; ferè quot capita, tot dogmata, in sola impietate conveniunt.

IV. Antimarianitæ, sivè Antidicomarianitæ, quod idem est, ac viri Adversarii Mariæ, circa medium quarti seculi Helvidium Ducem habuerunt. Ex S. Hieron. contra Helvid.

1. Dicebant Mariam habuisse ex Joseph alios filios, præter Jesum, ac proindè eam Virginem non fuisse. R. Et primò quidem Virginitas Mariæ ante partum, in partu, & post partum inviolata commendatur in Conc. Ephes. Cæterùm decuit Dei Matrem omnibus ornatam esse prærogativis: ergo etiam prærogativa virginitatis præ cæteris eminentem coruscare, ut possit de ipsa asseri, quod supergressa est universas Virgines, quæ congregaverunt divitias. Quanta esset eminentia hujus virtutis, etiam ab infantia, perspectum habuit Virgo, quæ gratia erat plena; quomodò ergo cum cognoverit hujus virtutis pretiositatem, eamdem non custodierit? Quidquid effutiant hæretici, Maria est virgo ante partum, in partu, & post partum; quis mihi det pro defensione hujus veritatis posse ponere animam meam? Ex eo autem, quod legitur Matth. cap. 1. *Antequam convenirent* non sequitur, quod postea convenerint, quia vox *antequam* in Sacra Scriptura, non dicit semper respectum ad futurum; sic Isaiæ cap. 65. vers. 24. legitur: *Antequam clament, ego exaudiam*; ly *antequam* non significat, quod semper Deus præveniat exaudiendo clamores nostros, vel quod semper exaudiat, cum clamamus; quia certum est, quod sæpè clamamus, & non exaudimur, aliquandò non clamamus, & exaudimur. Inventa est ergo Maria in utero habens antequam convenirent, quia nunquam convenerunt. Neque sequitur Mariam alios habuisse filios, quia Jesus vocatur Mariæ primogenitus; nam *Primogenitus* appellare potest supra filios, & supra matrem; prout appellat supra matrem (ut ibi accidit) non dicit generationem aliorum filiorum ex eadem matre, sed dicit primum partum ab aliqua matre productum, sivè deinde alios producat, sivè non. Omnis mater in primo partu dicitur, primò generasse, ex quo consequens est, quod primus partus vocatur primogenitus. Hinc benè Christus dicitur primogenitus matris, quia primogenitus appellat supra matrem, quod si appellaret supra fratres, deberet dici primogenitus fratrum, idest, qui interfratres fuit primogenitus. Dices: de facto aliqui in Scriptura vocantur fratres Christi; ergo Christus habuit fratres &c. sed hoc non officit, quia consuevit Scriptura vocare fratres illos, inter quos aliqua sanguinis est necessitudo, licèt ex eadem matre non sint geniti; sic Loth, & Abraham gen. 13. vers. 8. vocantur fratres, cum tamen essent ex diversis, tum patre, tum matre geniti, erat enim Loth filius Aram, fratris Abraæ; sed commune est etiam inter Latinos, filios fratrum vocare fratres.

Virginitatem majoris non esse meriti, quam conjugium. R. ex his, quæ Christus ipse in laudem virginitatis dixit, & ex his, quæ D. Paulus, & cæteri SS. PP. de virginitate supra conjugium commendabili scripserunt; quam etiam inter Gentiles commendatam scimus, quippè qui vestales virgines, penè tanquam deitates venerabantur.

XVI. Antimariani Novi: Novos virginitatis Mariæ hostes suscitavit seculo 16. inimicus communis: fuerunt aliqui, quos secta Anabaptistas credit Lindanus; ad gregem Lutheromanitarum spectare censet Gravina. Erant autem Lutheromanitæ, quædam mulierecularum congregatio, quarum petulantia illò devenit, ut easdem prærogativas soli Mariæ Virgini, ex ple-

ex plenitudine gratiæ, qua Virgo Maria affluebat peculiares, sibimetipsis etiam concessas assererent.

VII. Antimius Episcopus Trapezuntinus, Constantinopolitanam Sedem, ope Theodoræ Augustæ conscendit. Factus acerrimus Euthichianæ sectæ Defensor, & Propagator. In Synodo Constantinopolitana, ab Agathone Pontifice, qui tunc Constantinopolim venerat, omni Dignitate exauthoratur.

XVI. Antinomi ex Jo: Islebio, dicto Agricola, Lutheri discipulo, ortum habuerunt Witembergæ anno 1538. & à Gravina inter Lutheranos rigidos computantur. Dicti sunt *Antinomi*, idest viri legi Divinæ contrarii, quorum hoc erat principium dogmatum, quæ profitebantur: *Quidquid libet licet, dummodò in Christum credas*.

1. Dixerunt legem Dei esse prorsus inutilem. R. Matth. 11. Christus nos hortatur ad observantiam legis, quod superfluum foret, quando hæc esset inutilis. Tum quia hoc dato, legi contraire non imputaretur ad peccatum: constat tamen ex ipsa lege; inobservantiam legis facere reatum. Tum quia utilitas Divinæ legis sufficienter comprobatur ex iniquitatibus, quæ committuntur, ubi est ejus inobservantia: Constat enim Divinam legem, non tantùm non esse inutilem ad salutem, sed & ad convivendum humaniter, non modò esse utilem, imò necessariam; Si enim non observarentur præcepta, de abstinendo à furto, ab homicidiis, & similia, non possent homines convivere.

2. Bona opera esse inutilia, ad quæ credebant nullum Christianum obligari. R. Si Christianus non obligaretur ad bona opera, falsum esset quod legitur, quia Deus retribuet unicuique secundùm opera sua, hoc asserit Propheta psal. 61. Insuper D. Petrus cap. 1. vers. 10. *Fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis*, quod utique superfluum esset dixisse, si Christianus non teneretur benè operari. Tum quia bona opera sunt digna laude: digna gloria, sicut mala merentur vituperium, & pœnam. Nec est rationis compos, qui hoc neget. Omnis natio hoc axioma probavit: *Bonum benè, malum malè operanti*; ergo si opera bona sunt digna laude, & Deus utpote justus Judex, omnibus operibus bonis in genere moris; vult correspondere debitum præmium; sequitur quod opera bona non sint inutilia. Deus præcipit bona opera, ergo Christiani tenentur ad observantiam bonorum operum, quæ cadunt sub præcepto. Item lex Christiana obligat, sed in lege Christiana præcipiuntur bona opera, ergo &c. Major non potest negari, nisi ab illis, qui asserunt legem Christianam non esse veram legem, sed esse veram legem probant testimonia Scripturæ veteris, & novi Testamenti: evincunt rationes omnes, quibus probatur Ecclesiam Romanam esse veram, & unicam Ecclesiam. Tandem bona opera non esse inutilia, constat ex illo, quod legitur Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Vide quæ dicta sunt contra *Amsdorfianos*.

3. Solam fidem sufficere ad salutem consequendam, quare hoc erat illorum axioma: *Quidquid libet, licet, dummodò in Christum credas*. R. ex hoc eodem axiomate, quod contradictionem involvit; nam si opus est credere in Christum, cum Christus dicat, non licere quidquid libet; ergo credenti in Christum non licet quidquid libet: credit enim in Christum sicut oportet ad salutem, qui obtemperat ejus mandatis. Tum quia si sola fides sufficeret ad salutem, vel est fides qua creditur quidquid est de fide, vel qua aliter creditur, quàm credendum sit; Non secundum, quia etiam per ipsos hæreticos, qui aliter credit quàm credendum sit, non potest salvari; ergo primum, sed fides qua creditur quidquid est de fide, docet credere opera esse necessaria, non inutilia ad salutem; ergo ex ipso hæreticorum principio evincitur opera bona non esse inutilia, sed necessaria ad salutem. Vide quæ dicta sunt contra *Aetianos*.

IV. Antiomousiastæ Ducem habuerunt anno 365. Valentem Arianum Mursianorum Episcopum, qui in Concilio Ariminensi, professus est, se nequaquam cum Ario sentire, licèt in re Arii esset defensor

fensor, ut alios Episcopos ad Arianismum induceret.

1. Dixit abstinendum à vocibus *substantia*, *essentia*. R. Quæ Ecclesia Romana profitetur, non omnia sunt explicitis verbis in Scriptura Sacra significata, licèt implicite omnia, quæ Ecclesia profitetur, in verbo Dei scripto, vel tradito continenatur. Scimus autem quod Sacra Scriptura continet omnes interpretationes, quas Spiritus Sanctus Ecclesiæ in dies suggerit, & suggeret indesinenter usque ad consummationem seculi; ideò illas voces debemus recipere, in explicandis mysteriis nostræ Religionis, quas recipiendas esse proponit, quibusque utitur Ecclesia, quam Spiritus Divinus illuminat, & docet omnem veritatem; & certè omnia quæ profitetur Ecclesia, contineri explicitè in verbo Dei, sufficienter colligitur ex illis verbis: *Cùm venerit Paraclitus, quem Pater mittet vobis, ipse vos docebit omnem veritatem*.

XVI. Antiosiandri prodierunt anno 1553. & Osiandri doctrinam in materia justificationis omninò aversantur; sed adhuc ad invicem divisi, certam doctrinam non profitentur; major tamen eorum pars tenet hominem dici justum imputativè, non re. Confutabuntur verbo *Melanctonici*. Vocantur etiam *Osiandrimastiges*, & sustinent.

1. Christum esse justificatorem nostrum, secundùm solam humanitatem, exclusa Divina natura. R. ex Scriptura, ubi Christum non modò qua hominem, sed qua Deum esse justificatorem nostrum declaratur. Prima Jo. 4. *Misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris*. Ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant redimeret*; Ex quibus locis constat Christum, non modò qua hominem, sed qua Deum, esse justificatorem nostrum; quod etiam evincitur ex prima ad Timot. cap. 2. vers. 5. ad Cor. cap. 5. ad Heb. cap. 2. vers. 10.

2. Eucharistiam datam esse tanquam pignus corporis Christi. Repr. illis omnibus rationibus, quibus evincitur realis existentia corporis Christi in Eucharistia.

XVI. Antipapi quos Gravina recenset inter Semilutheranos, prodierunt à quodam viro nomine Joannes Papa anno 1579.

Dixerunt Christi corpus esse ubique, & omnipotens. R. quoad primum, quia non minùs esset adorandum in pane consecrato, quàm in tabula, in carta, in calamo, in omni pulmento. Tum quia Christi corpus esse sub speciebus panis Eucharistici, constat ex Christi institutione; nullatenùs autem legitur Christum dixisse, suum corpus esse ubique. Repr. quoad secundum, quia corpus Christi fuit in Virgine formatum, fuit passibile; ergo non potest esse omnipotens, quia omnipotentia est Deus, & corpus Christi cœpit esse in tempore.

XVI. Antipapi Furiosi, reponuntur à Gravina inter Lutheranos rigidos: dicti fuerunt furiosi, quia nonnisi furiosi mens potest concipere istorum sensus, qui blasphemabant per necem Pontificis, Cardinalium, Episcoporum, Sacerdotum, Monachorumque omnium, quærendam esse veram pacem. Ducem habuerunt quemdam hominem perditum, qui in Comitiis Augustanis adeò furiosam propositionem ausus est pronunciare.

XVI. Antipuritani. Iidem mihi videntur, qui vocantur Anglocalviniani; Si enim quis conferat, quæ de Anglocalvinianis habet Natalis Alex. cum his, quæ de Antipuritanis refert Gaulterius, statim non diferre animadvertet. Horum causa prævaluit contra Puritanos, in collatione facta coram Rege anno 1604. & probabile est Anglocalvinianos etiam Antipuritanos fuisse nuncupatos, quia Anglocalviniani in ritibus, & cæremoniis, omninò adversantur Puritanis. Anglopuritani dicti sunt etiam Calvino papistæ à Puritanis: imò Simiæ Catholicorum, ab iisdem Antipuritanorum adversariis etiam vocabantur, quia Antipuritani in pluribus cum Catholicis (qui ab hæreticis Papistæ sunt dicti) conveniunt; ubi è converso Puritani omninò disconveniunt. In Synodo Anglicana congregata ab Antipuritanis Londini anno 1603. & 1604. Canones 141. constituti sunt, quo-

quorum plures Catholicæ doctrinæ adhærent; siquidem per prædictos Canones Antipuritani crucem venerantur; Puritani despiciunt. Illi titulos Episcopatus, & aliarum dignitatum Ecclesiasticarum juxtà veteris Ecclesiæ formam retinere voluerunt, isti abhorrent. Illi calices in cœna adhibent, isti vulgaria pocula propinant. Illi cantum, organa, vestes sacras recipiunt, isti detrectant. Illi nullos dies festos celebrant, isti aliquos observant. Cæterùm Antipuritani, etiam inter Sacramentarios locum habent, quia in materia Eucharistiæ sentiunt cum Zuinglio.

XVI. Antiscripturiani etiam ex Calvini schola progeniti, gloriantur se habere eumdem spiritum, quem habuerunt Apostoli, & Prophetæ: ideò totam Scripturam contemnunt; qua fronte, quo fundamento id asseruerint, si attendat lector, simul & semel satis perse reprobatam horum temeritatem animadvertet: Siquidem *Apostoli repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*, ex actibus Apost. cap.2. Item Deus *Locutus est per os Sanctorum, qui à seculo sunt Prophetarum ejus*. Ex Luc.1. *Et olim Deus loquebatur Patribus in Prophetis*, ut legimus ad Hebr.5. hinc facilè erit discernere an Novatores eodem, quo Apostoli, & Prophetæ Spiritu præditos, se jure glorientur, qui Divini Spiritus sermonem abiiciunt, & suas versutias eidem præferunt.

XVI. Antistancariani ex Musculo geniti, anno 1575. Stancari sententiæ se opposuerunt, sed in alium inciderunt errorem, dum Stancari sententiam de Christo mediatore redarguebant, dicentes Divinam naturam Christi simul cum humana mortuam esse; ut hinc astruerent contra Stancarum, Christum fuisse mediatorem secundùm utramque naturam. Repr. verbo *Musculus*.

XVI. Antisturmiani recensentur à Gravina inter Antilutheranos, prodierunt anno 1570. & opponuntur Sturmio, qui maluit subscribere confessioni Augustanæ, potiùs quàm concordiæ Bernensi, proinde Sturmium maledictis prosequuntur. Ducem habuerunt Osiandrum Sturmii Antagonistam.

XVI. Antisvenkfeldiani Secta Lutherani rigidi, oppugnant Svenkfeldium, qui viam salutis, totam reponebat in spiritu, nullo verbo scripto recepto; isti è converso, omnes spiritus impulsus secludentes, totam viam salutis constituunt in vocali verbo ministerii Ecclesiastici, sinè quo neminem salutem consequi posse asserunt. R. Christus enim dixit Joan.4. vers.23. *Nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum*. Tum quia, si nemo sinè vocali verbo ministerii Ecclesiastici posset salvari: omnes teneruntur tali ministerio incumbere, & qui nescirent, essent exclusi à salute. Insuper muti, & amentes, qui non possent verbum exprimere, & surdi, qui non possent recipere, non possent salvari; sed hoc falsum esse, per se patet: Deus enim dedit media ad salutem omnibus applicabilia; quoniam vult omnes salvos fieri; ergo &c. Vide verbo *Adelfius*.

II. Antitactæ. Ad tantam devenerunt impietatem isti hæretici, ex Gnosticis progeniti, ut tanquam ipsius impietatis idololatræ, non erubuerint asserere peccatum non esse malum, imò etiam mercede dignum. Non eget reprobatione tanta dementia, quam vel irrationale animal profiteretur inter omnes dementias absurdissimam. Clemens Alexandrinus lib.3. Stromatum, asserit hæreticos Antitactas sic dictos, eo qnod licèt assererent Deum universi Patrem bonum esse, & justum; nihilominùs ex ejus creaturis unam fuisse asserebant, quæ totius mali naturam procreaverat, ex qua homines fuerunt infecti: qui error reprobatur à D. Augustin. lib.12. de Civit. Dei cap.7.

XVI. Antitrinitarii. Licèt Antitrinitarii, scilicet Trinitatis hostes possint vocari quicumque contra Trinitatem blasphemant, communiter tamen Antitrinitarii vocantur illi, qui ex secta Luthero Calviniana progeniti, dum Trinitarios, prædictæ sectæ pariter surculos,

los, impugnare contendunt, & Arianifmum devitare; novo errore decepti, Sabellii impietatem renovant, & fubferibunt. Natalis Alexand. feff.15. art.13. dicit: Michaelem Servetum Antitrinitariorum agmen duxiffe. Ejus peculiares errores verbo *Servetus* commodiùs erit referre, & reprobare.

XVI. Antonius Corvinus: ad Euangelium Dominicæ quartæ poft Pafcha, negat Epifcopos in Conciliis legitimè congregatos habere Spiritum Dei, & vera docere. Vixit, prout refert Coecius, circa annum 1538. R. Epifcopi in Conciliis congregantur in nomine Dei, fed inter illos, qui congregati funt in nomine Dei, Deus fpecialiter eft affiftens, ut conftat ex illo Matth. cap.18. *Ubi enim funt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi fum in medio eorum*, & ubi Deus fpecialiter affiftit nulla poteft irrumpere falfitas, quia Deus veritas eft; ergo &c. Tum quia legitur Joel cap.1. quod Deus promifit fpecialem fpiritus fui affiftentiam Ecclefiæ congregatæ, de qua prophetabat Joel loco cit. unde fententia Apoftolorum in concilio congregatorum dicta eft *fententia Spiritus Sancti*, juxtà illud Actorum 15. verf.28. *Vifum eft Spiritui Sancto, & nobis*. Tum quia Ecclefia non poteft errare, ut fuo loco probabitur, ergo neque Epifcopi in Concilio congregati, ubi reprefentant univerfam Ecclefiam.

XVII. Antonius Poquinus. Non alium effe hunc Poquinum, quàm Coppinum crediderim. Vide *Coppinus*.

* XV. Antonius Visignani Brixiæ in carcere detentus ob fuas hærefes fibi carnifex factus, ibidem veftis fuæ cingulo fe fufpendit. Animæ immortalitatem, negavit. R. verbo Arabes. Rufurrectionem mortuorum non admittebat. R. verbo Bafilidiani: Sacramenta Ecclefiæ rejecit. R. verbo Bifaceni, & verbo Calvinus.

* XVI. Antonius, ac Paulus Movani fratres genere nobiles, fedantes hærefi avitam pietatem, & nobilitatem in provincia Phocenfi Calvinianam perfidiam dilatarunt.

Antropolatræ. Vide *Neftoriani Moderni*.

IV. Antropomorphitæ. Tempore Valentis Imper., & Damafi Papæ, Seleucius, & Hermias, ambo Galatæ, cenfentur fuiffe parentes Antropomorphitarum, qui circa annum Chrifti 390. in partibus Ægypti fequentes diffeminarunt errores: ab aliquibus etiam Vadiani nuncupati. Alii Audæum Antropomorphitarum auctorem faciunt. Ex Damafc.lib. de hæref.

1. Dixerunt Deum effe corporeum. R. ex Scriptura, ubi Deus dicitur Spiritus. Joani cap.4. verf.24. *Spiritus eft Deus*. Tum quia fi Deus effet corporeus, effet compofitus, effet imperfectus, effet terminis inclufus, quæ omnia infinitæ perfectioni Divinæ repugnant. Tum quia natura fpiritualis eft longè perfectior corporea; ergo cum omnis perfectio in eminentiffimo gradu Deo competat, dicendum eft Deum effe Spiritum, neq: habere corpus. Nec obftat, quod Sacra Scriptura pluribus in locis Deo tribuat membra humana; nam in his locis Scriptura fe accommodat humano intelligendi modo, ut homo faciliùs intelligat, fic ubi legitur: *Manus Domini tetigit me*, fignificat Deum tribulationibus vifitaffe, & probaffe fervum fuum. Reprobantur etiam aliis graviffimis rationum momentis: & primò omne corpus moveri poteft, vel motu locali, tranfeundo ab uno loco ad alium, vel motu alterationis recipiendo novum aliquod accidens, quo vel minuatur, vel augeatur: at qui Deus moveri non poteft nec motu locali, cum fit immenfus, & omnia repleat, nec motu alterationis cum fit immortalis, & immutabilis; ergo Deus non eft corporeus. 2. Si Deus eft corporeus, conftat neceffariò partibus, quæ poffunt à fe invicem feparari, atque ita Deus erit divifibilis in varias partes, ficut continuum, quod certè pugnat cum idea entis perfectiffimi, qualis Deus eft. 3. Deus eft ens omnium nobiliffimum, & tale non foret fi corpus haberet, fiquidem vel corpus illud effet vivens, vel non vivens, fi fecundum, ergo non eft res omnium nobiliffima, cum ex fe

ex se longè nobiliùs sit vivere, quàm non vivere; si est vivens, ergo vel per formam superadditam ipsi advenientem, vel vivit per ipsam proprii corporis substantiam: si prius dicitur, ergo non est ens omnium nobilissimum, quandoquidem datur aliquid eo nobiliùs, videlicet anima, per quam vivit: si posterius, non potest vivere nisi vita ad summum sensitiva, ex quo sequeretur Deum non esse ens omnium nobilissimum, si dicatur esse corporeum. Vide S. Thom. 1. par. q.3. art.1. ubi præfatas rationes proponit.

2. Dixerunt imaginem Dei, ad quam factus est homo esse in corpore, non in anima. R. Homo est imago Dei in eo, per quod assimilatur Deo, sed est similis Deo per intellectum, & voluntatem, non per corpus; ergo imago ad quam factus est homo non est in corpore, sed in spiritu. Tum quia si imago Dei esset in corpore, non in anima, etiam statua repræsentans hominem dici posset esse imaginem Dei, & quamvis legatur Sap.9. *Ad imaginem Dei factus est homo*, & homo reduplicativè ut talis includat corpus, & animam, non hinc debet inferri imaginem, de qua agitur, consistere in utroque, scilicet in corpore, & anima; nam cum homo potiùs dicatur homo ratione animæ, quàm corporis, licèt ratio hominis utrumque dicat: hinc est quod cùm homo, quoad animam, sit ad imaginem Dei, nihilominùs non dicitur quod anima hominis, sed homo est ad imaginem Dei.

3. Dixerunt Beatos videre Deum oculo corporeo. R. ex ipso eorum fundamento, hoc enim in tantùm dicebant, quia sustinebant Deum esse corporeum; loca verò Scripturæ, quæ adducuntur, ad probandum Deum videri oculis, non sunt intelligenda de oculis corporeis, sed spiritus, scilicet intellectus. Nec valet paritas de igne Inferni, qui licèt sit corporeus torquet spiritus, ut hinc inferatur oculis corporeis posse Deum videri: disparitas enim est, quod ad torquendum non requiritur actio vitalis, ideò ignis corporeus potest elevari ad torquendum spiritum; sed ad videndum requiritur actio vitalis, quæ protrahi non potest extrà propriam sphæram, ideò oculus corporeus nequit elevari ad videndum id, quod est extrà suam sphæram. Vide verbo *Cape*.

X. Antropomorphitæ Novi; excitarunt in Italia, decimo currente seculo, veterum Antropomorphitarum errorem jam extinctum, quorum insolentiam repressit lingua, & calamo N. N. Veronensis Episcopus, deinde Leodiensis, ut refert Sigebertus ad annum 934. quem summis laudibus celebrant Tritemius, Honofrius, & Canisius.

VI. Apamejani. Duæ sunt Apameæ, ambæ sedes Archiepiscopales, una in Syria, alia in Phrigia; ab Apamea Syriæ vocati sunt Apamejani, Duce Petro illius Ecclesiæ, non Episcopo, sed invasore; quale monstrum fuerit impietatis videre est apud Baronium: Nomina Sanctorum ex albo Ecclesiæ expunxit, & Dioscori, aliorumque hæreticorum nomina, & imagines substituit. Canones Romanæ Ecclesiæ abolere enitens; tanta fuit impietate fœdatus, ut vel ipsis impiis odio fuerit, paucis admodùm inventis impietatis suæ discipulis, ferè tota urbe contra eumdem ad Pontificem, & Imperatorem reclamante, ut illins violentiam comprimerent. Ex Baron.

II. Apellitæ Apelles Marcionis discipulus, à quadam virgine, cui nomen Philomena, depravatus, cujus inventiones, revelationes esse prædicabat, circa annum 146. nomen dedit huic sectæ. Habebat Apelles libros *Syllogismorum* inscriptos, quibus probare contendebat omnia de Deo à Moyse scripta esse falsa. A communione Marcionis ratione impudicitiæ expulsus, novæ hæresis inventor factus, unum Deum propè infinitis compositum partibus somnlavit. Præter errores, quos habebant Apellitæ cum Marcione communes, peculiariter sequentes profitebantur. Ex S. Epiph. hæres.44.

1. Duos Deos admittebant, unum bonum, alium malum. R. verbo *Pollitheismus*.

2. Dixerunt Christum corpus ex elementis

mentis accepisse, quod iterùm solutum in elementa reddidit mundo, cum surrexit à mortuis; negantes ascendisse corporalitèr in cælum. R. ex ipso Christo, qui veritatis hujus testimonium perhibuit D. Thomæ Apostolo, cum dixit: *Infer digitum tuum huc &c.* Deinde corpus Christi non ex elementis, sed ex carne constare, sicut cætera hominum corpora, probatur ex eo quod certum est fuisse à Virgine conceptum. Luc. 1. *Concipies in utero, & paries filium.* Veritatem hanc testantur Concilia, Nicænum in Symbolo, Rom. sub Damaso. Qua de re vide, quæ dicta sunt contra Albanenses, & Anglum innominatum. Insuper Christus post resurrectionem apparuit per quadraginta dies in corpore suo visibili, & tangibili Apostolis, cum quibus conversabatur, ergo post resurrectionem non fuit solutum Christi corpus in elementa. Viderunt Apostoli Christum ascendentem in cælum: in corpore visibili venturus est judicare vivos, & mortuos, ergo &c. Item ex his, quæ dicentur contra Hermiam, negantem Christum sedere à dextris Dei, evincitur Christum ascendisse corporalitèr in cælum, quod confirmatur ex verbis Jo:20. *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem.* D. Thomas, præcipiente Domino, tetigit ejus corpus, & cicatrices, ergo Christus surrexit de facto in corpore, non autem reddidit corpus mundo solutum in elementa, cum surrexit, ut blaterant Apellitæ. Christum ascendisse corporaliter in cælum, & sedere ad dextram Patris, constat ex Euangelio Marc. 16. vers. 59., & ex act. Apost. cap. 1. quam veritatem asserit Paulus ad Rom. cap. 8. vers. 24., & ad Heb. 1. vers. 7. Nec valet objicere, quod legitur ad Eph. 4. vers. 10. *Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cælos.* Nam licèt verbum Divinum non descenderit cum corpore de cælo, sed descenderit assumendo corpus, nondum enim priùs corpus assumpserat, idem tamen est, qui ascendit quoad suppositum, de quo loquitur Apostolus loco cit., qui tamen non negat Christum ascendisse corporaliter in cælum, cùm hoc alibi expresè asserat. Vide verbo *Hermias*.

3. Prophetas fuisse falsos, & malos, & falsa vaticinatos. R. ex ipso fundamento suæ assertionis, in tantùm enim dicebant Prophetas fuisse falsos, & malos, quia duos Deos Apellitæ admittebant, unum bonum, à quo bona facta essent, alium malum, à quo omnia mala, & à Deo malo dicebant esse factos Prophetas; sed cum involvat contradictionem ex intrinsecis principiis, sivè admittere plures Deos, sivè admittere Deum malum; ratio enim Divinitatis excludit à se omne malum, hinc corruit Apellitarum assertio. Prophetas autem falsa non esse vaticinatos, constat ex eventu: quandoquidem quæ prædixerunt verificata sunt: ut patet legentibus; & licèt in aliquibus Textibus aliquando contrariari videantur Prophetæ; attamen in re nulla est contradictio, sicut apud Sacros Expositores videre est. Sanctitatem Prophetarum testatur ipsemet Deus Matth. 13. vers. 28. Luc. cap. 1. vers. 70. Tum quia si Deus locutus est per os Prophetarum, ut constat Luc. cap. 1., & Deus est ipsa veritas, non potuerunt falsa vaticinari.

4. Nullam futuram carnis resurrectionem. R. verbo *Basilidiani*.

5. Unumquemque in ea, quam semel amplexatus est lege debere perseverare. R. Deus enim, non modò ad peccatores, qui sunt in lege Euangelica, sed etiam ad cor hæreticorum loquitur dicens: *Convertimini ad me, derelinquite vias vestras, & studia vestra &c.* Tum quia Deus misit Prædicatores Euangelicos ad omnes gentes, ad quas jam direxerat Apostolos, ut per eorum prædicationem veram fidem gentes omnes amplecterentur, & obtinerent salutem; sed hoc fuisset superfluum si unusquisque teneretur sequi legem, quam semel professus est; ex quo etiam sequeretur quod plures, qui eo quod cognoverint falsitatem suæ legis, & conversi de facto sunt ad veram fidem, obligati fuissent nihilominùs ad profitendum falsum, contra mentem, & contra rationem, quod nemo rationis capax asserat, sicut enim intellectus non

H 2 potest

poteſt non amplecti verum ; cognitum ut verum , ita non poteſt obligari ad eredendum , tanquam verum falſum , eognitum ut tale , & tamen hoc ſequeretur , ſi unuſquiſque deberet in ſua lege perſiſtere , cum una tantùm ſit vera lex , in qua poteſt homo ſalvari . *Vide quæ dicta ſunt in præparatione ad opus* .

VIII. Aphronetus fuit unus ex pertinaciſſimis Manichæiſmi ſectatoribus, qui Epiſparim , vieum quemdam in Phrigia ſe conferens , ibi ab aliis Manetis Aſſeclis honorificè receptus, affirmabat ſe eſſe Epaphroditum Pauli diſcipulum, ab eoque ad ipſos miſſum , cum quibus , poſtquam ad 30. annos converſaſſet, prædieans impia Manetis dogmata , tandem in loeo cui nomen erat *Eſotocopium* vivere deſiit : ex Bar.

VI. Aphtartodocitæ . A'Gaino,ſecta Euthiehiano , eirca initium ſeculi 6. originem habuerunt . Diverſus eſt hie Gainas ab illo, qui ſecta Arianus, ſub Areadio Imperatore fuit præfectus exereitus , eui S. Chriſoſtomus ſilentium impoſuit . Porrò Aphtartodocitarum eauſa prævaluit eontra corrupticolas , ſub Juſtiniano Imperatore , ut refert Baronius in ſuis annalibus anno 535.

Dixit Gainas Chriſtum aſſumpſiſſe eorpus alienum à eorruptione mortis , & impaſſibile . R. Chriſtum plura paſſum eſſe effectivè , non apparenter , conſtat ex hiſtoria Euangelica ejus paſſionis , & ex facto Chriſti cum D. Thoma , probatur Chriſti eorpus fuiſſe paſſibile , de quo legitur : *Oportuit Chriſtum pati , & ità intrare in gloriam ſuam.* Inſuper eorpus Chriſti erat ejuſdem ſpeeiei cum noſtro , ergo quantùm eſt ex ſe erat corruptibile . Eſtò quod divinitas feeerit ut earo Chriſti non videret eorruptionem , ſieut de facto omnes Chriſtiani confitentur . Deinde ſi eorpus Chriſti non erat paſſibile , ergo eorruit tota hiſtoria Eeeleſiaſtica de Chriſti paſſione . Ad hoc argumentum reſpondent Adverſarii , dicendo quod ſponte ſua paſſus eſt Chriſtus , exterùm quod ejus corpus erat impaſſibile ; ſed eontra eſt , quia licèt Chriſtus ſpontè ſit paſſus, tamen verè , & realitèr eſt paſſus , & eertè ſpontè pati non potuiſſet , niſi eorpus habuiſſet paſſibile , ſicut qui ſpontè ſe offert Tyranno , licèt ſpontè patiatur, tamen verè patitur: ergò ſtat quod corpus Chriſti verè fuerit paſſibile , ut declarant Conc. Toletanum primum , & plura alia .

III. Apocaritæ . Prodierunt anno 278. à Manichæis propagati . In multis ſentiebant cum Gnoſticis . Ex Prateolo .

Dixerunt animam rationalem eſſe ſubſtantiam inereatam , & æternam , & eſſe ex Dei ſubſtantia. R. Anima in ſaeris paginis à Deo creata dicitur , & certè ſi quæ anima eſſet ab æterno , fortè illa Adæ , ſed de hae præeipuè legitur fuiſſe ereatam ; in Gen. enim habetur . *Formavit Deus hominem , & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ* . Tum quia ſi anima eſſet æterna, vel ex ſubſtantia Dei, eſſet Deus , & ſubſtantia Dei eſſet diviſa in tot partes , quot animæ , quæ omnia implieant ; ergo &e. Animas ereari communis eſt SS. PP. conſenſus , & definitum eſt in Coneiliis , Lateranenſi ſub Innocentio III. , Braeearenſi ſub Joanne Papa II. ubi anathemate percutiuntur,qui dixerint animam ſubſtantiam Dei , ergo anima creatur .

XVI. Apocriphi vocantur illi , qui ſolùm Prophetas , & Apoſtolos reeipiunt, de reliquo rejiciunt vetus , & novum Teſtamentum . Quieumque canonicas ſeripturas eontemnunt , & ſeripturam reeonditam , & ab Eecleſia non approbatam , vel ab hæreticis depravatam legunt , Apocriphi dicendi ſunt ; quapropter , omnes Novatores , inter Apoeriphos reeenſendos eſſe erediderim : de his agit Philaſtrius . Vide etiam Canum de locis Theologieis .

IV. Apollinariſtæ Dueem non habuerunt Apollinarium Seniorem , ut aliqui ſentiunt , Laodieeæ in Syria profeſſione grammatieum , ex Alexandria oriundum , mortua uxore Sacerdotio initiatum , dictum Seniorem , ut diſtingueretur à Filio , cui etiam nomen erat Apollinarius , qui fuit Laodiceæ Presbyter , & excellenti donatus ingenio ,

nio, hic plura scientiæ suæ monumenta reliquit; ob sui ingenii perspicaciam pluribus sanctis viris, utpotè Basilio, Athanasio, Gregorio Nazianzeno, aliisque sanctis Episcopis, quibus familiaris fuit innotuit; sed cum eumdem in hæresim illapsum animadverterent, contra ipsum, quem laudibus priùs prosequebantur, coacti fuerunt calamum acuere. Hinc colligitur Apollinarium Juniorem fuisse Apollinaristarum primipilum, de quo ferè omnes antiqui Scriptores mentionem faciunt, & de eodem novissimè scripsit disertè Natalis Alex. sæculo 4. cap.3. art. 14. Episcopum Laodiceæ in Syria electum fuisse sunt qui asserant. Vir fuit litterarum scientia celeberrimus, qui omnem vim, & conatum adhibuit, ut contra Juliani Imperatoris edictum (qui Christianos humanioribus litteris vacare prohibuerat) litterarum scientia inter Catholicos divulgaretur, editis hac de re eruditissimis libris, non minùs soluta oratione, quàm versibus; sed cum interim litterarum scientia, qua excellebat abuteretur in hæresim incidit, cui ejus sectatores etiam novos adstipularunt errores, ex Manichæis, Tertullianistis, & Sabellianis desumptos. Condemnatus fuit Apollinaris pluribus in Conciliis, & primo à Divo Athanasio in Conc. Alexandrino, habito anno 362. postmodum Romæ sub Damaso Papa anno 377. Iterùm Antiochiæ anno 378., & demùm Romæ in alio Conc. Rom. anno 382. Apollinaris errores fuerunt proscripti. Hæc hæresis in plures sectas deinde fuit divisa, &, ab eadem Euthychianam hæresim habuisse originem sunt qui autumant. De Apollinari, cæterùm propter suam scientiam spectabili, plures SS. PP., & recentiores Scriptores, mentionem faciunt. Apollinaristarum errores, præter illos, quos cum Manetæ, & Tertulliano profitebantur, sunt sequentes; quos paulò post medium quarti sæculi disseminatos, colligitur ex Socrate, & Sozomeno; quare autem Apollinaris hæresim instituerit. Vide verbo *Gregorius Laodicensis*.

1. Dixit Verbum Divinum assumpsisse quidem naturam humanam quoad corpus, non verò assumpsisse integram cum anima; itaùt in corpore assumpto, Verbum gereret vices animæ. R. Christus moriturus se commendavit Patri: Jo. cap.19. vers.30. legitur, quod *Inclinato capite tradidit spiritum*: mors autem posita est in separatione animæ à corpore: ergo si Christus tradidit spiritum, veram assumpsit animam. Tum quia Christum habuisse veram animam constat Jo. 10. Christus enim dixit: *Tristis est anima mea*, sed Verbum non potest tristari, nec corpus sinè anima, ergo verè Christus habuit animam. Tum quia natura humana non potest assumi, nisi assumatur corpus, & anima, natura enim humana dicit utrumque, ergo si Christus est verus homo, assumpsit utramque naturam, neque ex eo, quod legitur: *Verbum caro factum est*; valet inferre Verbum assumpsisse solam carnem; nam ibi nomine carnis venit tota natura, sicut ubi legitur Luc. 3. ver.6. *Videbit omnis caro salutare Dei*, sermo est de hominibus, non qua corpus tantùm habent, quia corpus sinè anima non potest videre, sed quatenùs habent animam rationalem, & capacem visionis.

2. Spiritum Sanctum esse magnum, Filium majorem, Patrem maximum. R. Dato hoc asserto non essent unus Deus, sed tres Dii; imò sequitur in sententia Apollinaris, quod solus Pater esset Deus. Vide quæ dicta sunt verbo *Airani* ad probandam consubstantialitatem S.Spiritus, & contra *Arium*, & alios ad probandam consubstantialitatem Filii.

3. Aliquod Verbi conversum esse in carnem. R. Spiritus increatus non potest converti in corpus creatum, sicut corpus non potest converti in spiritum. Tum quia in Verbo Divino non possunt concipi partes. Tum quia Verbum assumens corpus, mansit quod erat. Demum substantia Divina est immutabilis.

4. Mille annos post resurrectionem ritus Judaicos esse instaurandos, & ad usum

usum revocandos. R. Post extremum Judicium, gloria Electis, & pœna Damnatis dabitur in æternum; sed nec illi in gloria, nec isti in pœna possunt observare ritus Judaicos. An autem Deus post extremum Judicium sit creaturus alios homines, & sub qua lege, nec directè, nec indirectè potest ex sacris paginis de hac re judicium ferri. Tum quia si quæ lex esset revocanda, potiùs esset lex gratiæ, quam scripta. Urget argumentum, lex enim Judaica non potest revocari in usum, quia illa est figura legis gratiæ, & jam verificata sunt, quæ lex Mosayca figurabat.

5. Peccatum esse verum naturæ instinctum. R. Si peccatum esset verus naturæ instinctus, Deus creasset naturam cum instinctu ad malum, quod repugnat dicere, Deus enim benè omnia fecit: tum quia homo non peccat, si facit id, quod est instinctum à natura, in se præcisè considerata (aliud enim est loqui de instinctu naturæ, prout à Deo creata est; aliud est loqui de proclivitate naturæ, prout est circumvallata passionibus, & peccato vitiata.) Natura secundùm instinctum, quem accepit à Deo in sui creatione, nullatenùs est mala; ideò dici nequit quod peccatum sit verus instinctus naturæ. Aliud, ut dixi, est loqui de natura humana post lapsum, in qua consideratione licèt sit proclivis ad malum, adjuvatur tamen à gratia ne cedat proclivitati, dummodò velit gratiæ cooperari. Cæterùm semper stat peccatum esse contra inclinationem naturæ in se consideratæ; ideoque non esse verum naturæ instinctum. Aliqui ex Apollinaristis Christum è cælo corpus attulisse, alii corpus sinè anima assumpsisse blaterabant, sicut & alii asserebant, non assumpsisse intellectum, nec fuisse perfectum hominem, nec Verbum perfectè fuisse incarnatum, qui sic sentiebant *Dimetritæ* vocati sunt. Sub hoc nomine reprobandi.

IV. Apollinaristæ alii. Theodoretus hæret. fabul. lib.4. constituit secundam Apollinaristarum speciem, qui dicebant corpus Domini descendisse de cælis, nam cum scripta Apollinaris, diversa continerent falsa dogmata, hæc quidem his, alia aliis placuerunt, ex quo diversæ originatæ sunt sectæ.

XVI. Apologetici sequuntur doctrinam Apologiæ Anglicanæ, discrepant à Luthero in meteria Eucharistiæ, secta sunt Sacramentarii. Anno 1544. prodierunt ex sectariis, cum quibus conveniunt, novis insuper additis erroribus, quos profitentur, & sunt sequentes.

1. Dicunt, quod unitas non est Ecclesiæ nota. R. Nam D. Paulus ad Eph. expressè requirit in Ecclesia unitatem fidei, & unitatem spiritus. Tum quia, sivè nomine unitatis intelligant multitudinem credentium ex omni natione, qui in unam fidei confessionem conveniunt, & perseverant in una, & eadem doctrina ab Apostolis tradita, sivè intelligant unionem membrorum inter se, & cum capite, certum est quocumque modo de unitate differant, unitatem esse Ecclesiæ notam: sicut enim ad discernendam alicujus rei veritatem, circa quam plures plura sentiunt, illi parti adhæremus, circa quam plures conveniunt, & eò magis si sint cordati viri, & omni exceptione majores, ita ut penè impossibile credamus tot viros doctos, & probatæ virtutis posse errare in sustinenda unanimiter aliqua assertione; ita à pari certum est, quod cum fides Catholica Apostolica Romana teneatur à tot viris sanctis, doctis, dignitate conspicuis inviolabiliter, & successivè per tot secula, & e converso in omnibus aliis sectis, tot penè sint sententiæ, quot capita; utique talis, ac tanta fidelium unitas, & concordia in una, & eadem doctrina probanda, sustinenda, ac confitenda, esse debet Ecclesiæ nota, & tanti ponderis est hæc ratio, ut benè considerata, sola per se deberet sufficere ad aperiendos cœcorum oculos, qui in tenebris ambulant, ut ab iisdem recederent, & ad veræ Ecclesiæ lumen accederent. De unitate autem corporis moralis Ecclesiæ, de qua etiam

etiam Paulus loco cit., alibi agemus.

2. Quod levis est quæstio de Paschate, & fermentato. R. Esse non potuit levis quæstio de Paschate, quandoquidem hæc incæpit anno 154. sub Aniceto Papa, & duravit usque ad annum 325. sub S. Silvestro Papa, quando congregato Concilio Nicæno, decisa fuit contentio, in qua agebatur de non conveniendo cum Hebræis in re gravis momenti, qualis est celebratio Paschalis: & certè si non fuisset res magni momenti, non fuissent celebrata plura Concilia, cum gravi Episcoporum incommodo, & dispendio, pro hujus quæstionis decisione ut refert Eusebius lib.5. Hist. Eccles. Similiter neque levis est quæstio de fermentato, quæ etiam causa fuit, ut Græci ab Ecclesia Rom. discederent, negantes Eucharistiam posse confici in pane azymo, ideò vocabant Latinos *Azymitas*, circa quod notandum, quod licèt tam in fermentato, quàm in azymo pane, confici validè possit Eucharistia, est tamen hæreticum asserere, solùm in uno, vel altero posse confici; non est ergo res levis momenti, ubi de conficiendo magno nostræ Religionis mysterio agitur.

3. Ad Principes laicos spectare in Conciliis de dogmatibus judicare. R. Claves Ecclesiæ non sunt datæ à Deo Principibus, sed Ecclesiæ, ergo spectat ad Pontificem, non ad Principem laicum de dogmatibus judicare. Posuit enim Christus Episcopos, non Principes regere Ecclesiam Dei. Tum quia sæpè Principes laici judicati fuerunt in Conciliis, & plures ex ipsis Conciliorum sententiæ acquieverunt; ergo &c. Tum quia si possent judicare de dogmatibus in Conciliis, possent & congregare Concilia, atqui talis potestas competit soli Pontifici, ut probatur contra Lutherum: ergo &c.

4. Ad laicos pertinere antiquam fidem instaurare. R. Fides fundata à Christo, promulgata ab Apostolis, ab eorum successoribus debet instaurari, sed Episcopi, non laici sunt successores Apostolorum. Tum quia si omnes laici possent instaurare fidem, omnes laici essent ministri Sacramentorum, essent Concionatores, sed talis potestas solis Sacerdotibus data est, quibus dixit Christus: *Ite, docete, baptizate, prædicate Evangelium*, & similia, quæ ad instaurationem, & propagationem fidei spectant, ergo &c.

5. Malos, corpus Christi non comedere. R. ex Apost. ad Cor. dicentè: *Qui indignè manducat, Judicium sibi manducat*. Judas in ultima cœna, cum cæteris Apostolis, accepit corpus Christi, quod ipsum Christum distribuisse omnibus discumbentibus, constat ex Hist. Euang. Vide D. Thomam 3. part. quæst.80. artic.3., & Trid. sess.3. cap.8.

6. Illicitum esse uno die, eodemque in templo, plures Missas celebrare. R. ex antiqua, & contraria Ecclesiæ praxi, imò in die natalis Domini, unus plures Missas celebrat: ergo à fortiori poterunt plures Sacerdotes, singuli singulas Missas celebrare: nec ullum inconveniens potest adduci, imò communis utilitas poscit quod plures Missæ celebrentur, ut detur singulis commodum audiendi Missam, & assistendi tanto Sacrificio, simulque offerendi cum Sacerdote, atque participandi de oratione Sacerdotis, & de oblatione, quæ singulariter in Missa fit pro circumstantibus. Demum dixit Christus: *Hac quotiescumque feceritis*, ex quo colligitur dedisse facultatem, ut omnes sæpe celebrarent, non autem prohibuisse, ut volunt hæretici; sciebat enim Christus, maximè ratione persecutionum, in aliqua secreta domo futurum, ut plures Sacerdotes congregati celebrare cogerentur, quibus utique per plura secula permissum non fuisset diversas habere Ecclesias ad Sacra facienda.

7. Infantes antequam fidei Sacramento initientur ad populum Dei, pertinere. R. Ecclesia describitur, quod sit: *Congregatio hominum baptizatorum, qui sub regimine Romani Pontificis, in unam eamdemque fidem consentiunt, & eorumdem Sacramentorum Communione ligantur*; sed infantes nondum baptizati non sunt

sunt in hac congregatione ; ergo nondum pertinent ad populum Dei, prout nomine populi Dei intelliguntur illi, qui sunt Cives Ecclesiæ ; prout enim omnes sunt creaturæ Dei, omnes pertinent ad populum Dei. Tum quia per Baptismum homo subjicitur Ecclesiæ, & hæc nullam habet jurisdictionem super non baptizatos. Apostol. ad Cor.5. loquens de non baptizatis ait: *Quid enim mihi de his, qui foris sunt*; ergo non baptizati nondum pertinent ad populum Dei, quatenùs pro Dei populo intelliguntur illi, qui sunt de corpore Ecclesiæ, sivè qui vocati sunt ad hæreditatem.

8. Ecclesiam posse errare in fide. R. verbo *Joannes Vestphalus*.

I. Apolloniaci illi sunt, qui tempore S.Pauli à proprio Prædicatore, qui Dei Verbum ipsis annunciaverat, denominari volebant, & eum alii ab Apollo Apolloniaei, à Petro Petriciani, à Paulo Pauliciani denominarentur, schismata faciebant, unde ipsos redarguit D. Paulus 1. ad Cor.3., & meritò ; per hoc enim quodammodò fit, ut evacuetur Crux Christi, & hoc æmulati sunt ferè omnes hæretici, ut à proprio nomine suos sectarios nominarint. Catholici verò, exemplo Apostolorum, hoc maximè sunt aversati, qui nonnisi à Christo unanimiter *Christiani* voluerunt nuncupari. Videatur hac de re Bar. ad ann. 57.

I. Apollonius, Tianæus dictus, præstigiis suis egit: ut tanquam numen haberetur, ejus famam propagavit Philostratus, res illius gestas conscribens, & mendaciis amplificans. Ephesini illum, ut Deum coluerunt, sub nomine *Herculis Alexiani*. Hierocles Philosophus, unus ex Areopagitis judicibus, commentario in Christianos edito, ostendere aggressus est Apollonium æqualem Christo extitisse. Alexander Imperator, Christi, & Appollonii imagines, inter Deorum suorum simulacra collocavit. Apollonii præstigia recenset, & detegit Eusebius, sicut, & Philostrati mendacia, edito ea de re libro contra Hieroclem.

III. Apostolici. Sunt in quadruplici specie. Prima de qua hic agitur Encratitarum germen esse creditur, quod repullulavit circa annum 260. quibusdam apocriphis actibus S. Andreæ, & S. Thomæ (referente D. Epiphanio) utebantur ; omnibus renunciabant facultatibus, ideò se Apostolorum veros successores esse gloriabantur.

Dicebant nullatenùs licere Christianis terrena possidere, & terrena possidentibus nullam spem esse salutis, hoc ducti falso motivo, quod crederent in lege Christi nulla esse consilia, sed omnia esse præcepta. R. ex sacris paginis, ex quibus colligitur, aliud esse agendum ab eo, qui vult ad vitam ingredi, debet enim *servare mandata*, aliud superaddendum ab eo, qui vult perfectus esse, debet enim *vendere, quæ habet &c.* Et certè si nullum esset consilium in Euangelio, omnes deberent contineri, & sic extingueretur genus humanum. Omnes deberent esse mendici ; in quo casu eum non esset, qui propria possideret, & posset erogare elemosynam, sequeretur, quod omnes Christiani deberent ex necessitate perire. Non igitur virginitas, paupertas, & alia hujusmodi sunt de præcepto, sed de consilio, sic de virginitate fatetur D. Paulus dicens: *Consilium autem do*. Cæterùm licere Christianis bona possidere, probabitur infra verbo *Apostolici* ex tertia specie. Adducunt hæretici plura testimonia ad probandum, saltem paupertatem esse de præcepto, sed ex illis nihil evincitur ; nisi quod Deus prohibuit nimium affectum circa bona temporalia, non verò prohibuit honestum eorumdem usum. De his Apostolicis scribit S. Ephræm.

XII. Apostolici ex secunda specie illi sunt, qui circa annum 1140. (quorum caput quidam fuit nomine Pontius, & duodecim alios sub suo Imperio habebat Magistros) se jactabant veros Apostolorum successores. Cæterùm homines erant rusticani, illiterati, & om-

& omnino contemptibiles, quos egregiè confutavit S. Bernardus; præter errores veterum Apostolicorum, alios etiam profitebantur quos refert S. Doctor.

1. Nuptias damnabant, & habitabant luxuriosè cum mulieribus. R. ex sexto præcepto Decalogi, in quo prohibetur fornicatio. Matrimonium non esse execrandum, probatum est verbo *Adamitæ*, sed satis sunt reprobati hujusmodi hæretici, quia fundamentum hujus hæresis erat sola libido, adeò expressè prohibita in sacris litteris.

2. Abstinentiam à carnibus, & ab omnibus ex coitu genitis prædicabant. R. verbo *Encratitæ*.

3. Baptismum Parvulorum non admittebant. R. verbo *Anabaptistæ*.

4. Orationes pro Defunctis rejiciebant. R. verbo *Aeriani*.

5. Dicebant Sanctos non invocandos. R. verbo *Vigilantius*.

6. Presbyteros, ac Prælatos peccato coinquinatos, nullam habere potestatem ad conficiendum Sacramentum asserebant. R. verbo *Albigenses*. Nec valet dicere, quod impii non habent Spiritum Sanctum; ergo nequeunt ministrare Sacramentum pœnitentiæ, in quo remittuntur peccata; nam quamvis non habeant Spiritum Sanctum, si nomine Spiritus Sancti veniat gratia gratum faciens, habent tamen Spiritum Sanctum, prout hic intelligitur potestas conficiendi, & ministrandi Sacramenta. Vide verbo *Jacobus præpositi*.

7. Omne juramentum illicitum reputabant. R. verbo *Catari*. Adde his omnibus, quod pro defensione suorum errorum cum gaudio flammas patiebantur, credentes suam sectam esse veram Ecclesiam; sed satis erant de falsitate convicti, nam cum vera Ecclesia sit sancta, utique non poterat esse vera Ecclesia, quæ tot docebat iniquitates. Vide Auctores agentes de signis Ecclesiæ Catholicæ, qua de re nos etiam alibi in hoc Opere tractamus.

XIII. Apostolici ex tertia specie prodierunt circa annum 1295. eorum Dux fuit quidam Gerardus Zagarel lus Parmensis, vir plebejus; qui ut imitaretur Apostolos, eo modo quo eosdem pictos aspiciebat, habitum induens, sectam laidissimam instituit, imitaturus Christum circumcidi voluit, in præsepio aliquandiù jacuit, & alia similia fecit deliramenta, in quibus cum pertinaciter persisteret, fuit vivus exustus. Dicti sunt etiam isti hæretici *Pseudo-Apostolici*, *Fraticelli*.

1. Dicebant Apostolos nihil neque in communi habuisse, proinde non licere eorum successoribus aliquid possidere. R. ex Sacra Scriptura, ubi constat, quod ex Apostolis, unus, scilicet Judas, curam gerebat eorum, quæ Apostoli in communi possidebant, quibus legitur plura bona oblata fuisse à noviter conversis ad Christum. Insuper Joan. 10. perhibet, quod in Civitate Samariæ Apostoli emerunt cibos, ergo possidebant pecuniam; & certè quod licitum esset Apostolis aliquid in crastinum reservare, patet ex Actibus Apostolorum cap. 11. & cap. 27. Quidquid verò ad paupertatem spectat in Evangelio non est præceptum, ut volunt Apostolici, sed consilium, nisi sermo sit de paupertate spiritus, quam contra vitia concupiscentiæ omnes tenemur servare; quod si omnimoda paupertas esset præceptum, soli mendici salvarentur, sed mendici ut subsistant debent invenire qui possideant bona, & erogent in eleemosynam. Demùm Deus hortatur fideles ad virtutem eleemosynæ; ergo hinc satis evincitur Christum permittere fidelibus possessionem bonorum temporalium.

2. Decimas non esse solvendas. R. ex Sacra Scriptura Levit. ult. Numeri 18. Malach. 3. Luc. 10. Prima ad Cor. 9. ex quibus auctoritatibus colligitur decimas esse solvendas de jure Divino, quod nos alibi cum pluribus aliis sustinebimus. Constat etiam ex auctoritate Ecclesiæ, quæ id lege sancivit, ut patet ex Decretali tit. *de decimis* ex Conc. Con-

ftantienſi ſeſs. 8. ubi hic error damnatus fuit : ex Conc. Trid. ſeſs.25. cap.12. Patet etiam ratione, quia cum Deus ſit ſupremus Dominus bonorum, ipſi debetur aliqua recognitio, ſicut quia Princeps habet altum dominium in ditionibus ſuis, hoc jure exigit à ſubditis tributa, & vectigalia.

3. Coniugia debere ſolvi pro eorum ſecta ſuſcipienda, quam credebant eſſe veram Eccleſiam. R. Quia in vera Eccleſia matrimonium eſt indiſſolubile, ut probabitur verbo *Armeni*. Tum quia nullum eſt præceptum de cælibatu ſervando, eo minùs de matrimonio ſolvendo pro his, qui fidem ab Apoſtolis prædicatam ſuſcipiunt. Convertebantur etiam tempore Apoſtolorum ad veram fidem uxorati, nec legitur obligatos fuiſſe conjuges ad dimittendas uxores, vel uxores ad dimittendum maritum, imò oppoſitum habetur prima ad Cor. cap. 3.

4. Vota eſſe pernicioſa meritis liberi arbitrii, & quæ ſinè voto fiunt, eſſe magis meritoria, quàm quæ ex voto ſoluuntur. R. Scriptura nos hortatur ad emittenda vota, ſed Scriptura nos hortatur ad majus bonum; ergo emiſſio votorum eſt majoris meriti; Major patet ex pſalmo 75. *Vovete, & reddite Domino*, pſalmo 46. verſ. 14. *Redde Altiſſimo vota tua*, ſed fruſtrà daretur tale conſilium, quandocumque eſſet pernicioſum merito liberi arbitrii, cum ſinè libero arbitrio nequeant fieri opera meritoria. Tum quia non poteſt eſſe pernicioſum libero arbitrio, quod provenit ex libero arbitrio, hujuſmodi eſt emiſſio votorum, imò in tali emiſſione votorum, liberum arbitrium comprobat ſe eſſe ſui juris; urget adhuc ratio, nam homo probus, qui pactionibus ſolo verbo firmatis ſe alligat, tantùm ſtat pactionibus ſolo verbo firmatis, quàm juramento ſancitis, ſed per primum non præjudicat merito liberi arbitrii, quamvis inviolabiliter obſervet promiſſa, ergo neque ſecundum.

5. Eccleſiam non plus valere ad orandum, quam ſtabulum. R. ex ſacris paginis, quæ nos docent orare ſerventer in Eccleſia, quod frequenter repetit Pſalmiſta. Tum quia Eccleſia ſpecialiter vocatur *Domus orationis*; tum quia faciliùs ibi Deus exaudit preces orantium, quæ omnes veritates conſtant ex ſacris paginis; ergo Eccleſia eſt locus præ omnibus aptior ad orationem; tum quia ſi oratio in templo non eſſet majoris utilitatis, Deus non præcepiſſet illius conſtructionem, nec tot ditaſſet privilegiis, ut videre eſt in libris Paralipom.

XVI. Apostolici. Quarta Apoſtolicorum ſpecies apparuit anno 1528. ex Anabaptiſtis exorta, Antilutheranis à Gravina adſtipulata. Porrò iſti Apoſtolici omnia in commune reponentes, per agros, & villas vagabantur otio dediti, & potiùs fures, quàm alio nomine nuncupari debent, quia cum omnia dicerent eſſe communia, quæcumque ipſis neceſſaria, nullatenùs attento aliorum dominio, accipiebant, ſicque aliorum aſſumebant facultates, quo vivendi modo, gravatos cum ſe animadverterent alii Conſectarii Anabaptiſtæ, rei indignitate perſpecta, cautum eſt, ut in homines adeò perditè viventes unuſquiſque irrueret, & talis vivendi modus in communi, communitatibus ſummè obnoxius, abrogaretur.

III. Apotactici iidem ſunt de quibus locuti ſumus verbo *Apoſtolici* primo loco, voluerunt autem etiam Apotactici, ideſt, renunciantes, nominari, quia bonis terrenis renunciabant.

II. Apulejani Ductorem habuerunt Apulejum, natione Afrum, patria Madaurum, ſecta Platonicum, circa medium ſecundi ſeculi, ſanguinis cognatione Plutarco affinem. Carthagine ſtuduit, & Athænis Platonis doctrinæ adhæſit; Romæ excellens Orator apparuit. Philoſophiæ tamen ſtudio flagrans, hanc juris prudentiæ prætulit. Uxoratus fuit cum Prudentilla vidua divite. In ſui defenſione de homicidio accuſatus, Apologeticon habuit. De Apulejanis ſcribit S. Au-

S.August. lib.9. de Civitate Dei cap.22. quos inter paganos potiùs quam inter hæreticos recenserem.

Dixit Angelos esse mediatores inter Deum, & homines; proinde esse colendos. R. prima ad Tim. cap.2. ubi unus Christus mediator esse asseritur. Tum quia mediator ab Apost. ad Heb. cap.2. vers.17. *Debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, ut repropitiaret delicta populi*, sed Angeli non sunt per omnia nobis similes, ergo non possunt esse mediatores. Tum quia Angeli ipsi testantur Christum esse mediatorem, sic Matth. cap.1. vers.21. Angelus ad Joseph dixit de Christo: *Ipse salvum faciet populum suum*. Tum quia mediator est ille, qui reconciliat, reconciliator non debet infinitè distare inter partes reconciliandas; sed Angelus infinitè distat à Deo; ergo &c. Vide D. Aug. lib.9. de Civ. Dei cap.15. Quod si in aliquibus Scripturæ locis legitur, per Angelos datam libertatem hominibus, significant quidem hujusmodi textus summa beneficia, quæ recipimus ab Angelis, ut custodibus nostris; non verò innuunt reconciliationem nostram, de qua hic agitur, esse opus Angelorum. Tum quia si Angeli essent reconciliatores, unusquisque homo haberet suum reconciliatorem peculiarem, sed unus est Reconciliator, & Redemptor, ergo &c. Ex quo sequitur Angelos non esse adorandos tanquam mediatores, nec eodem cultu quo adoratur Christus, quia Angeli, ut legitur in Scriptura, *ministrabant ei*. Angeli Christo famulatum præbent, quoniam tanquam suum Regem Christum adorant; ergo &c. Nota hic me uti nomine Angelorum more Ecclesiæ, quamvis Angeli ab ethnicis cogniti non fuerint. Vide Navarrum Ordinis S. Benedicti in prolegomenis de Angelis, qui de hac materia diffusè differit.

III. Aquarii. Probabile est circa medium tertii seculi emersisse; fuerunt dicti Aquarii, quia solam aquam in consecratione sanguinis apponendam asserebant. A Theodoreto vocantur etiam Encratitæ. Ferunt hanc hæresim originem habuisse ex eo, quod cum Christiani tempore persecutionum noctu in antris, ad sacra facienda convenirent, eorum aliqui abstinebant à vino, ne opportuno mane erumpentes è latebris, ab odorifera vini exhalatione detegerentur; sed si, ut probabiliùs est, Aquarii Tatianum habuerunt auctorem, secundo currente seculo hæc hæresis initium habuit, de qua scribit S. Augustin. hæres.64.

1. Solam aquam in consecratione sanguinis adhibebant. R. In materia Sacramenti standum est institutioni; sed Christus instituit, ut consecraretur vinum cum aqua, quemadmodùm ipsum fecisse traditur: ergo &c. Vide Trident. sess.22. cap.7. Major est certa, minor probatur; nam constat rei veritas, ubi legitur, quod Christus, cum instituit hoc Sacramentum in ultima cœna, instituit in vino, unde dixit: *Amodo non bibam de hoc genimine vitis &c.* Constat etiam ex traditione Apostolica, quæ nobis certò innotuit in hac materia per illos, qui tempore Apostolorum vixerunt; talis fuit S.Clemens I. ipse autem lib. 8. constitutionum cap. 17. asserit Christum consecrasse vinum, modica aqua mixtum, quod certè oportet se didicisse ab Apostolis, idque valdè roborat traditio Ecclesiæ, dum in re tam gravis momenti, assertivè scripsit, Christum consecrasse vinum modica aqua mixtum; hinc est, quod sic de facto faciendum esse, sæpiùs contra Aquarios, qui solam aquam, & Armenos, qui vinum purum adhibeant, definivit Ecclesia in Concilio congregata, sicut videre est in Carthag. Can.24. Aurelian.4. Can.4., Floren. sub Eugenio III., & Trid. sess. 22. Adducunt insuper hæc Concilia motiva, propter quæ aqua est apponenda in consecratione sanguinis, scilicet ad significandum sanguinem, & aquam, quæ exiit de latere Christi; ad significandam unionem Christi cum Ecclesia, & Populi Christiani cum Christo. Nec valet opponere in oblatione Melchisedech, quæ fuit figura hujus Sacri-

erificii, non fuiffe aquam, nam figurans non poteſt omnia adamuſſim repræſentare, quæ ſunt in figurato; cedit enim umbra corpori; Sacrificium Melchiſedech ſignificavit Sacrificium in lege gratiæ inſtituendum in pane, & vino, quod erat principaliùs; deinde ad alia ſignificanda non potuit ſe extendere, quia ut dixi, figurans non poteſt tàm benè exprimere, ſicut figuratum.

II. Aquila dictus Ponticus, quia ex Sinope in Ponto oriundus, ab Imperatore conſpicuis diſtinctus fuit officiis, à quo reædificationi Urbis Hieruſalem præpoſitus, Imperatoris nutibus obtemperans, jamque Hieroſolymis rem agens, Religionem Chriſtianam eſt amplexatus circa annum 129., cum vanæ aſtrologiæ ſummè deditus eſſet, monitus à Catholicis, ut deſiſteret, reſipuit, ſed iterum vano ſtudio aſtrologiæ animum applicans, tanquam inutilis Eccleſiæ, ab eadem fuit expulſus, ex quo facto ſummè indignatus, Religionem Chriſtianam abnegat, & 72. Interpretum verſionem depravat, ut teſtimonia de Chriſto in Scripturis probata, aliter ederet; cujus libri lectionem Imperator Juſtinianus Judæis probibendam cenſuit, ſicut de facto probibuit.

III. Arabes, referente D. Auguſtino, de hæreſi cap.38. orti ſunt in Arabia, & à regione nomen ſortiti anno 207. Sub Zephirino Papa in Arabia ſecundum Concilium contra hos hæreticos coactum eſt, qui cum ſe viderent ab Eccleſia proſcriptos, ſuos abjurarunt errores: diſputante contra eos, & convincente Origene.

Dixerunt animam rationalem ſimul cum corpore mori, & cum corpore reſurgere. R. Sap.3. Inſuper veritatem hanc, quod ſcilicet anima ſit immortalis, profitentur SS. PP. inter quos Sanctum Bernardum placet adducere, qui immortalitatem animæ ſic comprobat ſermone 87. in Cantica: *Immortalis anima eſt, quoniam cum ipſa ſibi vita ſit; ſicut non eſt quo cadat à ſe, ſic non eſt quo cadat à vita*. Tum quia anima ut moreretur deberet annihilari, vel corrumpi; non primum, quia Deus non annihilat, quod fecit ex nihilo, & creavit: neque ſecundum, quia quod corrumpitur, debet vim pati à contrario agente, & diſſolvi in partes, ſed anima non poteſt diſſolvi in partes cum ſit indiviſibilis, neque poteſt vim pati à contrario agente; quia ſpirituale non habet contrarium. Animam eſſe ſpiritualem declarat Concilium Lateranenſe 5. ſub Julio II., & Leone X. Nec valet objicere quod legitur ad Tim.6. *Ipſe eſt Rex Regnum, qui ſolus habet immortalitatem*: Hoc enim verum eſt de immortalitate in ſe, & per eſſentiam, non verò de immortalitate participata, quam Deus animabus rationalibus dignatus eſt impertiri.

II. Archontici anno 160. à quodam Anacoreta cui nomen Archon ſentiunt aliqui ſuam duxiſſe etymologiam, ſicut ab eodem verum eſt habuiſſe originem. Alii volunt Archonticos fuiſſe ſic dictos, quia venerabantur Archangelos, ut creatores mundi. Cœpit autem hæc hæreſis ſerpere in Palæſtinorum Provincia, deindè translatum eſt hoc venenum in magnam Armeniam. Mos erat Archonticis oleo, & aqua defunctos inungere: immunditiis ſenſus omninò erant dediti, & ut ſuos ſtabilirent errores, diſſeminabant quoſdam libros, inſcriptos: *Revelationes Prophetarum*. De Archonticis ſcribit S. Ephræm hæreſ.40.

1. Vetus Teſtamentum calumniabantur. R. Verbo *Ambroſiani*.

2. Omnia Sacramenta deſpiciebant. R. verbo *Manichæi*.

3. Dixerunt Deum non eſſe Creatorem mundi, ſed eſſe Archangelos. R. Ex primo Geneſ. item pſalm.95. 101., & 121. ex Euangelio Jo: cap.1. ex Symbolo Apoſtolorum, & Nicæno, ex Concilio Lateranenſe ſub Innocentio V. ubi Deus mundi Creator aſſeritur. Tum quia potentia creativa competit ſoli Deo. Tum quia, vel creatura, vel Deus crearunt mundum; non primum, quia qui indiget creari, non poteſt creare, ergo ſecundum. Tum quia ſupra Archan-

changelos sunt Throni, Dominationes, Potestates &c. ergo non est potior ratio cur asseratur Archangelos, quàm alios Spiritus ordinis superioris, creasse mundum. Nec valet dicere Archangelos, idest Angelos, qui maxima annunciant (hac enim ratione Angelos intelligit Sanctus Gregorius homil. 34.) esse Ministros virtutis Dei, ideoque ab ipsis creatum esse mundum; nam officium Angelorum est laudare Deum, legationes Dei ferre, homines adjuvare, non autem mundum creare. Tum quia Angeli non fuerunt creati extrà mundum, ut communior est sensus; ergo jam mundus erat creatus, cum creati fuerunt Angeli. Vide verbo *Angelici*.

4. Nullam futuram resurrectionem. R. verbo *Basilidiani*.

5. Baptismum non esse spiritualem regenerationem. R. ex sacris paginis, ubi de Baptismo legitur Jo: 3. vers. 3. *Nisi quis renatus &c.* Tum quia Christus præcepit Apostolis, ut omnes baptizarent in remissionem peccatorum, quod expressè legitur Actorum 11. vers. 28. Tum quia spiritualis regeneratio consistit in hoc, quod ex filiis iræ regeneramur in gratia, per infusionem gratiæ, qua filii Dei efficimur, ut habetur ad Tim. 1. vers. 12. hoc autem contingit in Baptismo, ut legitur ad Galat. 3. *Quicumque baptizati estis, Christum induistis*. Porrò Christum induere nihil aliud est, quàm ejus gratiam acquirere; ergo Baptismus est spiritualis regeneratio. Vide verbo *Albanenses*.

6. Dixerunt redemptionem consistere in cognitione mysteriorum. R. ex sacris paginis, ubi mysterium redemptionis à Christo per suam passionem operatum asseritur. Tum quia si redemptio esset mysteriorum cognitio, unusquisque esset sui redemptor, quod esse nequit; fatui autem, & qui non possunt mysteria cognoscere excluderentur à beneficio redemptionis, quod est universale. Demum adeò impii fuerunt Archontici, ut Deum, à quo omnia bona, inventorem pravitatis asserere non erubuerint. Dei bonitas, quæ etiam animantibus innotescit, non indiget adminiculo mei calami ad reprobandam Archonticorum blasphemiam. Vide S. Aug. lib. 12. de Civit. Dei à cap. 7. usque ad 9.

IV. Ariani, sive Ariomanitæ, ut eos vocat S. Epiphanius hæres. 79. illi sunt, quorum perfidia adeò dilacerata est Ecclesia currente saeculo 4., ut nunquam horribiliorem passa sit, inter ipsas Tyrannorum persecutiones, tempestatem, excitatam ab Ario natione Lybico (est autem Lybia Urbs Ægypto contigua) Presbytero Alexandrino, cujus Ecclesiæ Episcopatum eum obtinere non potuerit, ægrè ferens alium sibi præferri; inconsutilem Ecclesiæ vestem, totis viribus dilacerare nisus est, circa annum 317. Fuit Arius Logicæ artis peritissimus, Meletio novitates mollienti se adjunxit. Copiosè de eodem differunt annales Baronii, Socrates lib. 1. cap. 2. Teodoretus lib. 1. cap. 14. S. Augustinus lib. de hæresi cap. 49. Proscripti fuerunt errores Arii in Conc. Nicæn. 1. Composuerat Arius adversùs sanam Ecclesiæ doctrinam scripta, ac præcipuè librum inscriptum *Thalia*, sive crapula, quem Constantinus comburi jussit cum cæteris ejus scriptis, & cantilenis, quæ inter crapulas cantabantur, ut refert D. Athanasius oratione 2. contra Arium, qui anno 336. eadem qua Judas morte Constantinopoli decessit, effusa siquidem sunt omnia viscera ejus.

1. Dixit Verbum incarnatum, non esse ejusdem substantiæ cum Patre, consequenter non esse Deum, sed creaturam. R. Ex Jo: cap. 14. vers. 9. *Qui videt me, videt & Patrem meum*. Certè hic Christus voluit docere Apostolos, se esse consubstantialem Patri, scilicet habere unam naturam cum Patre, unam essentiam, unam substantiam, cum talis unitas non possit esse respectu Personarum, quæ realiter distinctæ sunt in Divinis; ergo ratione substantiæ, sive essentiæ Divinæ, unde, & dixit Christus Jo: 10. *Ego, & Pater unum sumus*. Tum quia Sacra Scriptura, pluribus in locis, adeò apertè tribuit nomen veri Dei Filio, ut de ejus Divinitate reali dubitari non possit, quæ omnia, ut ait Joan. 20. 31.

Scri-

Scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei. Cum tamen in Christo sint duæ naturæ; aliquando Scriptura loquitur de Christo prout habet naturam humanam; de Christo autem ut homine, interpretandi sunt textus, quos adducunt hæretici, ut probent Filium esse minorem Patre, non esse consubstantialem Patri, non habere eandem essentiam cum Patre; qua distinctione adhibita, corruunt omnia hæreticorum argumenta. Negant Ariani consubstantialitatem Filii cum Patre, quia non inveniunt expressè in sacris paginis hanc vocem *Consubstantialem Patri*, sed non valet hoc argumentum, quandoquidem æquivalentia hujus vocis *Consubstantialis*, expressè habetur in Scriptura, ut constat ex supra adductis textibus, qui non aliud significant, quam Filium esse consubstantialem Patri.

2. Christum solam carnem assumpsisse, absque anima. R. ex ipso Christo dicente: *Nemo tollit animam meam à me; sed ego pono eam &c. Tristis est anima mea.* Tum quia Christus, est verus homo, ergo debet habere animam, ut cæteri homines.

3. Christum multa ignorasse, nostroque more, proùt ætate crescebat, didicisse. R verbo *Agnoetæ*.

4. Concilia generalia etiam legitimè congregata, esse errori obnoxia. R. Deuteronomii 17. ubi Deus præcipit populo facere quæcumque decrevisset Concilium, à Moyse Dei jussu adunatum, quod si veteris Testamenti Concilia errare non poterant, à fortiori Concilia novæ legis errori nequeunt esse obnoxia. Probatur insuper ex Matth. cap 18. *Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Sed Concilia generalia congregantur in nomine Christi; ergo si Christus specialiter ibi assistit, errare non possunt. Tum quia si Concilia possent errare, semper Christifideles possent dubitare de recto consensu in fide, sed nequit dubitari, quod omne determinatum à Concilio legitimè congregato, in materia fidei non sit de fide. Tum quia si Concilia approbata à Pontifice possent errare, Ecclesia non esset benè à Christo ordinata, quia esset minoris auctoritatis, quam fuerit Synagoga. Demùm nunquam contigit aliquod Concilium legitimè congregatum, & à Pontifice approbatum errasse, ergo &c.

5. Christum non esse verè mediatorem, quasi propria virtute mediationem Dei, & hominum perfecerit, sed Christum fuisse simpliciter ministrum, cujus temperamento Deus usus est ad tractandam mediationem cum hominibus. R. ex prima ad Tim. cap.2. ubi asseritur Christum Dei Filium esse verum mediatorem, qui suo Sanguine, & propria virtute nos liberavit, ergo non fuit simpliciter minister, vel temperamentum quo &c. Fuit autem Christus mediator ratione utriusque naturæ, quam in una Persona copulavit, ut veri mediatoris partes posset explere. Tum quia si Christus fuisset simpliciter minister mediationis, & non fuisset verus mediator, non dedisset ipse pretium redemptionis, qui enim solùm tanquam minister conciliat partes, ratione alicujus debiti, inter se divisas, exponit simpliciter hinc indè rationes, non verò de proprio solvit debitum; sed Christus proprio Sanguine nos redemit, conciliavit in pace cum Deo, & solvit debitum, quo tenebamur ratione culpæ, ergo verè fuit mediator.

6. Non Jesum, sed Christum fore tantùm invocandum. R. ex Scriptura, ubi Jesum invocatum legimus, *Jesu Fili David miserere mei*, similes invocationes pluribi habentur. Tum quia nomen Jesu est nomen, quod solum invocatum operatur prodigia, ut patet ex actibus Apostolorum, ubi D. Petrus dixit Paralytico: *In nomine Jesu surge, & ambula,* ergo est invocandum. Tum quia est nomen sanctum, sic de eo legitur: *Et sanctum nomen ejus:* nomen inquam in quo solo oportet nos salvos fieri, ut habetur in actibus Apostolorum cap.3.

XVI. Ariani Novi. Horum nomine, qui primi inter Antichristianos à Gravina describuntur, veniunt Novatores hæretici, ex Lutheri secta progeniti;

ti; qui Trinitatis myſterium evertunt; præcipuè Arii hæreſim renovantes, negando Filium eſſe Patri conſubſtantialem; ſed non una apud eoſdem eſt ſententia: licèt enim omnes Trinitatem oppugnent, & ideò dicantur Trinitarii, diverſas tamen in factiones diviſi, diverſimodè de Trinitatis myſterio, & de Filii conſubſtantialitate ſentiunt, unanimes tamen contra verum Eccleſiæ ſenſum blaſphemant. Horum blaſphemias, ſub proprio, cujuſcumque ex ſectariis, qui tanquam factionum capita habentur, nomine, recenſendas remittimus, & reprobandas.

XVII. Ariocalvinistæ. Dari etiam nunc temporis in Anglia, qui à puro Calviniſmo in Arii perfidiam declinarunt, conſtat plurium teſtimonio qui Angliam peragrantes, plures ex hac farina detexerunt; duo ex his hæreticis initio ſeculi 17. fuerunt in Anglia combuſti: multi etiam in Hollandia liberè vivere permittuntur, qui Ario adhærent.

IV. Aristotelici ſunt iidem, ac Ariani, ut conſtat ex D. Epiph., qui quatenùs Syllogizantes de generatione Filii, quam nemo poteſt enarrare, quia non poterant ſecundùm Philoſophica principia, de eadem diſcurrere, contra eamdem blaſphemabant, negantes Filium eſſe poſſe coæternum Patri, ſic inſipienter blaterantes, non philoſophantes. Si Verbum erat, quomodo genitum eſt; ſi verò genitum eſt, quomodo erat? Solvit hoc Ariſtotelicorum ſophiſma S. Epiphanius.

XIV. Armacanus. Riccardus (ex Spond.) fuit natione Hibernus, ſcientiarum eruditione clarus, dictus Armacanus, quia in Hibernia Armacenſis Sedis Archiepiſcopus fuit; cum primùm in Oxfordienſi Univerſitate, Doctoratus eſſet lauream aſſecutus, ejuſdem etiam Cancellarius eligitur. Videtur de Ordinibus mendicantibus non rectè ſenſiſſe, quapropter ab Innocentio VI. Avenione accerſitus, ut cauſam ſuam coram quatuor Cardinalibus diceret, antequam à judicibus cauſa fuiſſet expedita, ut ad propria reverteretur, iter arripuit. Certum eſt doctrinam ſuam, & ſcripta Eccleſiæ judicio ſubmiſiſſe, imò miraculis clarum deceſſiſſe, ſunt qui aſſerant. Propoſitiones erroneæ, quæ Armacano adſcribuntur, ſunt ſequentes.

1. Docuit Sacerdotes in abſentia Epiſcopi poſſe illa omnia, quæ muneris Epiſcopali ſunt perficere, ſcilicèt Ordines conferre, Chriſma conficere, conſecrare Eccleſias, & ſimilia peragere. R. primò quoad Sacramentum Confirmationis, quia ſoli illi ſunt ordinarii Confirmationis miniſtri, qui ſoli eam in Scripturis miniſtraſſe leguntur; atque il ſunt ſoli Epiſcopi, nam actorum 8. Petrus, & Joannes Samaritanos, à Philippo Diacono baptizatos, confirmarunt. Actorum 19. Paulus iis quos baptizari juſſerat manus impoſuit; at qui Petrus, Joannes, Paulus erant Epiſcopi, ergo &c. Presbyteri quoties ſibi jus illud arrogare auſi ſunt damnati fuerunt ab Eccleſia: Sic Innocentius Papa I. in Epiſt. ad Decentium proſcripſit Eugubianos Presbyteros, qui ſibi jus illud arrogarunt. Sic etiam Gregorius Magnus lib.3. epiſt. 9. damnavit Calaritanos Presbyteros, eo quòd contenderent apud ipſos eſſe jus confirmandi. *Presbyteri* (inquit) *baptizatos infantes, ſignare in fronte ſacro Chriſmate non præſumant*. Demum Conc. Trid. ſeſſ.7. Can.3. anathema intorquet in eos, qui negaverint ſolum Epiſcopum eſſe ordinarium Confirmationis miniſtrum. *Si quis dixerit ſancta Confirmationis ordinarium miniſtrum, non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Presbyterum, anathema ſit*. R. ſecundò quoad Ordines, quia ſacri Codices, ſolis Epiſcopis jus conferendi ſacros Ordines tribuunt. Soli Epiſcopo illud jus adſcribitur, tum in Conciliis, tum à Patribus, tum in Gregorii Sacramentario, tum in Euchologio Græcorum; & qui auſi ſunt aſſerere Ordinationes ad Presbyteros pertinere; proſcripti fuerunt ab Eccleſia, ut videre eſt in *Colluthe*, de quo loquitur Athanaſius in ſecunda Apologia; in Aerio, de quo agit Epiphanius hæreſi 56., in Wiclepho, cujus meminit Conc. Conſtanſ. ſeſſ. 8. & tandem in Luthe-

Luthero, & Calvino, quorum in hac materia praxim, & dogma Conc. Trid. damnavit sess.23. cap.4., & Can.7. Tandem una est vox SS. Patrum, in hoc præsertim eminere Episcopos, quod soli ordinationum jus habeant. Sufficit adducere Hieronymum, qui in epistola ad Eugenium sic ait: *Quid facit Episcopus excepta ordinatione, quod Presbyter non faciat?* R. tertiò auctoritate Conc.Trid. sess.23. cap.4. ubi hæc habet: *Sacrosancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos, gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem præcipuè pertinere; & positos, sicut Apostolus ait, à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia plura peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem, reliqui inferioris ordinis non habent.* Idem Concilium ibidem Can.7. anathema intorquet in contrarium afferentes, his verbis: *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, anathema sit.*

2. Dicebat turpe esse Christianos sua sponte mendicos esse. R. ex Scriptura, quæ pluribus in locis voluntariam paupertatem commendat, quam Christus ipse, suo docuit exemplo. Insuper de paupertate servanda consilium Euangelicum extat. Paupertas voluntaria valde ducit ad acquirendam perfectionem; ergo non est turpe Christiano sua spontè mendicum esse.

3. Dicebat tantæ necessitatis esse aquam in Eucharistiæ Sacramento, ut sinè ea confici illud non possit. Hunc errorem viguisse suo tempore significat S. Bernardus ep.69. ad Guidonem. R. ex silentio Scripturæ; quæ solius vini mentionem facit, ubi agit de consecratione calicis. S. Chrysost. homil.83. in Matth. ad illa verba: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis*, confutans *Aquarios* ait: *Quæ certè vitis, non aquam, sed vinum producit*. Neque Christi exemplum opponi potest, siquidem & azymum panem adhibuit, qui tamen ad substantiam Sacramenti, ut azymus est non pertinet. Tum quia sicut constat ex Catechismo Romano par.2. & ex Conc. Trid. sess.2. cap.7. aqua ponitur in sacrificio ex præcepto Ecclesiæ. Demum nec Trullana Synodus, nec Eugenius IV., nec alii, qui Armenos, aquam in calice non miscentes, damnarunt, unquam objecerunt irritum fieri idcircò ab ipsis Sacramentum, quod certè non siluissent, si persuasum eis fuisset, aquam esse necessariam ad Sacramenti substantiam: sed solùm objecerunt, aquam non apponentes in Sacramento, graviter delinquere contra Ecclesiæ præceptum.

V. Armeni Populi à S. Bartholomæo in sancta Fide instructi, in ejusdem candore per quatuor secula perseverarunt, potissimùm in illa parte, quæ est inter Taurum, & Caucasum Montem constituta. Quo verò Duce, quinto currente seculo, à vera Fide declinaverint, varia sentiunt Historici. Volunt aliqui à Jacobo genere Syrio perductos fuisse in prævaricationem, qui Jacobitarum Dux fuit. Sed esto quòd decursu temporis Armeni, etiam Jacobitarum errores sint amplexati; attamen constat antequam Jacobus Syrius suos disseminasset errores, jam pluribus erroribus Armenorum Fidem fuisse contaminatam; contra quos jam in Armenia celebratum fuerat Concilium circa medium seculi quinti, ut notat Ophmanus, verbo *Armeni*. Jacobus autem Syrius anno 580. suos promulgavit errores, quos verbo *Jacobitæ* reprobamus. Cæterùm in tot, tantosque errores paulatim impegerunt Armeni, ut vix Catholicæ Religionis umbra in iisdem permanserit, quandoquidem potiora Fidei dogmata, aliquo errore permixta ab iisdem profitentur. In Concilio Florentino sub Eugenio IV. Ecclesiæ Catholicæ uniti fuerunt Armeni, qui ad propria reversi, iterùm ad pristinos declinarunt errores, quorum plures recenset Nicephorus in sua Ecclesiastica Historia lib.18. cap.13. sed longè plures commemorat Gaulterius, quos confutationis gratia hic exhibeo: in quos

quos omnes Armenos incidisse, profectò asserere non auderem; maximè eum ex decreto unionis Armenorum, liquidò colligi valeat, ad quos, & quales errores declinassent Armeni, postmodùm in Concilio Florentino Ecclesiæ Romanæ uniti. Præterquamquod plures errores, qui ab auctoribus attribuuntur Armenis, ita sunt à ratione alieni, ut vix credibile sit, Armenos adduci potuisse ad hujusmodi errorum professionem, qualis, inter cæteros, est asserere, quod *Deus sit mendax*: Blasphemia utique adeò immanis, ut ab ea non modò quicunque mali, sed & pessimi homines, quibus vel rationis crepusculum insit, debeant aversari. Sed quidquid sit de quantitate errorum, in quos Armeni impingere potuerint, certum est non omnibus Armenis, notam hæreseos inurendam esse; cum sint, & hodie in Oriente plures Armeni Romano-Catholici, qui continuò ab aliis Armenis sive schismaticis, sive hæreticis vexantur. Porrò, qui Armenis tot adscripserunt errores, utique illos cum aliis orientalibus hæreticis confuderunt, de quibus nos singillatim sub proprio nomine in hoc opere agimus. Deinde claritatis ergo, modernorum Armenorum errores subiiciemus, quorum notitiam exhibuit Abbas Stephanus Evodius Assemani Syrus Maronita sacræ Theologiæ Doctor, Scriptor linguarum Syriacæ, & Arabicæ in Bibliotheca Vaticana, cui etiam debitores sumus, notitiæ errorum aliarum sectarum orientalium, quos hodie profitentur moderni Græci, Nestoriani, Jacobitæ, & Copti: de quibus omnibus sub proprio nomine sermonem instituimus, ad eruditionem Lectoris benevoli, ut scilicet discernere valeat, quos errores antiquitùs profiterentur hujusmodi sectæ, quos verò nunc temporis sustineant, ne quid sinceræ eruditionis Lectorem lateat, sive quoad veterum, sive quoad modernarum hæresum notitiam.

1. Deum esse mendacem dixerunt. R. hæc blasphemia potiùs, quàm hæresis ex Scriptura Num. cap. 23. vers. 19. Sap. cap. 18. vers. 1. ex Symbolo Nicæno, in quo canit Ecclesia *Deum verum de Deo vero*. Tum quia, qui mendax est, est mutabilis, Deus autem nulli subjacet mutationi. Tum quia mentiri est summa imperfectio in homine, ergo nequit esse in Deo. Probare nituntur Armeni Deum esse mendacem, quia Cain occisus fuit à Lameche, cum tamen Deus promisisset Cain, quando timebat occidi, *Nequaquam ita fiet*. Sed estò Cain fuisse occisum, adhuc non evincitur Deum fuisse mentitum, quando dixit *Nequaquam ita fiet*, promisit enim Deus Cain, quod primus, qui eum invenisset, non occideret: hoc enim timebat Cain eum dixit: *Omnis qui inveniet me, occidet me*. Constat autem Cain adhuc per plures annos post occisionem Abel conversatum cum hominibus, quem fortuitò Lamech occidit in sylva, credens eum esse feram, quem si novisset esse Cain, utique non occidisset. Vide verbo *Jacobitæ*.

2. Spiritum Sanctum à solo Patre procedere. R. verbo *Græci*.

3. In Christo unicam esse voluntatem, & hanc Divinam. R. verbo *Monotelitæ*.

4. Christum non resurrexisse die Dominico, sed die Sabbathi, & ideò secunda, non tertia die post crucifixionem resurrexisse. R. Quia Christus tertia die se resurrecturum dixit Apostolis, ut apertè constat ex Matth. cap. 16. vers. 21. ex eodem c. 20. vers. 19. Luc. cap. 18. vers. 33. Insuper Symbolum Nicænum docet hanc veritatem. Dicunt Armeni, quòd si resurrectio facta fuisset die Dominico, inter resurrectionem, & Pentecostes, non intercederent quinquaginta dies; sed hoc falsum est, & eorum assertio fundatur in falso supposito, credunt enim Spiritum Sanctum descendisse die Sabbathi, sed certum est descendisse die Dominico.

5. Crucem non esse adorandam modo, quo eam adorant Latini, sed priùs debere lavari, & in medio clavum configi, unctum sanguine sacrificii, & sic dicunt Crucem esse exponendam adorationi, quæ omnia de facto ipsi peragunt. R. hic modus adorandi Crucem, nam Cruci debetur cultus, ut probabitur expressè contra Claudium Taurinensem; certum autem est, quod ipsi

ipsi debetur cultus, non modo quatenùs fuit altare, in quo mactata fuit Christi victima, sed etiam quatenùs ipsum Christum repræsentat, qua de re vide D.Thomam par.3. quæst.21. art.5. de quo cultu ex Apostolica traditione contra Claudium agetur. Attamen certum est, quòd Apostoli nunquam docuerunt crucem esse adorandam ritu, quo illam adorant Armeni; nam improprium videtur, sanguine sacrificii inuncto clavo crucem adorare; sic enim non adoraretur crux in se, sed quatenùs habet illum clavum sanguine sacrificii inunctum. Tum quia non possunt ad libitum instituì ceremoniæ Ecclesiasticæ; sed illæ solùm sunt custodiendæ, quas Ecclesia Romana instituit, vel alibi institutæ, Ecclesia Romana, vel actualiter, vel virtualiter approbat; sed Ecclesia Romana improbat ritum Armenorum quoad adorationem crucis, ergo &c.

6. Dixerunt, quòd si primi Parentes perseverassent in statu innocentiæ, non habuissent copulam carnalem, sed humanam speciem aliter, quam per coitum, propagandam in statu innocentiæ, ex quo inferebant modum propagandi genus humanum per coitum, provenire ex culpa Protoparentum. R. Quia quando Deus fecit Adæ adjutorium simile sibi, Adam adhuc erat in statu innocentiæ, hoc autem adjutorium fecit Deus ad propagationem, ut asserit S.Augustinus lib.9. de Gen. ad litteram cap.3. Insuper quando Deus benedixit Protoparentes; dixitque illis: *Crescite, & multiplicamini*, ut legitur Gen. cap.1. vers.23. nondum peccaverant, imò ante peccatum dixit Adam Gen.2. vers.24. *Relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*: loquebatur tunc Adam de propagatione humana, utique adhuc inscius culpæ, quam postea patravit, ergo hinc benè infertur, quòd homo, & mulier etiam in statu innocentiæ fuissent duo in carne una, & per coitum generassent, & consequenter modus propagandi genus humanum per coitum, non provenit ex culpa, neque talis modus generandi est per se illicitus, & inconveniens statui innocentiæ, ut volunt Armeni: non enim coitus est illicitus per se, sed quando malitiosè habetur, & inter illos, inter quos haberi prohibitum est, ergo etiam in statu innocentiæ, naturali modo, sicut nunc, propagatum fuisset genus humanum. Verùm quidem est, quod in statu innocentiæ, homo non habuisset coitum cum ardore immoderatæ libidinis, quem nunc habet propter peccatum; habuisset coitum cum solo fine propagandi genus humanum, & illo usus non fuisset ad intemperantiam.

7. Parvulos nullam contrahere maculam originalem, sed Adamum sibi tantùm nocuisse. R. verbo *Pelagius*.

8. Eucharistiam neque utilem, neque noxiam esse. R. verbo *Adelphius*.

9. Negabant Purgatorium. R. verbo *Albanenses*.

10. Asserebant Baptismum non esse necessarium ad delendum peccatum originale, quod negabant contrahi ab hominibus, sed solùm esse necessarium ad conferendam gratiam. R. Quia necessitas Baptismi, quæ colligitur ex Scriptura, non est ad conferendam præcisè gratiam, sed etiam est ad delendam culpam originalem, est enim lavacrum regenerationis, seu restitutionis filiationis per gratiam, quam per peccatum originale amisimus; estò igitur quod conferat simul, & semel gratiam sanctificantem, tamen pro collatione gratiæ simpliciter, non erat necessè instituere hoc Sacramentum, cum gratia conferatur per Sacramentum Eucharistiæ, & sic sufficeret pueris dare Eucharistiam, & adhuc haberetur intentum, ex quo sequitur Baptismum, non esse necessarium ad conferendam gratiam, sed ad delendam originalem culpam.

11. Asserebant, quòd pueri decedentes sinè Baptismo, si sint filii fidelium collocantur in paradiso terrestri, si verò sunt filii infidelium, vel hæreticorum, collocantur cum suis parentibus in inferno. R. quoad filios infidelium nam *Filius non portat iniquitatem patris*.

Eze-

Ezechiel.18. verf. 19. ergo filii infidelium præcisè per hoc, quod fint filii infidelium, fi decedant finè Baptifmo non debent collocari in inferno. Et nota me non tangere fententiam S.Auguft.fer.14. de verbis Apoftoli, & aliis in locis, ubi S.Doctor afferit, parvulos decedentes finè Baptifmo, fuftinere pœnam fenfus ratione peccati originalis: neque fententiam S.Thomæ, oppofitum afferentis part.3. quæft. 69. artic.6. Quod autem filii fidelium decedentes fine Baptifmo non fint collocandi in paradifo terrefti, habetur ex prælaudato S.Auguftino lib. de origine animæ cap. 9., ubi validè probat, non effe medium inter gloriam competentem pueris decedentibus cum Baptifmo, & pœnam inferni, debitam ratione originalis peccati: fed fortiùs evincitur ex Euangelio, ubi legimus: *Nifi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteft introire in regnum Dei*.

12. Dicebant, quòd nullum fuiffet peccatum, fi nulli fuiffent Dœmones tentatores impellentes ad malum, ex quo inferebant, quòd cum homo nequeat refiftere Diabolo, non poteft propter peccatum juftè puniri, fed Diabolo imputari debet omne peccatum commiffum ab hominibus. R. Quia fi peccatum effet à Diabolo, fruftrà Deus in facris paginis hortaretur homines, ut declinarent à malo, fed potiùs deberet providere, ne Diabolus tentaret, autem Dominus dat cum tentatione proventum, & fupra vires noftras non permittit nos tentari, ut afferit D.Jacobus, & D.Petrus hortatur nos refiftere fortes Diabolo, ergo peccatum non eft à Dœmone, fed ab homine, quia unufquifque tentatur à concupifcentia fua; & quidem fi homo non poffet refiftere Diabolo, jam non voluntariè, fed coactè peccaret, nullum autem peccatum eft, nifi voluntarium, ergo homo cui imputatur peccatum, voluntariè peccat, & media gratia, quæ nunquam deeft, poteft refiftere Diabolo; quod fi non refiftit, jam illi concinit illud Ofeæ: *Perditio tua ex te*; ideò fruftra homo, cum fit liberi arbitrii, fe excufat à peccato, refundendo illud in tentatore, ficut fecerunt Protoparentes, qui dixerunt: *Serpens decepit me*. Tum quia fi homo non poffet refpuere malas infpirationes, neque poffet acceptare bonas, & fic opera bona, quæ Deo infpirante fiunt ab hominibus, neque deberent homini imputari ad meritum, in quo cafu homo effet ejufdem conditionis cum animantibus, quatenùs nihil ipfi poffet ad meritum, vel demeritum imputari.

13. Dari aliqua peccata irremiffibilia fuftinebant. R. Ifaiæ cap.1. verf.18. Matth.16. ubi Chriftus conferens auctoritatem Ecclefiæ abfolvendi, dixit finè reftrictione: *Quodcumque folveritis erit folutum*. Nec aliquid evincit, quod legitur Matt.12. verf.33. *Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei*; ibi enim eft fermo de impœnitentia finali, quæ utique non remittetur; qui autem vult finaliter perfeverare in peccato, fe privat voluntariè beneficio abfolutionis, quæ perfeveranti finaliter in malo, non poteft impendi.

14. In refurrectione omnes refurrecturos in corpore virili. R. verbo *Almaricus*.

15. Omnes homines, qui Chrifti paffionem præcefferunt effe damnatos, non ratione peccati originalis, fed ratione peccati perfonalis Protoparentum, quod ita fuiffe Deo injuriofum afferebant, ut Deus omnes damnaverit, ufque ad Chrifti adventum. Repr. Quia vetus Teftamentum mentionem facit de pluribus viris juftis, qui fuerunt Deo grati, fed Deus non damnat homines juftos, & amicos fuos: *Juftorum enim anima in manu Dei funt*; ergo ante Chrifti adventum non omnes damnati fuerunt, fecùs dicendum foret in lege veteri nihil profeciffe juftitiam, & nihil obfuiffe peccatum perfonale, fi omnes æqualiter erant damnandi, non propter peccata propria, fed propter peccatum Protoparentum. Non omnes in lege veteri damnandos; fed juftos falutem confequuturos, fciebant ipfi Judæi, quando-

doquidem Machabæus misit offerri sacrificia pro peccatis mortuorum; ad quid hæc sacrificia, nisi sperasset justos salutem consecuturos? & David dicebat: *Credo videre bona Domini in terra viventium*.

16. Dona gratiæ, & fidei, & dignitates Ecclesiasticas, posse licitè pecunia comparari. R. verbo *Simon Magus.*

17. Beatos non posse videre Divinam essentiam. R. verbo *Arnaldus Brix*.

18. Beatos videre tantùm quamdam claritatem essentiæ, & per illam beatos constitui. R. Nam per claritatem essentiæ, vel intelligunt exprimere, quòd Beati videant aliquid Divinum, vel non. Si primum, cum non possint Beati in sententia Armenorum videre essentiam Divinam, neque videre poterunt claritatem Divinam; eadem enim est difficultas, tam in prima, quàm in secunda visione: si secundum, negatur quòd per objectum, quod immediatè non sit Divinum, possit homo beari, quia id, quod beat debet esse essentialiter beatum, sed nullum datur objectum essentialiter beatum præter Deum, ergo &c. Tum quia plura sunt loca Scripturæ, quæ adducuntur communiter à Theologis ad probandam visionem intuitivam, juxta illud: *Videbimus eum sicuti est*.

19. Pœnas Dœmonum esse temporales. R. Matt.25. vers.24., ubi ignis paratus Diabolo, & Angelis ejus, dicitur æternus. Tum quia, si pœnæ Dæmonum essent temporales, idem asserendum foret, & de pænis peccatorum, sed peccatores cruciantur pæna æterna, quia in inferno nulla est redemptio, ergo &c. Quamvis autem pœnæ Dæmonum sint æternæ, adhuc illos Deus punit citrà condignum, & verum est, quod ait de Deo Psalmista, quod: *Continet in ira sua misericordias suas*. Ratio autem ipsa suffragatur, quod justè peccatores, & Dæmones debeant subire pœnam æternam, quia in punitione delicti non solùm attenditur à Deo tempus quoquis perseverat in peccato, sed potissimùm quo perseverare vellet in peccato, si posset, sivè finalis impænitentia, quæ vocatur peccatum in Spiritum sanctum, nunquam remittendum, ut expressè asserit Evangelium juxtà communem Patrum expositionem super Luc.12.10. & 1.Jo.5.vers.16. vid.S.Thom.2.2.quæst.14. art.3. sed Dæmones, sicut & peccatores, voluntariè, & affectu semper perseverantes in peccato, ita ad viæ terminam pervenerunt, ut adhuc peccarent, si possent, & si morte, aut termino viæ non impedirentur, ergo merentur pœnam æternam.

20. Episcopum Rom. non esse totius Ecclesiæ Primatem. R. ex Matt.cap.16. vers.17. ex quo constat Christum dedisse claves Ecclesiæ Petro; & ex Joanne cap.21. vers.15., ex quo similiter constat Christum specialiter præcepisse Petro, ut pasceret oves. Nec auctoritas ligandi, solvendi, & pascendi potest pertinere ad totam Ecclesiam, ut perperam volunt hæretici. Cæterùm oves etiam essent pastores; tot Ecclesia haberet capita, quot fideles; reus se ipsum posset absolvere; quæ omnia patet, quàm sint incongrua, ergo etiam incongruum est dicere, quòd illa verba, quæ habentur Matth.16. vers.17. Joan.21. vers.15. dicta sint ad totam Ecclesiam, idest ad singulos, qui sunt de corpore Ecclesiæ. Insuper Petrum esse Primatem Ecclesiæ constat ex aliis Scripturæ locis, ubi D.Petrus semper primus Inter Apostolos numeratur. Divo Petro speciales revelationes factæ sunt à Deo, ubi agebatur de instituenda, & erudienda Ecclesia Gentium. Divus Petrus primus in Concilio Hierosolymitano, ubi prima vice congregata est Ecclesia locutus est, & præfuit Concilio, licèt Hierosolymis esset alius Episcopus, scilicet D. Jacobus. Petrus à SS. Ecclesiæ Doctoribus vocatur Princeps Apostolorum. D. Petri successores, semper in hujus Primatus possessione fuerunt: eosdem D. Petri successores, scilicet Romanos Pontifices, utpotè Ecclesiæ Primates venerati sunt Imperatores, & Reges. Imò ipsi Imperatores gentiles, scientes Romanum Episcopum esse Ecclesiæ Principem, in suis persecutionibus potissimùm statuerunt Romanos Ponti-

Pontifices ad prævaricationem inducere, vel morti tradere. Christus specialiter oravit pro Petro, ut non deficeret fides ejus. In causis gravioribus omnes Ecclesiæ Episcopi semper recursum habuerunt ad Romanum Episcopum, utpotè primarium Ecclesiæ Pastorem, quem inter omnes Ecclesiæ Episcopos primum prioritate jurisdictionis agnoscebant. Demum D. Petrus sua auctoritate congregavit Apostolos, ut ageretur de substituendo Apostolo pro Juda prævaricatore. Insuper universalem jurisdictionem datam esse à Christo Petro, specialem verò tantùm aliis Apostolis, apertè constat ex eo, quod Christus dixit S.Petro. Matt.16. vers.19. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*; Sed aliis Apostolis Matth.18. Christus solum dixit: *Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cælo, & quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in cælo*. Dixit ergo Christus D. Petro, *& in cælis*, Apostolis autem, *& in cælo*, ut hinc apertè discerent Episcopi, qui sunt Apostolorum successores, quòd habent solùm jurisdictionem in cælo, scilicet in sua Diœcesi, dependenter tamen à primo capite; Petrus autem haberet jurisdictionem in cælis, scilicet in omnibus Diœcesibus, & in omni Ecclesia, quæ jurisdictio, utique transire debet ad Petri successores; secùs enim dicendum foret, quòd solùm vivente Petro, Ecclesia fuisset benè ordinata, & habuisset suum caput visibile, & quòd post mortem D. Petri, non habuisset suum caput visibile, & consequenter nec amplius fuisset benè ordinata, quod asseri non potest. Tum quia si jurisdictio ab Apostolis transit ad alios Episcopos, quia sunt Apostolorum successores; ergo jurisdictio collata D. Petro debet transire ad alios Romanos Pontifices, eò quod sunt D. Petri successores; Pontifex enim, tanquam Ecclesiæ caput visibile, gubernat corpus Ecclesiæ visibilis, cujus primarium caput invisibile Christus est, sub quo, tanquam caput secundarium visibile, est Romanus Pontifex, qui jure ordinario regit totam Ecclesiam, & Ecclesiæ fundamentum; ideò Christus præcisè alloeutus est D.Petrum, cum dixit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Quòd autem facta sit contentio inter Apostolos: *Quis eorum videretur esse major?* non probat Apostolos esse æquales Petro in jurisdictione, nam talis contentio facta est antequam Petrus designaretur à Christo ejus Vicarius; post hæc enim Apostoli, semper agnoverunt D.Petrum, tanquam Ecclesiæ Primatem. Vide verbo *Joannes Jandunus.*

21. Nullum Sacramentum, etiam dignè suscipienti, asserebant conferre gratiam, licèt admitterent per Sacramenta deleri peccata, distinguebant enim inter hoc quòd est remittere peccata, & hoc quòd est conferre gratiam, quare volebant de facto remitti peccata, sinè infusione gratiæ. R. Et quidem quòd Sacramenta conferant gratiam patet ex ipsis Domini verbis, qui nonnisi renatum per Sacramentum Baptismi, posse hominem fieri cohæredem regni cælestis, asserit Jo: 3. S.Bernardus ser.5. de Circumc. hæc ait *In peccatis scilicet nascimur omnes, necesse habemus renasci in gratia, quam in Baptismate quidem recipimus*, ex quo apertè patet Sacramenta conferre gratiam, quod negant Armeni, qui ex suo met asserto reprobantur. Nam si concedunt quod per Sacramenta delentur peccata, debent admittere quod per Sacramenta infundatur gratia, cum non possint deleri peccata, nisi per infusionem gratiæ, quod probatur; nam Sacramenta non solùm faciunt reum formaliter absolutum, sed etiam Sanctum, & Filium Dei, juxtà illud D. Pauli ad Titum 3. *Secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti*. Quoniam autem hæc filiorum denominatio est realis, ut ex ipso textu constat, juvabit etiam uti ratione scholastica. Omnis denominatio realis provenit à forma reali; ergo dum Sacramenta delent peccata, denominant hominem absolutum, sanctum, & filium Dei, debent producere in ipso ho-

homine aliquam formam, à qua homo recipiat talem denominationem realem; hæc autem forma alia esse nequit, quàm gratia, quàm Sacramenta producunt; ergo de facto Sacramenta, non modò delent peccata, sed conferunt gratiam, quod ulteriùs probatur: Nam vel homo est amicus Dei, vel inimicus, quando est à peccatis absolutus, nec datur de facto status medius, sed si homo posset absolvi à peccato sinè infusione gratiæ, jam daretur status medius, quem nemo, quod hactenùs viderim, admisit; ergo probatum remanet quod si per Sacramenta delentur peccata, etiam per eadem fiat infusio gratiæ.

22. Baptisma collatum ab hæreticis non esse validum; hac ratione rebaptizabant eos, qui baptizati fuerant in Ecclesia Romana, quia dicebant veram Ecclesiam non esse Romanam, sed Armenam. R. circa primum verbo *Agrippiniani*, & *Anabaptistæ*, quod autem Ecclesia Armenorum non sit vera Ecclesia satis patet, quia vera Ecclesia est illa, à qua hæretici per suos errores variis temporibus sunt separati: illa eàdem semper manente. Tum quia Romanus Pontifex est successor D. Petri; dixit autem Christus Petro: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; ergo non potest esse vera Ecclesia illa, quæ non obedit Petri successori, cujusmodi est Ecclesia Armenorum.

23. Volebant Baptisma non posse alicui validè conferri, nisi simul & semel conferatur Eucharistia, etiam si baptizandus sit adhuc infans. Repr. quia nullum extat præceptum in facris paginis de conferenda Eucharistia simul cum Baptismo. Tum quia constat Jo: cap. 3. quod Christus, antequam institueret Eucharistiam, baptizabat. Tum quia, qui esset aliquo morbo impeditus, & morti proximus, ita ut non posset Eucharistiam recipere, si nondum esset baptizatus, non posset regenerari. Nec ex consuetudine, quæ aliquando fuit in aliqua particulari Ecclesia, conferendi simul utrumque Sacramentum, aliquid evincunt Armeni; consuetudines enim particulares non sunt leges universales, acceptæ à tota Ecclesia, ideò non sunt necessariò observandæ. Demum Concilium Trident. sess. 21. Can. 4. dicit anathema iis, qui volunt pueros non posse baptizari, nisi simul Eucharistiam recipiant.

24. Baptisma non posse validè conferri, nisi baptizatus simul, & semel Chrismate ungatur. R. Quia nullum hac de re extat in sacris paginis præceptum. Tum quia facilè est habere aquam, in quo casu nihil prohibet baptizari, sicut dixit Eunuchus Reginæ Candacis Philippo, sed difficilius est semper habere Chrisma, in quo casu, si Chrisma semper esset necessarium ad Baptisma, sæpè ob deficientiam Chrismatis non posset provideri plurimorum saluti, & de facto Philippus baptizavit Eunuchum, quando venerunt ad aquam, sed non adhibuit Chrisma. Tum quia quando Christus præcepit Apostolis ut irent in universum orbem baptizantes, non præcepit ut adhiberent Chrisma, & licèt nunc Chrisma adhibeatur à Sacerdote quando baptizat, non evincitur hanc unctionem esse de necessitate Baptismi: potest enim Ecclesia, salva Sacramentorum substantia, in illorum dispensatione statuere, vel mutare, prout magis expedire censuerit; sic colligitur ex Conc. Triden. sess. 21. cap. 2.

25. Esse hæreticos illos, qui conficerent Eucharistiam in pane azymo. R. Nam licèt etiam possit validè confici in pane fermentato, attamen non sunt dicendi hæretici, qui conficiunt in pane azymo, sicut fit in Ecclesia Latina, ut se conformet Christo, qui de facto consecravit in pane azymo, ut probabilior tenet sententia, quandoquidem certum est ex quatuor Evangelistis, Christum instituisse Sacramentum Eucharistiæ in prima die azymorum, quando prohibitum erat, manducare panem fermentatum. Nec valet opponere, quod legitur Joan. 13. *Ante diem festum Paschæ*, Evangelista enim dicendo Christum instituisse Eucharistiam ante diem festum Paschæ, insinuat solùm, quod ortus nondum erat sol diei Paschatis: cæterùm jam erat inceptus dies naturalis Paschatis, quia

quia dies naturalis incipit ab occasu solis diei antecedentis, & ab occasu solis ante diem festum Paschæ, incipiebat vigere præceptum de non manducando pane fermentato: ideò non potuit Christus adhibere hunc panem, quandoquidem hoc Sacramentum instituit post cœnam, immediatè antecedentem ortum solis diei Paschatis. Euangelista igitur dicendo *Ante diem festum* ostendit, quod nondum incœperat dies artificialis, quoniam dies artificialis incipit ab ortu solis, cæterùm jam incœperat dies naturalis observatus à Judæis, consequenter jam vigebat præceptum de non comedendo pane fermentato.

26. Vinum purum debere apponi in consecratione sanguinis. R. verbo *Aquarii*.

27. Matrimonii Sacramentum, licèt per se bonum, non esse tamen à Christo institutum, imò negabant esse Sacramentum. R. ex Apostolo ad Ephes. cap. 5. ex Conc. Trid. sess. 24. Can. 1. Tum quia per Sacramentum Matrimonii Deus largitur conjugatis gratiam, ut constat prima ad Tim. 2. sed quod confert gratiam ex opere operato est Sacramentum, & est à Christo institutum, ergo &c. Et hic notandum, copulam carnalem non esse de essentiali ratione contractus matrimonialis, sed essentialem rationem hujus contractus consistere in mutuo conjugum consensu, ex quo resolvitur difficultas Armenorum, qui in tantùm negant matrimonium esse Sacramentum, quia dicunt esse incongruum asserere, quod per copulam carnalem conferatur gratia, sed hoc non asserimus, quoniam essentiam hujus Sacramenti constituimus in mutuo consensu; & quando exhibetur mutuus consensus, tunc acquiritur gratia hujus Sacramenti, quamvis etiam copula conjugalis, debito modo, & in debitum finem ordinata sit meritoria.

28. Negabant matrimonium esse indissolubile. R. ex responsione data Marci 10. à Christo Pharisæis interrogantibus eum, an liceret viro dimittere uxorem: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*. Deinde Discipulis, hac de re etiam interrogantibus, respondet nullatenùs licere viro, ob quamcumque causam dimittere uxorem, & aliam ducere. Dixi, ob quamcumque causam, quia absolutè Christus nullam posuit limitationem, vel adulterii, vel mutui consensus, vel similium, sed dixit quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit; quod si aliqua de causa liceret uxorem dimittere, & aliam ducere, debuisset Christus specificare, dicendo non licet dimittere, & aliam ducere, excepta hac, vel illa causa, sed nulla prorsus adhibita limitatione, dixit Christus, non licere uxorem dimittere, & aliam ducere; ex quo satis constat Matrimonium esse indissolubile, sicut declarant plura Concilia, inter quæ Milevitanum sub Innocentio I., & novissimè Tridentinum sess. 24. Can. 7. Et certè si liceret dimittere ob adulterium uxorem, & aliam ducere, periculum esset ne uxores aliquando infamarentur à viris, ut possent aliam ducere. Insuper dixit Apostolus, quod *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit*; quod falsum esset, si aliqua de causa posset mulier alium virum ducere, vel è conversò. Nec valet dicere, quod mulier adultera occidit virum vitio adulterii, ideòque posse in tali casu virum aliam ducere; nam Apostolus non est locutus de vita civili, sed de vita corporea viri, quando dixit, quod *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit*; à quo solùm liberatur, quando vir mortuus fuerit. Insuper etiamsi conjuges liberè consenserint, non tamen possunt liberè à consensu retrocedere, ut volunt hæretici, quia hoc dato jam nulli consisterent perpetui contractus. Tum quia in consensu conjugum accedit voluntas Dei, qui conjuges liberè volentes indissolubiliter unit; ideòque ad solutionem contractus conjugalis, non modò oportet respicere ad voluntatem conjugum, sed etiam ad voluntatem Dei; qui prohibet expresè disjungi, quod ipse conjunxit; unde legitur Matt. 19. vers. 9. *Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi pro*

propter fornicationem &c. Hinc hæretici intelligunt deducere, quod ob fornicationem licet uxorem dimittere: sed estò quod propter fornicationem liceat viro uxorem dimittere, idest se separare ab uxore, quoad habitationem, non autem licet viro aliam ducere, ideòque semper remanet vinculum conjugale. Illa ergo particula *nisi* refertur ad dimissionem uxoris, non autem refertur ad id, quod sequitur in allato Textu, scilicèt, *& aliam duxerit mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur*; ex quo evincitur manere utrinque ligamen; & certè non posse virum ob adulterium dimittere uxorem, & aliam ducere, satis constat ex eo quod legitur Mat. cap. 5. ver. 32. *Qui dimissam duxerit, adulterat*. Utique enim patet, quod non adulteraret, qui dimissam duceret, si liceret dimittere unam, & aliam ducere; dicente autem Christo, quod homo non potest ducere dimissam; consequens est, quod dimissio tota se teneat quoad habitationem, non quoad vinculum.

XVIII. Armeni Moderni.

Præmittitur brevis Dissertatio pro clariori intelligentia errorum, quos nunc temporis Orientales Nationes, sive schismaticæ, sive hæreticali labe infectæ, profitentur.

Orientales nationes, primis Ecclesiæ temporibus, unam eandemque Catholicam Fidem, variis licèt ritibus, ministris, & linguis professas esse, testantur antiqua Orientalis Ecclesiæ monumenta, & unanimis tam veterum, quàm recentiorum Scriptorum consensus. Successu tamen temporis, ob humanarum rerum vicissitudinem, & inconstantiam, ineunte scilicet seculo tertio, ob exortas hæreses, & schismata, ab universalis Ecclesiæ corpore fuerunt divulsæ, ac in tot, & in tam varias sectas, usque ad quintum, & sextum seculum divisæ, ut ferè totus oriens hæreseo veneno fuerit pollutus. Verùm exeunte seculo sexto, cum Orientale Imperium, sævientibus Turcarum armis, fuerit penitùs expugnatum; ejus Populi in tantam vitæ necessitatem, æquo Dei judicio, ita fuerunt redacti, ut litterarum suorum prædecessorum, proinde etiam dogmatum obliti, in negotiis secularibus, ad vitæ nutrimentum erogandum, totum studium, ac operam ad hæc usque tempora potissimùm adhibuerint, atque impenderint. Hinc factum est, ut tanta sectarum, hæreticorumque multitudo, ac varietas, quibus oriens inficiebatur, in quatuor nationes duntaxàt coaluerit. Quatuor enim Christianorum Nationes, nunc temporis Orientalem plagam incolunt, *Nestoriani* videlicèt, *Monophysitæ*, *Melchitæ*, & *Maronitæ*, quarum tres primæ sunt hæreseos labe infectæ: quarta verò, quæ est Maronitarum, à recto fidei Catholicæ tramite nunquam defeivit. De erroribus Nestorianorum tam antiquis, quàm modernis, sicut etiam Græcorum agimus sub eorum nomine. Quoad Monophysitas spectat, sub nomine Monophysitarum, sub quo includuntur *Jacobitæ*, *Coptitæ*, *Armeni*, & *Ethyopes*: hæ porrò quatuor Nationes, licèt in erroribus primariis secum invicem conveniant, ritibus tamen, linguis, aliisque peculiaribus erroribus differunt. Jacobitæ enim sunt, qui incolunt Mesopotamiam, & aliquam partem Syriæ, citra Euphratem, & in sacris obeundis Syriaca utuntur lingua. Armeni incolunt Armeniam majorem, & minorem, & alibi sparsim: in sacris verò, & publicis officiis, peculiari utuntur Armena lingua. Ethyopes, seu Abissini Ethyopiæ sunt incolæ, & utuntur in sacris peragendis lingua, quam sacram, seu liberam vocant, Chaldaicam esse ajunt. Coptitæ demum, qui non ab Urbe *Copto*, ut nonnulli somniarunt originem, aut nomen trahunt, cum nullibi Urbs hæc reperiatur, sed unicè sic dicti, quia Ægyptum incolunt: idem enim sonat Arabicè *Coptus*, ac Latinè *Ægyptius*, ut clarissimè ostendit doctissimus Abbas Assemanni, in Dissertatione de Coptis: in sacris, & publicis Officiis utuntur lingua Ægyptiaca, in profanis verò, Arabica. His præmissis, quoad modernos errores orientalium spe-

spectat, hic iterum recolenda, quæ diximus, circa multiplicitatem errorum, in præfatione operis ad Lectorem, & etiam quæ verbo *Græci*, & supra verbo *Armeni* præmisimus, ad vindicandos orientales à multiplicitate errorum, qui à pluribus perperàm ipsis adscribuntur, quibus prælibatis, modernorum Armenorum errores subnectimus, quos nunc temporis esse sequentes, ex ipsis Armenis novit, mihique indicavit sæpè laudatus in hoc opere, & in hac materia peritissimus Episcopus Stephanus Evodius Assemanni.

1. Unam in Christo naturam admittunt. R. verbo *Monophysita*.

2. Ex duabus naturis, unam omninò naturam in Christo factam esse post unionem, hanc verò esse totam Divinam, eo quod Deus Verbum (ut ajunt) humanitatem assumptam, ita in Deitatis naturam transmutaverit, ut omnia attributa Divinitatis, verè de humanitate prædicentur; idque ne Divina Trinitas, per alterius naturæ accessionem, evadat quaternitas. R. verbo *Polemiani*: ex quo sequitur Trinitatem per alterius naturæ accessionem, non posse evadere quaternitatem. Vide verbo *Anastasius Dicors*.

3. Unam tantùm in Christo voluntatem, & generationem Divinam admittunt. R. verbo *Monothelitæ*.

4. Divinatatem in Christo natam esse, passam, & mortuam, quapropter in Trisagio *Sanctus Deus*, quo trium Personarum Divinitas collaudatur, superaddunt Theopascitam appendicem illam: *Qui crucifixus est pro nobis*; cumque Christi humanitatem impassibilem, & immortalem evasisse dicant; non erubuerunt passam, & mortuam ejus Divinitatem asserere. R. ex contradictione, quæ reperitur inter hanc, & secundam Armenorum propositionem. Item R. verbo *Theopaschitæ*, *Lutherus*, *Musculus*.

5. Christum non suscepisse in natura humana defectus pœnales, sed habuisse corpus cæleste, gloriosum, leve, subtile, spirituale, incorruptibile, fulgidum, forte, impassibile, & immortale, conceptum, natum modo quodam corruptibile, atque comedisse, & bibisse, non ex fame, siti, & necessitate naturali, sed ex placito voluntatis ipsius Christi, sicuti comèdit post resurrectionem. R. ex his, quæ diximus ad probandum Christum fuisse verum hominem, contra *Christi familiam*, *Albanenses*, *Anglum Innominatum*. Item contra *Aphtartodocitas*, probantes corpus Christi non fuisse impassibile, & contra *Gajanitas*, ostendentes non fuisse alienum à corruptione mortis.

6. Christus non suscepit in natura humana defectus animæ pœnales, atque adeò non verè timuit, non est verè tristatus, sed has animæ passiones, solùm per speciem in oculis hominum, ad nostram eruditionem sustinuit. R. Quia Christus licèt voluntariè sit passus, ut ostendimus contra *Corrupticolas*, tamen verè, & realiter est passus; ergo vere, & realiter est tristatus, & timuit: dixit enim *Tristis est anima mea*, & timens oravit: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*; ergo verè suscepit defectus animæ pœnales, suscepit enim veram animam ejusdem speciei, & conditionis, ac nostram, ut esset verus homo: & si liceret asserere quod solùm per speciem ad nostram eruditionem passiones animæ sustinuisset, à fortiori liceret asserere quod solùm per speciem passionibus corporis fuisset obnoxius, sed verè, & realiter sustinuit passiones animæ, nempè timoris, tristitiæ &c. & certè si, ut profitentur Armeni, Christus sustinuisset passiones animæ, solùm specie tenus ad nostram eruditionem, has passionum species debuisset sustinere in conspectu discipulorum, sed solus erat cum tristatus est, & timuit orans in horto: quod si solus, non poterant discipuli erudiri; ergo verè, & realiter sustinuit passiones, cæterùm non esset realiter, sed solum specie tenus noster Redemptor.

7. Asserunt Verbum assumpsisse, non solùm naturam humanam, sed etiam personam, & utramque conversam esse in naturam, & personam Divinam à Verbo.

bo. R. Ex implicantia intrinseca, quam habet omne creatum, ut possit divinizari. Vide quæ dicta sunt contra *Polemianos*, & *Arnaldum de Villanova*.

8. Omnes animas ab initio seculi fuisse creatas, & esse extra corpora asserunt. R. verbo *Origeniani*, *haretici de Barulo*, *Leontius Cozorenses*.

9. Animas rationales traduci ex parentum propagine sustinent. R. verbo *Tertullianus*.

10. Christum descendentem ad inferos, liberasse omnes animas, etiam malas. R. verbo *Adecerditæ*, *Joan. Tramonstr.*

11. Christum inferorum loca post ejus descensum destruxisse, & substituisse aeris regiones, ad animas peccatorum deinceps suscipiendas. R. Quia expresè legimus in Euangelio inferni ignem futurum æternum, peccatores in æternum ibi cruciandos; nihil autem de substitutione aeris, somniata ab Armenis, legimus.

12. Negant judicium particulare singularum animarum, statim post mortem. R. verbo *Græci*, *Millenarii*.

13. Rejiciunt visionem Dei intuitivam. R. verbo *Antropomorphitæ*, *Gregorius Pauli*, *Almaricus*, *Arnaldus Brix*.

14. Excludunt Purgatorium. R. verbo *Albanenses*.

15. Post legem Euangelicam, etiam observanda esse cæremonialia legis Mosaycæ. R. verbo *Cerinthus*.

16. Chrismatis Sacramentum volunt non perfici in obsignatione frontis, sed in consecratione Chrismatis, cujus ordinarium ministrum, dicunt esse Presbyterum. R. ex Conc. Trid. in tribus Canonibus de Sacramento Confirmationis contrarium dicente: ex antiqua Ecclesiæ traditione, & SS. Patrum consensu, quarum plura testimonia ad rem congerit Coccius. Vide verbo *Armacanus*.

17. Pœnitentiæ Sacramentum, non esse ab extrema Unctione distinctum. R. ex Conc. Trid. sess.7. Can.1. ubi numerans septem Ecclesiæ Sacramenta, Pœnitentiam ab extrema Unctione distinguit. Tum quia pœnitentia est simpliciter necessaria lapsis, non verò extrema Unctio. Tum quia cum extrema Unctio non detur, nisi in articulo mortis, sequeretur peccatorem nunquam posse remitti in gratia, nisi in mortis articulo: & peccatorem qui in mortis articulo, non haberet ministrum extremæ Unctionis, non posse salvari: ubi deficiente ministro pœnitentiæ, adhuc potest peccator, cum actu contritionis, & Sacramento in voto salvari: quia Christus simul, & semel providit media necessaria, & facilia ad salutem.

18. Funus supra defunctos, asserunt esse septimum Ecclesiæ Sacramentum. R. Nam licèt sepelire mortuos sit opus misericordiæ, nullibi tamen legimus Christum elevasse hoc opus ad rationem Sacramenti. Tum quia omne Sacramentum institutum est in materia, & forma, nulla autem specialis forma destinata est à Christo, adhibenda in sepultura mortuorum, in qua solùm pias preces, vel in toto, vel in parte adhibendas, colligimus ex Rituali Romano, & ex pia sepelientium devotione recitandas. Tum quia inter septem Sacramenta, de quibus Ecclesia in Conciliis, tam in Oriente, quàm in Occidente congregata, mentionem facit, nullatenùs sepulturam recenset. Tum quia omnia Sacramenta conferunt gratiam suscipienti, sepulturam suscipit mortuus, & exhibent vivi, sed mortui sunt incapaces gratiæ; ergo superfluum esset hoc Sacramentum, quod solùm possent suscipere mortui, sinè effectu gratiæ.

19. Chrismatis obsignationem esse ad Baptismatis essentiam necessariam.

20. Invocationem Trinitatis, non esse in forma Baptismi necessariam.

21. Baptismum, sive in re, sive in voto, non esse necessarium necessitate medii ad salutem; quapropter mori sinunt infantes sinè Baptismo, eo quod non possint solemniter baptizari.

22. In Baptismo trinæ immersionis, licitè posse ministrum, ter repetere totam formam; quinimò, ita faciendum in Rituali iniungunt.

23. Absente Sacerdote neminem, posse,

se, etiam in periculo mortis, ministrare Baptisma: quos errores ad Baptismum spectantes, alibi in hoc Opere reprobatos exhibemus.

24. Transubstantiationem munerum inchoari, ajunt, in oblatione Missæ, ac deinceps successivè, per reliqua Sacerdotis verba compleri. R. Nam Christus in ultima cœna verè consecravit, & nihilominùs Euangelistæ non innuunt aliquam præmisisse oblationis formam ad transubstantiationem necessariam, quod certè in re tam gravis momenti non prætermisissent; Oblatio enim quæ fit à Sacerdote in Missa, est pia deprecatio, quam ad excitandum Sacerdotis animum ad devotionem, instituit præmittendam antè consecrationem Ecclesia: Verba autem per quæ fit transubstantiatio munerum, à solo Institutore Sacramenti, scilicet Christo, possunt institui: Christus verò, qui erat impeccabilis, non potuit ad consecrationem præmittere oblationem, quam nunc præmittit Sacerdos, qui offert pro suorum, & adstantium expiatione peccatorum. Sed & in diversis liturgiis, diversis verbis, & expressionibus constat oblationem fieri à Sacerdote; quo posito, sequeretur diversas esse formas hujus Sacramenti, cum tamen una tantùm eadem, & invariabilis esse possit, & debeat forma, quæ adhiberi debet in confectione Sacramenti, & hæc esse debeat illa omninò, quæ à Christo fuit instituta, qui solus potestatem habet instituendi Sacramenta, & determinandi formam necessariam.

25. Formam hujus Sacramenti, non esse hæc Christi verba: *Hoc est corpus meum*, sed orationem Sacerdotis. R. ex his, quæ dicta sunt ad vigesimum quartum, supra reprobatum errorem.

26. Vino consecrando non licere omninò admiscere aquam. R. verbo *Aquarii*.

27. Parvulis, dementibus, & omnibus præbendam esse communionem sub utraque specie. Repr. verbo *Bohemi*. Parvulis autem & dementibus sub neutra specie prohibet Ecclesia exhiberi communionem, propter incongrua quæ sequerentur; hoc enim esset exponere tantum Sacramentum irreverentiæ, quam omninò præcavendam in administratione Sacramentorum, non est rationis compos, qui negare valeat. Quod si ipsas terrenorum Regum imagines cum respectu tractamus, quanto magis Regis Regum corpus, & sanguinem debemus cum veneratione, & timore tractare.

XVII. Arminiani dicti Remonstrantes à Jacobo Arminio, qui fuit Calvinianæ Theologiæ, in Academia Leydensi Professor, circa annum 1604. originem habuerunt. Multorum errorum à suis accusatur, eo quod germanam Calvini doctrinam, maximè in materia prædestinationis rejiceret, quam tuta conscientia sequi haud quaquam posse protestabatur; quid verò ipse circa prædestinationem senserit, apertè colligi non potest, quia suos errores scripto ipse non promulgavit, sed per Concionatores, quos ad hoc eligebat, propagavit. Cæterùm Arminius homo fuit confusæ mentis, quem ex suis erroribus, quos effutiebat, nunc Pelagianum, nunc Socinianum, nunc Arianum fuisse credideris. Arminiani præcipuè in Holandia, & Frisia vigent, quorum quinque Articulos, quos ab Arminio se accepisse profitentur, refert Nat. Alex. sect. 15. art. 1 a. §. 3. Porrò hi quinque articuli versantur circa materiam prædestinationis, circa Christi mortem, circa gratiam, & liberum arbitrium, circa virtutes, & circa perseverantiam. Variis thesibus, quas itidem refert loco cit. Natalis Alex. explicare conati sunt suos articulos per se satis obscuros. Viginti & una circa prædestinationem. Sex circa Christi mortem. Septem circa fidem, & virtutes, & iterùm septem circa perseverantiam, quas theses ex professo hic impugnare non expedit, cum ad hoc præstandum, penè integros tractatus Theologicos opus esset adducere: hoc unum est, theses illas contradicere sanæ Ecclesiæ doctrinæ, circa prædestinationem, Christi mortem, gratiam, liberum arbitrium, virtutes, & perseverantiam, de quibus omnibus contra Lutherum, & Calvinum acturi, ibi easdem theses Arminianas con-

sequenter, unà cum doctrina Lutheri, & Calvini reprobabimus. Demum non est reticendum, quod Arminiani, sivè Remonstrantes, habuerunt suos Antagonistas, qui Gummariani, & contraremonstrantes, appellantur, inter quos factum est implacabile bellum. Utriusque sectæ celebriores qui fuerint, videre est apud Nat. Alex., qui eorumdem nomina, & dignitates recenset. Obiit Arminius Lugduni-Batavorum Patria sua, anno 1609. ubi Theologiam Calvinianam publicè erat professus, Ecclesiæ Romanæ implacabilis hostis.

II. ARMONIUS fuit Bardezanes filius, eumdem cum Patre professus est errorem, ad quem tutandum plura scripsit lingua Syriaca.

XII. ARNALDUS Brixiensis. Hunc nebulonem Brixia genuit, Gallia nutrivit, Abbailardus edocuit. Clericatui cum se addixisset, suo Magistro in defendendis, & propagandis ejus erroribus pertinacior factus, incorrigibilis perseverans, ab Adriano Pontifice Urbis Præfecto traditus, vivus combustus est, ejusque cineres in Tyberim projecti. Impugnatorem habuit S. Bernardum, ejusque errores primò condemnati fuerunt in Concilio Senonensi. Plura de eodem congerit Spondanus ab anno 1139. usque ad annum 1155. De Arnaldo utpotè sectæ Politicorum primipilo, vide verbo *Politici*.

1. Dixit in Christo non fuisse spiritum timoris Domini. Repr. Spiritus timoris Domini est donum Spiritus Sancti, sed omnia dona Spiritus Sancti fuerunt in Christo, ergo etiam habuit spiritum timoris Domini, qui timor utique non est timor committendi peccatum, qui esse non poterat in Christo, utpote impeccabili, nec timor judicii cum ipse sit Judex, sed est timor filialis, timor includens aversionem à malo, quatenùs repugnante excellentiæ Divinæ. Hinc dictum de Christo per Isaiam: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit illum spiritus timoris Domini*.

2. Deum non esse omnipotentem. R. Eccles. cap. 1., & alibi sæpè legitur: *Deus omnipotens*. *Dixit Dominus omnipotens*. Tum quia, vel oportet negare Deum, vel admittere in Deo attributum omnipotentiæ; quia ratio Divinitatis importat infinitatem in omni genere perfectionis. Tum quia si Deus non esset omnipotens, deberet posse assignari aliquod producibile, ad quod se non extenderet Divina omnipotentia, quam prædicat Symbolum Nicænum, & Matth. cap. 19. ver. 26. legitur *Apud Deum omnia possibilia sunt*. Nec valet dicere, Deus non potest peccare, ergo non est omnipotens; nam hoc esset velle mensurare perfectiones in Deo ex imperfectionibus, quod est ridiculum. Tum quia facultas peccandi non est potentia, sed effectus potentiæ, ut asserit S. Aug. lib. 12. de Civ. Dei cap. 7. Neque juvat instare Deum facere omnia ex necessitate, quasi non possit aliter facere, quàm faciat; corruit enim hoc hæreticale fundamentum, ad negandam Divinam Omnipotentiam, quandoquidem scimus Deum aliter operari ad intra, aliter ad extra. Tum quia dato hæreticorum fundamento, superfluum esset Deum orare, ut in necessitatibus nostris nobis esset propitius; legimus autem psalmo 93. quod *Deus ultionum liberè egit, omnia quæcumque voluit fecit*.

3. Deum esse omninò invisibilem à Beatis. R. ex Davide dicente: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, ex Jo: cap. 3. *Videbimus eum sicuti est*; ad Cor. 1. cap. 13 Matth. cap. 5. Tum quia si Deus esset invisibilis potentia intellectiva non posset beari. Damnata fuit hæc hæresis, denegans Beatis visionem beatificam, in Conc. Tridi sess. 25. Auctoritates desumptæ ab hæreticis ex Scriptura, ad probandum Beatos non videre Deum, intelligendæ sunt de oculo corporeo, non autem intellectuali. Vide quæ dicta sunt contra *Almaricum*.

4. Fidem non esse puram credulitatem, sed discursum rationis, ita ut ubi deficeret discursus rationis, deficeret etiam fides. R. Si ea dumtaxat essent credenda, quæ mens nostra media ratione posset discernere, intelligere, & com-

pre-

prehendere, sequeretur quod homo placeret Deo non per fidem, sed per propriam ratiocinationem. Quid verò competat fidei, quid circa fidem rationi ratiocinanti, consule D. Thomam par. 1. quæst. 1. artic. 8. Dixit autem Apostolus, quod *Sinè fide impossibile est placere Deo*. Insuper sequeretur fidem se extendere juxtà capacitatem humanam, ita ut in uno perspicacioris intellectus esset amplior, in alio debilioris intelligentiæ, circa minora objecta contineretur. Una autem est fides, quæ quantùm est ex se, omnia credibilia omnibus indifferenter proponit credenda. Tum quia fides definitur ab Apostolo: *Argumentum non apparentium*. Nec valet objicere illud Ecclesiastici cap. 19. *Qui citò credit, levis est corde*; nam ibi sermo est de fide humana, non de fide in Deum, in cujus obsequium opus est mentem captivare, quare tenemur credere id, quod ad credendum proponit Ecclesia; & ubi dicit Apost. 1. ad Tess. cap. 1. *Omnia probate, quod bonum est tenete*; Intendit quidem exprimere, quod oportet investigare, an id, quod ad cre dendum proponitur sit verè ab Ecclesia propositum ut tale, non autem vult, quòd teneamur scrutari rationem de rebus, quas novimus de facto esse ab Ecclesia propositas, tanquam objectum fidei; undè celebre illud D. Augustini: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoneret auctoritas*.

5. Plenam esse potestatem in Patre, minorem in Filio, & nullam in Spiritu Sancto. R. verbo *Arius*, ubi Verbum Divinum verè esse Deum asseritur, & verbo *Ariani*, ubi Spiritum Sanctum esse consubstantialem Patri, & consequenter esse Deum ostendimus. Tum quia si Filius esset minor Patre, & Filio minor Spiritus Sanctus quoad potestatem, jam tres essent essentiæ, potestas enim, & essentia Dei, sunt idem, hoc non, ergo &c.

6. Christum non esse mortuum pro redemptione humana, sed tantùm ad ostendendam charitatem suam, & ad nostram eruditionem. R. ex Scriptura, ubi Christus verè mundi Salvator asseritur Isaiæ cap. 53. Jo. 4. vers. 42. ad Heb. c. 10. vers. 19. Item in Symbolo Nicæno legitur: *Propter nostram salutem descendit de cælis*. Tum quia si Christus non redemit hominem, ergo homo est adhuc filius iræ, & sic desperata erit omnium salus. Tum quia ille verè ostendit charitatem, qui animam suam ponit pro amicis suis, ergo si Christus mortuus est ut ostenderet charitatem, posuit animam suam pro nobis, ergo verè est noster Salvator.

7. Unumquemque sibi posse constituere doctrinam ad placitum, declinando ab illa Sanctorum Patrum. R. ex Sacra Scriptura, quæ SS. Patres, tanquam Spiritus Sancti organum nobis proponit Luc. 10. *Qui vos audit, me audit*; item epist. 2. Petri cap. 1. 20. Eorumdem auctoritas commendatur ad Eph. 4. Tum quia propositiones, in quibus asserendis conveniunt Sancti Patres, sunt de fide, ergo non licet declinare à doctrina SS. Patrum. Quod si liceret unicuique novam sibi constituere doctrinam; ergo neque standum esset Evangelio, nam SS. PP. nova dogmata non proponunt, sed simpliciter aperiunt nobis sensum Scripturarum. Tum quia Conc. Trid. sess. 4. expressè prohibet, ne quis contra unanimem SS. PP. consensum sentire audeat.

8. Pelagium rectè docuisse circa peccatum originale, & circa gratiam, & Nestorium rectè docuisse de Christo. R. verbo *Pelagius*, & *Nestorius*.

9. Deum non esse auctorem omnium bonorum. R. ab Ecclesia, quæ canit: *Deus à quo bona cuncta procedunt*. Tum quia identidem in sacris paginis: Deus bonorum omnium auctor commendatur. Tum quia si esset aliquod bonum, quod non esset à Deo, Deus non esset infinitè bonus, & jam non esset Deus. Tum quia potentia creativa competit soli Deo, creare enim dicit facere ex nihilo. Solus autem Deus ex nihilo fecit cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt. Vide verbo *Albigenses*.

10. Alia inveniri æterna præter Deum. R. Quia quod est æternum est à se, quod est à se est Deus, ergo si invenirentur

tur alia æterna, præter Deum, darentur alii Dii.

11. Deum esse compositum. R. Quia omnis compositio dicit imperfectionem in Deo. Tum quia omnis compositio est distinctorum unio, sed nulla unio potest in Deo admitti. Primò exclusa est à Deo compositio ex materia, & forma, quia hæc supponunt aliquam causam efficientem, quæ partes disjunctas uniat, sed Deus est prima causa, ergo &c. Neque potest in Deo admitti compositio ex subjecto, & accidente, quia subjectum susceptivum accidentium est mutationi obnoxium. Neque potest dari in Deo compositio ex genere, & differentia, quia ubi est actus, & potentia, unum præsupponitur ad aliud, prioritate saltem naturæ, quæ implicat in Divinis. Vide S. Thomam 1.par. tota quæst.3.

12. Angelos habere potestatem creandi. R. Quia creatio est productio rei ex nihilo sui, & subjecti, sed talis potestas competit soli Deo. Tum quia, qui potest creare, non debet creari, sed Angeli creati sunt. Tum quia Angeli hanc potestatem vel habent à se, vel à Deo. Non primum, quia omnis potestas à Deo est, neque secundum, quia nullibi legitur in sacris paginis Deum dedisse hanc potestatem Angelis; imò nulli creaturæ potest à Deo conferri hæc potestas, ut probant Philosophi.

13. Motivum principale decernendæ Incarnationis, non fuisse redemptionem generis humani, quæ propositio, qua ratione intelligenda sit, videlicet de adventu in carne passibili, vel impassibili, Scholasticis disputanda relinquitur. R. Luc.19. *Venit Filius hominis salvum facere, quod perierat*. Jo: 10. *Ego veni ut vitam habeant*. Ad Galatas 4. *Misit Deus Filium suum, ut eos qui sub lege erant, redimeret*; item Joan. 4. Matt. 20. constat motivum principale Incarnationis, fuisse redemptionem nostram, in qua summè enitet charitas, & manifestatur Dei gloria.

14. Christum venisse in mundum tantùm ad nostram instructionem, non verò ad satisfaciendum pro peccatis nostris. R. ex Scriptura, quæ pluribi asserit Christi satisfactionem, non modò fuisse sufficientem pro expiandis omnibus peccatis universi generis humani, sed superabundantem ad Rom. 5. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per unius obedientiam justi constituentur multi*; ubi autem abundavit delictum, superabundavit, & gratia. Luc.9. Elias, & Moyses loquebantur cum Christo de sua passione, & dicebant excessum ejus, quem completurus erant in Hierusalem; idest declarabant, quod Christi passio debebat excedere in ratione satisfactionis. Quòd autem Christi satisfactio processerit ex rigore justitiæ, etiam probat S. Bernardus tractatu de erroribus Abailardi, ad quem Lector remittitur.

XIV. Arnaldus Montanerii hunc genuit Catalaunia, fuit ex Oppido Podii Caritani, tempore Gregorii IX. prædicabat certa figmenta de Ordine Sancti Francisci, cujus erat professus. Condemnatus fuit ab Eymerico Inquisitore tanquam hæreticus: ex Nat. Alex.

1. Dixit Sanctum Franciscum semel quotannis descendere in Purgatorium, & liberare omnes fratres sui Ordinis.

2. Nullum posse damnari, qui deferat habitum S. Francisci. Repr. Quia hæc promissio nullibi legitur. Tum quia si ita esset, & ad salutem sufficeret deferre habitum S. Francisci, ferè omnes, ut impunes peccata facerent, hunc Ordinem profiterentur, ex quo patet quod non esset status ad perfectionem, qualis esse debet omnis institutio regularis, sed potiùs sentina vitiorum; cum tamen hic Ordo à sui institutione usque ad hæc tempora, magna sanctitate floruerit, bono publico, & Ecclesiæ utilitati. Tum quia si deferens habitum S. Francisci non posset damnari, jam esset certus de sua salute, contra illud Scripturæ. *Nemo scit an odio, vel amore sit dignus*.

XIV. Arnaldus de Villanova Parisiis studiis operam dedit, Italiam, & Hispaniam percurrens, scientiarum acquisitionis æmulator, Græcam, Hebraicam, & Arabam linguam didicit, præter Hif-

Hispanam, Gallicam, & Latinam. Astrologiæ captus desiderio, & futurorum investigationi inhærens, quæ soli Dei scientiæ reservantur, in hæreses incidit. Natione Catalaunus in vico de Villanova, a quo & nomen duxit, ortum habuit; professione autem medicus fuit; contra ejus errores facta Parisiis perquisitione, Gallia discessit, & Siciliam apulit. Apud Fridericum Aragonensem Siciliæ Regem, à quo & humanissimè acceptus, refugium inveniens, & honoribus cumulatus, ejusdem Regis Orator ad Clementem destinatur, tunc Avenione sedentem; ut legationem impleret, per mare iter arripiens, orta tempestate, in Januensi Pelago circa initium sæculi 14. miserè fecit naufragium. Ipsius errores à Theologis Universitatis Parisiensis primò fuerunt reprobati, deindè à Fratre Zongherio contra hæreticam pravitatem Inquisitore, demùm anno 1317. ab Ecclesia proscripti.

1. Dixit naturam humanam à Verbo assumptam esse æqualem Deo in omnibus suis bonis, & tantùm posse, quantùm possit ipsemet Deus. R. Quia creatura nunquam potest æquari Creatori, sed natura humana à Verbo assumpta fuit creata. Tum quia Christus se commendavit Patri, & adhuc in Cælo interpellat pro nobis; sed si natura humana esset æqualis Deo, & tantùm posset quantùm ipsemet Deus, frustrà erat se commendare Deo Patri. Tum quia natura humana à Verbo assumpta est ejusdem omninò speciei, ac natura cujuscumque hominis; nec per hoc quod fuit à Verbo assumpta mutavit speciem. Estò quod ratione unionis hypostaticæ fuerit dignificata super omnes alias naturas humanas, non tamen fuit Deificata, ergo tantum posse quantùm possit ipse Deus falsum est; Tum quia quidquid est æquale Deo est Deus, sed non potest dici quod natura humana à Verbo assumpta sit Deus, ergo &c.

2. Dixit quod Diabolus fecit apostatare à fide omnes Christianos, & consequenter omnes esse damnandos. R. ex alio ejusdem errore, in quo asseruit neminem damnari, nisi per peccatum publicum, & scandalosum, nam hoc supposito sequitur, per apostasiam à fide, quæ potest esse vera apostasia, licèt occulta, non omnes Christianos esse damnandos. Sed hoc dicto ad ostendendum simpliciter Arnaldum in suis erroribus sibi contradixisse, ut hinc appareat ejus assertionis insufficientia, iterum reprobatur quoad primam partem, quia scriptum est, quod portæ inferi non prævalebunt adversùs Ecclesiam. Tum quia Diabolus non habet hanc potestatem inducendi omnes Christianos in apostasiam; scimus enim quod latrare potest, mordere non potest, nisi volentem. Tum quia de facto plures sunt, qui vivunt secundùm fidei præcepta, & credunt, & ita credunt ut parati sint mori, uti fuerunt Martyres, sed illi qui moriuntur pro defensione fidei, non possunt esse apostatæ à fide. R. quoad secundum, ubi asserebat Deum neminem damnare nisi ratione scandali, *Nam qui non credit in Deum, jam judicatus est*, & tamen hic, qui non credit, si sit hæreticus occultus, nemini est scandalo. Tum quia in extremo Judicio manifestantur peccata occulta, & puniuntur. Tum quia sequeretur Deum dare ansam omnibus peccatis, quæ occultè, & sine scandalo fieri possent: demum Christus dixit; *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*; sed potest quis plura mandata trasgredi sinè scandalo, ergo &c.

3. In inferno puniri tantùm peccata publica. R. Deus nedum publica, sed etiam occulta prohibet peccata, ut constat ex aliquibus Decalogi præceptis. Tum quia in die Judicii, peccato etiam occulta esse punienda, constat ex verbis Sophoniæ cap. 1. vers. 12. *Scrutabor Hierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fæcibus suis: qui dicunt in cordibus suis: Non faciet benè Dominus, & non faciet malè*; Propheta Regius orabat: *Ab occultis meis munda me Domine*. Tum quia Deus condemnat hypocritas, in quibus peccata sunt occulta. Tum quia cum peccata occulta verè

verè fint peccata, peccatum enim eft dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei, & omnia peccata à Deo puniantur; ergo etiam occulta, quæ coinquinant animam, quia nihil coinquinatum intrabit in Regnum cælorum. Demum odium, invidia, & fimiles interni actus, à Deo prohibentur fub pœna gehennæ, ergo &c.

4. Religiofos omnes effe charitate deftitutos, & in æternum damnandos. R. Quia ftatus Religiofus eft ftatus perfectior, in quo non modò faciliùs obfervantur Chrifti præcepta, fed etiam confilia, ergo &c.

5. Studium philofophiæ procul à Chriftianis effe abdicandum. Repr. Studium philofophiæ per fe honeftum eft, & juvat ad intelligentiam Theologiæ. Huic ftudio plures Sancti etiam fe addixerunt, maximè Ecclefiæ Doctores, quorum fcripta ab Ecclefia commendantur, ergo &c.

6. Revelationem factam Cyrillo, cunctis Scripturis facris effe pretiofiorem. R. Scriptura Sacra eft verbum Dei, fed revelationes factæ Cyrillo non habentur pro verbo Dei; licèt Ecclefia commendet revelationes factas Sanctis, non tamen fcientia, quæ habetur per revelationem, æquiparanda eft cum verbo Dei, quod eft infallibile: in revelationibus autem poteft contingere deceptio, fæpè enim Angelus Satanæ fe transformat in Angelum lucis. Et fæpè mens ipfa phantafmatibus obumbrata decipit meditantem.

7. Opera mifericordiæ effe Deo gratiora facrificio Altaris; ideò reprobabat fundationes Cappellarum, & Miffarum pro defunctis, quæ opera, dicebat, non effe opera charitatis, & ad vitam æternam promerendam utilia effe negabat, imò dicebat eum damnari, qui fundat Miffas, potiùs quam fubveniat pauperibus. R. Altaris facrificium eft opus mifericordiæ fummè excellens, maximè quando offertur pro animabus Purgatorii; & in facrificio, quod Chriftus fecit in Altari Crucis, fummè enituit ejus mifericordia, ergo hæc etiam enitet in facrificio Altaris, quod fit in memoriam paffionis Chrifti, ipfo præcipiente, qui dixit: *Hæc quotiefcumque feceritis in mei memoriam facietis*. Fundationes Miffarum funt Deo acceptæ, promulgant enim venerationem erga SS. Sacramentum; facrificio Altaris fuffragantur defuncti, & major charitas eft orare pro defunctis, qui omni alio fubfidio funt deftituti, quàm fubvenire viventibus pauperibus, qui fi ibi fubfidium non inveniunt, alibi fubveniuntur. Non nego effe opus mifericordiæ valde Deo acceptum fubvenire pauperibus, fed erroneum eft dicere damnari eum, qui potiùs elargitur eleemofynam pro facrificio, quàm offerat opem pauperi: Cæterùm defuncti non poffent fubveniri medio facrificio incruento, quod eft majus fubfidium, quo defuncti à pœnis fublevantur.

8. Paffionem Chrifti magis reprefentari eleemofynis, quàm Altaris facrificio R. facrificium Altaris exprefsè eft à Chrifto inftitutum in memoriam fuæ paffionis; & ipfemet dixit: *Hæc quotiefcumque feceritis in mei memoriam facietis*, de eleemofyna autem nullibi conftat à Chrifto dictum, effe reprefentativam fuæ paffionis.

9. Non opere, fed oretenùs in facrificio Miffæ Deum laudari. R. Sacrificium Miffæ propriè dicitur facra actio, & eft opus facrum, in quo fit tranfubftantiatio, ergo falfum eft quod non opere, fed oretenùs in facrificio Miffæ Deus laudetur.

10. In Pontificiis Conftitutionibus folùm effe fcientiam operum humanorum. R. Pontifices in fuis Diplomatibus, concernentibus doctrinam fidei, & morum, habent fpecialem Spiritus Sancti affiftentiam, & illa ordinantur ad bonum fpirituale animarum, & ad bonum regimen Ecclefiæ, ergo &c.

11. Mundum anno 1335. defiturum afferuit.

XVII. Arnaudus Antonius. Tempore Innocentii X. fuit celebris Janfenifta, in libro fuppreffo nomine, ab ipfo edito, & infcripto *De magnitudine Eccle-fiæ*

siæ Romanæ , & SS. Petri , & Pauli supremo Pontificatu , ostendere nititur nullam fuisse subordinationem inter Petrum , & Paulum , sed omninò fuisse in potestate æquales . Condemnatus fuit cum suis erroribus , ab Alexandro VII. & ab Universitate Sorbonensi , quæ neminem post hac consuevit admittere, qui unà cum doctrina Arnaudi , Arnaudum ipsum non condemnaret . R. ex his quæ dicta sunt contra vigesimum Armenorum errorem . Tum quia auctoritate Petri constat congregatum fuisse Concilium Hierosolymis : non verò auctoritate D. Pauli . Tum quia Paulus non fuit inter Apostolos computatus Christo vivente , & post primam persecutionem factam Ecclesiæ à Judæis , Apostolatus dignitatem obtinuit; ergo antequàm D.Paulus esset Christianus , jam D.Petrus regebat Ecclesiam ; ergo &c. Tum quia si D.Paulus , qui Apostolatum obtinuit mortuo Christo , pluribus post annis , Petro esset æqualis in dignitate , hoc fortè esset ratione Apostolatus , ergo propter eamdem rationem , dicendum esset omnes Apostolos fuisse cum D. Petro in potestate æquales , quod asserere est contra Scripturam , traditionem , Concilia . Patres , & Thologos . Constat enim omnes Apostolos honorem detulisse D.Petro tanquam Ecclesiæ Principi ; Tum quia cum inter omnia regimina Monarchicum sit optimum , & sub optimo regimine Christum Ecclesiam suam constituisse , dicere par sit , venit de consequenti , quod unicus tantùm possit esse Ecclesiæ Princeps . Nec valet dicere cum Arnaudo , ad probandam æqualitatem jurisdictionis inter Petrum , & Paulum , quod in Bullis Pontificiis , Pauli effigies collocatur in dextra , vel quod Paulus , aliquando à SS. Patribus vocatus etiam fuit Romæ Episcopus, & quod uniformibus encomiis celebratur cum D. Petro , ut colligi videtur ex Sancto Epiphanio hæresi 27. S. Leone serm. 1. de SS. Apostolis , Adriano I. epist. 89. & aliquibus aliis . Nam præterquamquod primum argumentum nimis probat , ut consideranti patet ; evincit enim Paulum esse superiorem Petro ; adhuc nihil evincere facilè dignoscet , qui in antiquis ritibus versatus , perspectum habet apud Græcos latus sinistrum tamquam dignius haberi , quod imitati sunt deinde aliqui pictores latini ; hinc est quod Paulus à dextris Petri collocari consuevit : de qua quæstione consule Franciscum de Mendoza in suo Viridario , qui de hac materia expresiè disserit : consule etiam Musantium in sua Face Cronologica . Ad aliud argumentum , constat ex citatis SS. Patribus , & aliis qui adduci possent , Paulum dictum esse Romæ Episcopum , non in rigore , sed quia Petro adjutor fuit in fundatione Romanæ Ecclesiæ , ut clariùs dictorum Patrum scripta seriò legenti patebit : iidem enim SS. PP. alibi sæpè solum S. Petrum fuisse universalis Ecclesiæ Principem , & Romanum Episcopum protestantur .

V. Arnobius dictus junior , fuit Pelagianus , & plura scripsit pro defensione hæresis Pelagianæ , cujus scripta Gelasius Papa in Romana Synodo censorio stygmate confixit .

X. Arnulphus ex Regia stirpe , in Aurelianensi Episcopatu per vim intrusus , Romanæ Ecclesiæ , sive potestatis Pontificiæ infensissimus hostis , probra contrà Pontificem hæretico stylo disseminare conatus est . In Concilio Gallicano postmodùm ab ipsis Pontificibus damnatus . De quo plura vide apud Baronium .

1. Dixit Romanum Pontificem novam Constitutionem edere non posse . R. Exemplo Concilii Antiocheni , præside D. Petro , Antiochiæ celebrati anno 57. in quo editi sunt diversi Canones , in Origenis bibliotheca posteà reperti à Pamphilo Martyre , sicut referunt Baronius , Brixius , & Turrianus , in libro adversus Magdeburgenses edito, pro defensione Canonum , Decretaliumque Pontificum . Tum quia omnis Princeps in sua ditione habet auctoritatem promulgandi leges pro bono regimine , ergo &c. Tum quia si Pontifices non possunt Constitutiones promulgare , neque

que possunt Ecclesiam regere, abusus corrigere, Ecclesiasticam disciplinam promovere, quæ omnia per Constitutiones suas facere consueverunt, utique necessariò promulgandas, cum opportunum arbitrantur; maximè cum decursu temporis semper aliqua de novo emergant, quibus opus est providere. Hanc auctoritatem habent necessariò à Christo Pontifices, sinè qua non possent pascere gregem, ut consideranti patet. Tum quia Deus jubet nos parère præceptis superiorum Potestatum, quod superfluum esset, si Pontifex, qui inter superiores Potestates primus est, non posset per suas Constitutiones præcipere, & leges condere, quibus tamen nos obedire inculcat Dominus, dicens per D.Paulum Apostolum: *Obedite Superioribus vestris etiam discolis*, ex quibus verbis, argumento deducto à fortiori, patet insubsistentia sequentis asserti, quo sustinuit.

2. Leges à Pontifice latas, nullius esse roboris, si ille moribus, scientiaque non fulgeat. R. facilè si hic conferantur quæ dicta sunt verbo *Albigenses*, de Pontificibus, & Sacerdotibus, quantùm spectat ad mores; unde etiam corruit aliud ejus figmentum, scilicet

3. Pontificem charitate destitutum, & scientia inflatum esse Antichristum; si verò Pontifex sit absque scientia, dicebat, est tanquam statua, & idolum. R. Scientia, licèt sit decus in Pontifice, attamen potior scientia, qua Pontifex regit Ecclesiam, est specialis assistentia, quam habet Spiritus sancti, ubi agitur de regimine Ecclesiæ, quam Spiritus sanctus nunquam subtrahit à Summis Pontificibus quorum aliqui licèt fuerint discoli, licèt superbi, licèt avari, ambitiosi, attamen ubi actum est de Religione, semper experientia constat, præstitisse quæ erant ad meliùs esse Ecclesiæ, ex quo evincitur continuata Spiritus sancti assistentia supremis Pontificibus, pro bono regimine Ecclesiæ; & hinc optimè probatur charitatis deficientiam, vel superbiæ abundantiam, nihil officere dignitati Pontificiæ, in se præcisè spectatæ; Pontifex enim qua talis, seu quatenùs Christi Vicarius, *Unctus Domini*, *Sacerdos magnus*, considerandus est, cui in rebus Ecclesiæ gerendis, specialiter Spiritus sanctus assistit: nec deficit etiam ipsi humani studii scientia, ratione plurium virorum, qui pietate, & scientia prædití, regnanti Pontifici assistunt in regimine Ecclesiæ.

4. Potiùs aliorum Episcoporum judicium subeundum, quàm illius Urbis, quæ venalis est, & ad nummorum quantitatem judicia trutinat. R. Nam Ecclesia non requirit aurum, aut argentum in agendis, quæ ad regimen spirituale spectant: quod autem exigit à fidelibus, qui propter dispensationes ad Ecclesiam recurrunt, perspicuum est hoc totum insumere in operibus piis, & in subsidium Ecclesiarum, & pro sustentatione fidei; quis enim enumerare valeat, quot mille argentea, quotannis insumuntur à Camera Apostolica, pro alendis pauperibus Romæ, & alibi degentibus, qui ex toto Orbe Christiano Romam adveniunt? Quis numeret expensas, quæ itidem fiunt pro subveniendo Imperatore, quando agitur bellum contra Turcas, vel pro propaganda Fide? Porrò istæ sunt venalitates Ecclesiæ Romanæ. Estò quod aliqui ministri sint aliquando in Curia, qui venales appareant, certè sunt Pontifici occulti, & quotiescumque contigit eos revelari, dignas pœnas subeunt. Frustrà ergo ex venalitate, quærebat Arnulphus transferre in alios Episcopos dominium appellationum, quod soli Romanæ Ecclesiæ competere, hinc satis constat, quòd ab initio Ecclesiæ usque ad hæc tempora, solùm ad Sedem Petri habuerunt Christifideles in causis suis ultimum refugium. Tum quia judicium aliorum Episcoporum subest judicio Pontificis; ergo falsum est potiùs apud alios Episcopos, quàm apud Romanum, quærendum esse judicium. Tum quia alii Episcopi, extrà suam diœcesim, nullum jus habent judicandi. Tum quia debet dari judicium à quo nulla ampliùs sit appellatio, quod solùm est apud Romanum Pontificem, apud quem residet tota, summa, & infal-

fallibilis auctoritas cathedræ S. Petri extrà, & supra Concilia qualibet, atque in totam Ecclesiam. Videatur hac de re Cardinalis de Aguirre in opere inscripto: *Defensio Cathedræ S. Petri adversus declarationem Cleri Gallicani*, ubi ex monumento antiquitatis Christianæ, & perenni doctrina, ac praxi Sedis Apostolicæ, per singula secula, multiplici eruditione auctoritatem Summorum Pontificum, extra, & supra Concilia qualibet, infallibilem, & summam esse demonstrat: ex quo sequitur posse Pontificem in materia morum, & fidei ex se solo absque Concilio, diffinitivam promulgare sententiam, cum nulli possit esse errori obnoxius, quandocumque loquitur ut Christi Vicarius, & Petri successor; licèt qua Doctor particularis possit errori subesse; nihil enim plus evincunt argumenta, quæ possunt in contrarium adduci, quæ solvit Franciscus Leytam in libro cui titulus: *Synopsis de Ecclesia militante*, *discept.6. sect.*2.

XVI. Arrhabonarii illi sunt, qui circa Eucharistiam novum dogma proposuerunt in Polonia, & Transilvania anno 1543. à Stancaro potissimè propagatum. Lutheri soboles pariter fuerunt: Ex Staphilo.

Dicebant Eucharistiam dari credentibus tanquam Arrhabonem corporis, & veluti investituram donati prædii. R. Eucharistia continet realiter Corpus Christi, ut probabitur expressè contra Sacramentarios, ergo non potest se habere tanquam investitura. Tum quia adeò disparata est ratio investituræ à ratione Sacramenti Eucharistici, ut satis hinc appareat, quàm insipienter de hoc Sacramento senserint Arrhabonarii.

XIV. Arragonenses. Populi de quibus mentionem facit Nicolaus Eymericus par.2. quæst.10. Dicebant sinè peccato posse Dæmones adorari latria. R. Exodi 20. verf.3. *Non habebis Deos alienos coram me*; Et certè cum soli Deo debeatur cultus latriæ, Angelos, tamquam Deos credere par est, qui cultu latriæ eosdem adorat; sed quomodo Dii, qui sunt Dei ministri, qui nec audent respicere in faciem Domini? Cultum latriæ soli Deo debitum esse, constat ex definitionibus Ecclesiasticis. Vide verbo *Dæmonicolæ*.

III. Artemon fuit Theodoti Bizantini coetaneus, tempore Zephirini Papæ; ejusdemque Theodoti impietati adhæsit, quam refellit Anonimus apud Eusebium lib.5. histor. Eccles. cap.27. Vide S. Epiph. hæres.54.

1. Dixit Christum esse purum hominem; addens insuper, quod hoc ipsum Apostoli prædicaverunt. Artemonis sequaces asseverabant, hoc esse dogma traditione firmatum, sed à Zephirino Papa interruptum. R. Constat Ecclesiam semper docuisse Christum fuisse verum Deum, & hominem, ideò Zephirinus, qui cæpit regnare anno 203. ab Ecclesia ejecit Theodotum Bizantinum, ab arte sua dictum etiam Coriarium, quia docebat Christum esse purum hominem; Deinde penè in omnibus Conciliis Ecclesia confitetur Christum esse verum Deum, & hominem; & certè non modo Humanitas, sed etiam Divinitas Christi, ex ipso Symbolo Apostolorum tam apertè innotescit, ut apertè convincatur Artemon, dicens Apostolos docuisse Christum Jesum fuisse purum hominem. Insuper ex ipsis Apostolorum epistolis, ubi frequenter Christus Dei Filius nuncupatur, de quo audierunt Discipuli, voce de cælo delapsa: *Hic est Filius meus dilectus*, satis patet Artemonis assertum fuisse impium figmentum, & una cum discipulis suis ignorasse Scripturas, quæ adeò manifestè eos convincunt mendacii. Tum quia si Christus fuisset purus homo, non potuisset esse mediator, ergo &c. Vide *Ariani*, *Cerinthus*.

II. Artothyritæ. Dicti sunt etiam Panicasiastæ, vel Pepuziani: circa annum 182., patria Galatæ, prodierunt ex secta Montani, cujus profitebantur errores, quibus sequentem addiderunt.

1. Dixerunt materiam consecrationis Corporis Christi esse panem, & caseum. R. Christus instituit hoc Sacramentum in pane, ut patet ex Matth. 26. sed in hoc standum est Christi institutioni, quæ invariabilis est. Deinde solum

panem triticeum esse materiam Corporis Christi, affirmant Concil. Apost. Can. 3. Carthaginense sub Siricio Papa; neque potest ratio afferri, quare Christus potiùs in pane triticeo, quàm in alia materia comestibili, voluerit instituere hoc Sacramentum; multæ tamen hac de re sunt congruentiæ, quia cum Corpus Christi verè sit cibus, quo anima reficitur, voluit instituere Sacramentum Corporis sui in pane triticeo, qui verus est cibus communis. Insuper panem omnes manducant: quod si in alio cibo instituisset, fuissent plures, qui præ nausea naturali ad alios cibos, non potuissent sumere hoc Sacramentum, & spiritualiter refici; quod autem institutum est pro omnibus, debet ab omnibus, posse sumi. Nec valet dicere, quòd primi homines offerebant de fructibus terræ, & ovium; ideò etiam in caseo offerendum hoc Sacramentum, oblatio enim primorum hominum, non erat Sacramentum: estò quod aliqualiter esset figura hujus Sacramenti, maximè oblatio facta à Melchisedech. Tum quia si teneret ratio Pepuzianorum, deberet potiùs offerri in simplici lacte, vel in lacte quomodocumque coagulato, non autem determinatè in caseo.

III. Ascitæ iidem sunt, ac Ascodrogitæ, dicti etiam Acodrobitæ, qui bacchanalia in Ecclesia invexerunt; spectant ad Montani sectam, cujus spiritu se plenos dicebant. Montanum enim tanquam paraclytum venerabantur. Dicti sunt autem Ascitæ, ut notat D. Augustinus hæresi 62. quia utrum inflatum ponebant in Ecclesia, illumque circumibant insanientes potibus, & bacchantes, velut pagani, aut potiùs insani, sicut notat etiam Philastrius hæres. 28. Translato itaque nomine de græco in latinum Ascitæ, quasi utres dicuntur, & se tanquam Euangelicos novos, nova doctrina eruditos jactabant.

III. Asclepiadotæi fuerunt circa principium seculi tertii, sic dicti ab Asclepiadoto, Theodoti Bizantini discipulo.

1. Dixerunt Christum non esse Deum, sed purum hominem. R. verbo *Cerinthus*, *Artemon*, *Ariani*.

II. Ascondritæ in omnibus sequebantur Archonticorum errores: quare sic dicti, non constat: fortè à diversa regione quam inhabitabant: cæterùm fuerunt Archonticis coævi. De his agit Theodoretus hæret. fabul. lib. 1.

Aseliones. Vide *Bisaceni*.

IV. Assuritani ex secta Donatistarum, & Semiarianorum prodierunt in Africa, anno 318. Donatus enim plures docuerat errores. Hinc factum est, ut in plures factiones divisa sit ejus secta, quarum una est Assuritanorum, de quorum erroribus mentionem facit S. Augustinus lib. 3. contra epist. Parmeniani: qui etiam refert, quòd apud ipsos, solam veram Ecclesiam esse gloriabantur.

1. Dixerunt Filium esse minorem Patre, & Spiritum sanctum minorem Filio. R. Eadem est natura, ac essentia Divina in omnibus tribus Personis, ergo dici nequit, quòd una sit major altera: ubi enim una tantum est essentia indivisibilis, non datur majus, & minus; vel dicendum, quòd diversæ sint essentiæ, & naturæ Divinæ, si datur una Persona major altera; sed admittere plures essentias, & naturas Divinas, est idem absurdum, ac admittere plures Deos, ergo &c. Ex Symbolo S. Athanasii evincitur quod una est Divinitas, æqualis gloria, coæterna Majestas. Insuper Jo. 1. cap. 5. legitur: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*; Ergo unus non potest esse major altero, quandoquidem unum sunt. Vide verbo *Arius*, *Agelanes*, *Anomæi*, *Aracciani*, *Aeriani*, *Achillas*, contra quos de Divinitate Filii, & Spiritus sancti agitur.

2. Dixerunt esse rebaptizandos baptizatos à Catholicis. Repr. verbo *Agripiniani*, ubi probavimus non esse rebaptizandos jam baptizatos ab hæreticis; ergo à fortiori non sunt rebaptizandi jam baptizati à Catholicis.

3. Dixerunt intrà Ecclesiam solos bonos contineri. R. Ecclesia dicitur con-

congregatio hominum Baptizatorum (de schismaticis, & hæreticis quid sentiendum, alibi dicturi sumus) ergo &c. quia si Ecclesia esset solùm congregatio hominum justorum, cum nemò sciret, an sit justus, an non, nemo pariter sciret an esset de corpore Ecclesiæ. Tum quia Matt.22. legitur: *Multi sunt vocati, pauci verò electi*, ex quo patet etiam plures, qui non sunt electi, esse vocatos, idest contineri in Ecclesia, quam veritatem apertiùs declarat S.Paulus 2. ad Tim.2. Tum quia in Ecclesia est Sacramentum Pœnitentiæ pro malis, qui continentur in Ecclesia, & vana fuisset hujus Sacramenti institutio, quod propriè dicitur Sacramentum mortuorum, scilicet peccatorum, nisi peccatores essent in Ecclesia. Nec valet dicere, quòd Apostolus ad Eph. cap. 5. dicit: *Ecclesiam non habere maculam*, quia ibi Apostolus loquitur, vel de Ecclesia triumphante, ut sentit S.August. lib. de perfect. justitiæ, vel de Ecclesia militante ratione fidei, ut explicat B.Bened. Papa XI. in cap.5. Matth. num.4. non de militante absolutè loquendo, ut clariùs patet ex reliquis, quæ in eodem capite continentur. Insuper falsum est, quòd boni ex communione cum malis inficiantur: nam unusquisque reddit rationem villicationis suæ, non alienæ. Præterquamquod bonorum exemplo sæpè mali convertuntur, & qui bonus est modum habet devitandi malorum exempla. Damnata fuit hæc hæresis in Conc. Carthag., Bracharen., & Constantiensi contra Joannem Hus. Vide quæ dicta sunt verbo *Adamitæ*.

IX. Astati, dicti etiam Instabiles. Fuerunt sectatores Sergii, qui se Pauli discipulum jactitabat, & Manichæorum errores profitebatur, de quo sub nomine *Sergius* agetur. Mihael Imperator coactus fuit severis legibus horum hæreticorum insolentiam compescere, quæ sub auctoritate prædecessoris Nicephori multum invaluerat. Ex Baron.

IV. Asterius. Adhæsit hæresi Arianæ, negans Verbum Divinum esse Dei Filium circa annum 340. sub Imperio Constantii. Fuit Sophista, genere Cappadox, plura scripsit contra Divinitatem Verbi, ut Occidentales Ecclesias in Arianam hæresim pertraheret. Impugnatorem habuit S.Alexandrum Alexandrinum Episcopum, qui validè scripsit contra Asterii litteras, in quibus etiam effutiebat Jesum Christum esse virtutem Dei, eo pacto, quo dixit Moyses, locustam, & bruchum esse magnam Dei virtutem; aliasque similes nugas promulgavit. Sub Maximiano Herculeo sacrificavit Idolis, qua de re, licèt Arii defensor acerrimus, ab Arianis dignitates Ecclesiasticas obtinere nunquam potuit. A Divo Athanasio Arianorum advocatus dicebatur. Refert D.Hieronymus Asterium scripsisse commentaria in Psalmos, in Euangelia, in Epistolam ad Romanos, quæ opera ab Arianis feria lectione percurrebantur.

Aston Joannes. Vide *Jo: Wiclefus*.

VI. Athalocus. De Athaloco sic loquitur Baronius ad annum 585. Erat enim tunc Arianæ sectæ Episcopus Athalocus, qui ita per propositiones varias, & interpretationes falsas Scripturarum, Ecclesias Dei conturbabat, ut putaretur quòd ipse esset Arius.

IV. Athanasius Anazarbenus. Fuit ex præcipuis Arii fautoribus, ut asserit S.Athanasius: Dictus est Anazarbenus, quia ejusdem urbis Episcopatum obtinuit. Scripsit ad S.Alexandrum Episcopum Alexandrinum pro defensione Arianæ hæresis. Ex Baron.

V. Athanasius, dictus Herniosus, fuit Patriarcha Alexandrinus, & Petri Moggi successor in hæresi. Ex Baron.

I. Atheus. Cognomine Atheus fuit quidam Diagoras Atheniensis philosophus, qui hoc cognomen, quod significat idem ac *sinè Deo* sortitus est, quia negabat dari Deum. Ab hoc Atheo dicti sunt Atheistæ, quotquot in Deum non credunt. Cum quinque seculis ante Christi adventum viguerit Atheismus, in ordine chronologico hæreticorum, in primo seculo Atheum constituimus. R. ab ipso lumine naturali, quod indicat debere dari primam causam, cum dari

dari nequeat processus in infinitum; & certè adeò evidens est hæc ratio, ad probandam necessariam Dei existentiam, ut unusquisque, solo luminis naturæ ductu, cum symbolo Apostolorum subscribere debeat: *Credo in Deum*, ita ut nonnisi *insipiens dicere possit in corde suo, non est Deus*. Profligat Atheismum Concilium Nicænum, celebratum anno 325. sub Sylvestro Papa. Constantinopolitanum primum sub Damaso Papa, & deinde omnia Concilia quotquot fuerunt, in quibus semper confessio fidei præmittitur. Nec valet dicere quòd si daretur Deus, daretur summum bonum excludens omne malum, & summa providentia providens omnia necessaria; nam utique Deus, qui est ens continens in se omne bonum, excludit omne malum à se, licèt non excludat ab alio, scilicet à creaturis, quatenùs permittit causas secundas agere motus suos. Profectò pertinet ad Dei bonitatem permittere causis secundis exercitium facultatis ipsis collatæ. Insuper Deus, quatenùs est summa providentia, utique providet omnia necessaria omnibus in communi, quod si desunt alicui in particulari, deficiunt ratione humanæ malitiæ, quatenùs unus subtrahit alteri necessaria, ut faciunt divites, qui non subveniunt pauperibus.

Hic opportunè notandum, plures nunc temporis ex Novatoribus, inter Atheos esse merito recensendos. Tales sunt, qui Bezam sequuntur in eo, quod docuit licitum esse dubitare an Deus sit. Sic Ochimus Deum esse negavit. In quodam libro inscripto *Simonis Religio*, qui prodiit anno 1588. legebatur: *Credo in tria cælum, atque terram, in cælum Patrem, in terram Matrem, in cæli formam omnia sentientem, & intelligentem; ede itaque, bibe, lude, jam Deus figmentum est*. Cæterùm ut contra Atheos Dei existentia comprobetur, melius suaderi nequit, quam proponendo cum D.Thoma quinque rationum momenta ad persuadendum efficacissima, quibus veluti quinque limpidissimis lapidibus frons Atheismi feritur. Sit igitur

Momentum Primum.

Admittendus est unus primus motor omninò immobilis; sed ille est Deus, ergo existit Deus. Minor constat, nomine enim Dei intelligimus ens perfectissimum, & actum purum, quæ puritas actus perfectissimi non convenit nisi enti omninò immobili: nam quod imperfectum est, potest moveri acquirendo novam perfectionem; subindèque quod omnis mutationis est incapax, perfectissimum esse necesse est. Major verò probatur: videmus multa moveri, ut patet experientia; sed illa omnia debent moveri à motore omninò immobili, seu qui moveat, & non moveatur, ergo admittendus est unus primus motor immobilis. Probatur minor; omne quod movetur, ab alio movetur, ergo vel ab agente immobili, vel moto; si ab immobili, habemus motorem immobilem, quem quærimus; si ab agente moto, hic rursum ab alio, & dabitur processus in infinitum, nisi perveniatur tandem ad unum motorem immobilem. Antecedens sic ostenditur: Omne quod movetur, est in potentia ad id quod movetur; omne quod movet est in actu; moveri enim est recipere motum, movere est illud producere, juxtà definitionem Aristotelicam motus: *Quod sit actus entis in potentia, prout in potentia*: atqui repugnat idem esse in actu, & in potentia respectu ejusdem, ergo necesse est, quod omne quod movetur, ab alio moveatur; nec potest idem esse movens, & motum respectu ejusdem. Si omne quod movetur debet moveri ab alio, certè deveniendum est tandem ad aliquod immobile, quod moveat, & ipsum non moveatur; cæterùm, ut dixi, daretur processus in infinitum. Illud autem immobile est Deus ipse optimus maximus.

Momentum Secundum.

Admittenda est aliqua causa prima, cui cæteræ omnes subordinentur: namque vel existit causa illa prima, vel admitti debet aut progressus in infinitum in causis producentibus, aut saltem mutuus quidam circulus inter causas sese invi-

invicem producentes; atqui nec progressus ille in infinitum defendi potest, nec circulus: non circulus, qui absurdus est, quandoquidem res eadem sumet ipsius causa foret, saltem mediata, quod implicat: non progressus in infinitum; quia in causis necessariò debet admitti ordo secundùm prius, & posterius; at progressus ille hunc ordinem tolleret. Si enim nulla supponetur causa prima, omnes causæ mediæ forent, quæ semper causam aliquam se superiorem agnoscerent. Imò, & nulla esset causa, quæ infinitas ante se causas non supponeret, quod certè perabsurdum est. Si enim ante omnes, & singulas causas infinitæ causæ forent, sequeretur primò ante totam causarum multitudinem, & collectionem, esse infinitas causas; & ita collectionem illam totam non esse, quod implicat: qui enim totam collectionem dicit, nihil supponit extra illam, quod sit ejusdem ordinis. Sequeretur secundò, effectum numquam produci posse, quia produci non potest, nisi percurratur infinita causarum series, ac multitudo; at quod infinitum est percurri non potest.

Præterea: estò demus hoc Atheorum pervicaciæ, fingi posse progressum in infinitum in causis univocis, nec ullum v. g. primum hominem posse assignari, à quo cæteri via generationis procreati sint: at saltem in causis æquivocis, ac diversi generis, quæ nullam ad se invicem dependentiam, ac subordinationem habeant, quales sunt v.g. cæli, qualia sunt astra &c. necessariò recurrendum est ad aliquam primam, & universalem causam à qua sint. Neque enim sunt à seipsis, cum nulla res sibi existentiam dare possit; ergo sunt ab aliqua causa superiori, intelligente, eaque Infinita; causa illa Deus est, ergo existit Deus.

Momentum Tertium.

Existit ens necessarium, sed Deus est illud ens necessarium, ergo existit Deus. Major propositio probatur, quia vel existitent necessarium, vel omnia sunt contingentia, sed omnia non sunt contingentia; quia si forent contingentia, supponi possent non esse, quod enim contingens est, potest esse, vel non esse. At si supponerentur non esse, impossibile foret ea esse: quod enim est, vel est à se, vel ab alio; sed illa entia, neque ab alio, neque à seipsis esse possent: non ab alio, quia in hypothesi Atheorum, nihil est à quo entia illa possint esse: non à seipsis, quia nihil potest sibimetipsi existentiam dare, aliàs esset seipso prius, & posterius, quod manifestè contradictionem implicat; ergo illa entia esse non possent; ergo non essent contingentia; ergo admittendum est aliquod ens supremum, increatum, necessarium, à quo cætera omnia, tanquam à prima causa dependeant, ac deriventur.

Probatur minor propositio. Nomine Dei intelligimus ens infinitum, intelligens, summè perfectum, quo nihil melius est, aut cogitari potest. Hæc est ipsissima Dei idea, ac notio, de qua consentiunt omnes Theologi, ac Sancti Patres: *Credimus* (ait Sanctus Anselmus in protologio cap. 2.) *Deum esse aliquid, quo nihil majus cogitari potest*. Atqui tale ens est ens necessarium, quod necessitate suæ naturæ existit: ergo ens necessarium, seu quod necessitate suæ naturæ existit, est Deus. Probatur minor, nempe ens illud, quod necessitate suæ naturæ existit, esse infinitum, ac perfectissimum, ideoque Deum ipsum; quia scilicet ens, quod à nullo ad certas quasdam perfectiones limitari potest, ex se infinitum est in omni genere perfectionis: atqui tale est ens necessarium, quod ex naturæ suæ necessitate existit. A quo enim limitari potest? Non à se, sui enim causa non est: quòd si esset, haud dubie eam omnem perfectionem sibi conferret, quæ posset excogitari possibilis. Non ab alio, quia nullam agnoscit se superiorem causam; ergo coarctari, & ad certas quasdam perfectiones limitari non potest: ergo eas omnes in se continet, quæ possibiles sunt. Quemadmodum enim si corpus aliquod in spatio infinito, in quo nullum aliud corpus esse supponitur, moveretur, in infinitum moveretur, eoquod nullo alio corpore retineri, & retardari posset.

fet:

set: ità servata proportione ens necessarium, quod à nulla causa neque interna, neque externa limitatur, tantum est in omni genere perfectissimum, quantum esse potest.

MOMENTUM QUARTUM.

Agnosci necessariò debet suprema quædam, & incommutabilis veritas, quæ sit norma, & regula cujuscumque veri; supremum quoddam & absolutum bonum: atqui suprema veritas, supremum bonum, Deus est, ergo necessariò existit Deus. Major propositio probatur. Primò, vel admittenda est suprema quædam, & incommutabilis veritas, quæ sit norma, & regula cujuscunque veri: vel mens humana ex sese regula est veritatis, atqui postremum istud planè absurdum est; cum experientia quotidiana unicuique nostrum compertum sit, humanam mentem tenebris obscuratam, sæpissimè à vero aberrare. Secundò, dantur bona alia, aliis majora, aut minora; sunt creaturæ aliæ, aliis perfectiores; sed illa majoris, vel minoris bonitatis participatio non æstimatur, nisi pro majori, vel minori accessu ad ens summè bonum, & summè perfectum, Creaturæ quippe à seipsis perfectiones illas non habent; alias omnes omninò haberent, cum supponerentur esse a seipsis, adeoque à nulla causa essent limitatæ, & ad certum perfectionis gradum restrictæ. Ergo necessè est agnoscere ens supremum, infinitè bonum, ac perfectum, à quo, & sint, & suam perfectionem mutuentur creaturæ.

MOMENTUM QUINTUM.

Admittendus est supremus Provisor, & Gubernator; ergo & Deus, quo intelligimus supremum aliquod Numen, quod cuncta regat. Probatur antecedens, videmus ea, quæ cognitione carent, dirigi ad certum finem boni universi, & eodem atque uniformi modo operari; ergo diriguntur ab aliquo intelligente, sicut sagitta dirigitur ad scopum à sagittario. Et licèt quælibet res habeat certam propensionem, qua veluti pondere, fertur ad centrum, hoc tamen dirigentis necessitatem non excludit, cum sæpè appareat inanimata, contra proprias inclinationes, pro bono universi, sui oblita operari; ut cum gravia ascendunt, descendunt levia, ad vacuum propulsandum, vel servandum æquilibrium; quod argumento est, id non efficere ex suæ formæ propensione, sed ex directione supremæ intelligentiæ, cui parent. Et hoc sanè confirmat formosa illa, & omnium quantumvis rusticorum hominum oculis, sese ingerens naturæ pulchritudo, decor, harmonia, consistentia, quæ in tanto rerum fluxu, diuturna esse non possent, nisi res omnes, in aliquod commune bonum, tanquam in finem, non à se quidem, sed à suprema intelligentia intentum conspirarent.

Stupidus sit oportet, quem in admirationem, etiam invitum non rapiat eximia mundi pulchritudo; summa rerum, quæ in eo sunt, multitudo, & varietas; æqualis temporum series; fixa tempestatum vicissitudo, immensa cælorum moles, syderum definitæ conversiones; constans denique naturæ totius ordo. Quis porrò sanæ mentis unquam cogitaverit, hæc omnia casu, ac fortuitò contingere, non autem suprema quadam intelligentia, ac sapientissimo Dei consilio regi, ac ordinari; Perinde est, ac si quis ordinatissimam, suisque legibus benè temperatam Rempublicam cogitaret, sinè Rectore, ac Moderatore: vel exercitum ad pugnam aptè dispositum, sinè Duce; vel ædificium ad gratam, & commodam habitationem, sinè Architecto.

Homo ipse solus, & si cætera deessent, invictum suppeditaret existentis supremi Numinis testimonium, & argumentum: qua de causa *Magnum miraculum* appellatur à Divo Augustino lib. 10. de Civit. Dei cap. 12. Unde enim corpus tam admirabile, ac planè stupendo extructum artificio! Undè tot disparia membra, mutuo intextu concreta, & tam aptè ad propria cuique munia disposita, nisi ab immenso spiritu? mens verò hominis, tot facultatibus instructa ad intelligendum, & cognoscendum; tot dotibus ornata ad benè, beatèque vivendum.

dum. Undè? nisi à suprema intelligentia: *Nescio qualiter in utero meo apparuistis?* (dicebat Machabæorum Mater) *neque enim ego spiritum, & animam donavi vobis, & vitam, & singulorum membra, non ego ipsa compegi*. Ergo necesse omninò est agnoscere supremam aliquam mentem, & intelligentiam: hæc autem Deus ipse est.

IV. Athletæ, seu Athletritæ, sic vocabantur ab Actio ejus Sodales, ut perhibet Petavius in animadversione super Epiph. lib.3. tit.1.

V. Atticus Presbyter dubiæ fidei, tempore S.Leonis, ambiguis verbis subscripsit damnationi Euthychetis, ex quo infertur fuisse secta Euthychianum. Ex Natal. Alex.

IX. Attingani in Phrigia, & Licaonia constituti anno 810. iidem sunt qui Pauliciani, sub hoc verbo reprobandi. Ex Baron.

IV. Audaus, ex quo Audiani, sive Odiani, aut Vadiani, genere Syrus, de Mesopotamia oriundus, post multos exantlatos pro vera fide labores, laboribus victus, jam propè seniò confectus, à fide declinavit: plura de eodem scibit D. Epiphanius hæres.70. ubi colligitur; hunc Audeum fuisse in Ecclesia pluribus annis virum celeberrimum, Ecclesiasticæ disciplinæ zelantissimum. Tanti viri deplorabilior casus fuit, cum siquidem in opinione sanctitatis vixisset, quando à fide declinavit,plures ejus sanctitatis fama jam antea permoti, eumdem secuti sunt, & hæreticum. Audeum Antropomorphitarum ducem aliqui constituunt. Ab Imperatore Constantio in Scithiam relegatus, plures ibi promulgavit errores, inter quos, præter sequentes infra reprobandos, sunt qui asserant, etiam in illo fuisse sensu, ut crederet tenebras, ignem, & aquam ab æterno extitisse, suosque sectatores nulla imposita pœnitentia absolvebat, injungens solùm pœnitentibus, ut inter sacros libros, quos hinc inde apponebat, pertransirent, confitentes peccata sua. Audei discipuli vitam omninò solitariam agebant, fugientes Catholicorum Ecclesias, quia in ipsis peccatores admittebantur. Mortuo Audeo circa medium seculi quarti, ejus sectatores prope Euphratem, & Mesopotamiam, in duabus villis convenerunt, & quinto ineunte seculo Audeanorum secta, omninò jam erat extincta.

1. Dixit Deum esse corporeum. R. verbo *Antropomorphita*.

2. Novum invexit absolvendi modum, divisis enim hinc indè sacris libris, jubebat,ut dixi, inter ipsos peccatorem transire, & sic absolutum dimittebat. R. Quia cum solus Christus possit instituere Sacramenta, & nullibi constet de hac institutione ab Audeo somniata, satis patet insubsistentia hujusmodi absolutionis. Tum quia si hoc sufficeret ad absolutionem, quisquis sacros libros secumferret, continuum absolutionis beneficium reciperet, adeò ridiculus hic absolvendi modus videtur, ut ex se satis reprobatus appareat.

3. Imaginem Dei, ad quam factus est homo, dixit esse in corpore, non in anima. R. verbo *Antropomorphita*.

4. Pascha cum Judæis celebrabat. R. verbo *Quartodecimani*.

5. Damnabat Episcopos, quia habebant temporales facultates. R. verbo *Apostolici*, & verbo *Actiani*.

XII. Averroes fuit Gentilis. Corduba in Hispania sub Maurorum jugo hunc virum insignem Aristotelis interpretem genuit 12. currente seculo, decessitque ineunte 13. In Regno Valentiæ Judicis primarii munus exercuit, patri in honorifico munere substitutus, & in jurisprudentia celeberrimus, scientiæ physicæ addictissimus, non minùs quàm astrologiæ, & mathematicæ, à Rege Marochii, etiam in toto Regno Judex fuit electus. Interim tanquam hæreticus accusatus, officiis, & facultatibus expoliatus, etiam carceri mancipatur; sed iterùm libertati restitutus, celeberrima commentaria super Aristotelem edidit. Religionem Catholicam vocabat *Religionem impossibilium*, Judaicam *Religionem infantium*, Mahometanam verò

Religionem porcorum. Sunt qui asserant, quòd negaverit Deum esse provisorem universalem. R. ex Apostolo dicente: *In ipso vivimus, movemur, & sumus*, ex psalmo: *Dat escam pullis corvorum invocantibus eum*. Matth.10. *Nonne duo passeres asse veneunt, & unus ex illis non cadet super terram sinè patre vestro*. Singularem Dei providentiam proclamant creaturæ omnes; quis enim non videat, quòd in virtute Dei, ejusque providentia germinat terra, fœcundæ sunt aquæ, sol oritur super bonos, & malos? Quis non discernit, quòd Dei providentia attingit à fine, usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter? Deus omnia dirigit in finem, ergo Deus est provisor omnium. Certum enim est, ut ait Apostolus ad Rom.13. quòd *Quæ autem à Deo sunt ordinata sunt*, & ut ait S.Bernardus lib. de gratia cap.10. *Nihil horum evenit, quod non prout vult, potenti ordinet providentia*. Providentia Dei evincitur illis omnibus rationibus, quibus necessariam esse Dei existentiam comprobatur. Nec valet dicere, quòd si Deus provideret circa hæc inferiora, utpotè summum bonum, nullum permitteret malum; quia malum permittit ad emendationem nostram, & finit causas secundas agere motus suos, accomodans se causis secundis, subministrans illis media secundùm exigentiam naturæ earum, ut suos producant effectus. Hinc est, quòd providentia, non tollit libertatem humanam, ut volunt Ethnici. Vide *Atheus*.

I. Augures. Auguriorum inventio primò ex Ægyptiis profecta est. Augures sunt, qui rerum eventus inquirunt ex motu cælorum, ex garritu avium, ex intestinis victimarum, & ex similibus superstitionibus, ad quas declinarunt aliquando etiam aliqui Christiani, qui ut ventura prædicerent, similibus superstitionibus se contaminarunt, & à fide, quæ vera est, recesserunt, ut ad falsa dœmonum oracula accederent, prohibente Domino Deuter.16. *Non inveniatur in te qui observet auguria*.

XVII. Augustiniani, ex Lindano, à quodam Sacramentario, cui nomen erat Augustinus, dicti fuerunt, qui novis sectariorum erroribus, hunc addidit.

1. Dixit cælum nondum esse apertum, & illud hominibus usque ad ultimum diem clausum esse futurum. R. quia Christus in corpore ascendit in cælum, ubi Abraham esse, & plures SS.PP. ex Scriptura colligitur; non quidem in corpore (sola enim Virgo post Christum, ex speciali prærogativa fuit in cælum cum corpore assumpta) sed in anima; futuri etiam in corpore post diem judicii. Insuper apertum esse cælum animabus in gratia decedentibus, asserunt omnes SS. PP. sed & Christus dixit latroni pœnitenti *Hodie mecum eris in paradiso*; ergo cælum est apertum, & falsum est, quòd usque ad diem judicii futurum sit clausum. Vide verbo *Millenarii*.

XVI. Augustino Bohemi orti sunt in Bohemia, Duce Augustino Bohemo anno 1544. partim cum Sacramentariis, partim cum Anabaptistis conveniunt, novis dogmatibus etiam propositis.

1. Dicunt fores Paradisi nondum esse reseratas. R. verbo *Augustiniani*.

2. Dicunt animas justorum, ante resurrectionem corporum, non videre Deum. R. verbo *Millenarii*.

3. Dicunt non dari Purgatorium. R. verbo *Albanenses*.

4. Docent suffragia non prodesse defunctis. R. verbo *Aeriani*.

XV. Augustinus de Roma regulari militiæ nomen dederat circa initium seculi 15. deinde ob suam scientiam ad Archiepiscopatum Nazarenum evectus, librum edidit, qui damnatus fuit in Concilio Basileensi sess.22. illæso tamen authore, quia scripta sua Romanæ Sedis judicio submiserat, propositiones autem, ratione quarum, præfatus liber damnatus fuit, sunt sequentes. Vide Natal. Alexandr.

1. Christus quotidiè peccat, & ex quo fuit, quotidiè peccavit, & quamvis Augustinus de Roma non intelligeret hoc de persona Christi, sed de illius membris, quæ cum capite unum Chri-

Christum esse dicebat, nihilominùs. Rep. hæc propositio, quia membra Christi, quorum Christus est caput, non ita faciunt unum cum capite, ut actiones deficientiæ membrorum, possint etiam prædicari de capite, ergo neque ratione unionis membrorum cum capite, scilicet fidelium cum Christo, dici potest quòd Christus peccat; quia peccata sunt defectiones. Vide S. Augustin. lib. 12. de Civit. Dei cap. 7.

2. Dixit solos electos esse membra Christi. R. Nam quia Christus est caput Ecclesiæ, omnes qui sunt in Ecclesia, quatenùs moraliter uniti sunt cum Christo capite, & ab ipso habent influxum, dicuntur illius membra; & certè cum Ecclesia sit cætus vocatorum, quorum Christus est caput, legitur autem Matth.22. *Multi sunt vocati, pauci verò electi*, sequitur non solos electos esse membra Christi. Tum quia Judas, quando fuit aggregatus Collegio Apostolorum, utique esse debebat membrum Christi, & tamen non erat prædestinatus. Tum quia si soli prædestinati sunt membra Christi, sequitur aliquem Turcam, aut Gentilem, qui persequeretur membra Christi, dummodò esset prædestinatus, dici debere membrum Christi; illum verò qui manet in charitate, de quo dicitur: *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*, si non perseverat in charitate, dici non posse membrum Christi. Vide verbo *Assuritani*.

3. Dixit, quòd secundùm infallibilem præscientiam Dei sumuntur membra Christi, ex quibus constat Ecclesia, quæ tamen non constat nisi ex illis, qui secundùm propositum electionis vocati sunt. R. Quia cum Ecclesia sit visibilis, ejus membra debent etiam esse visibilia, & Ecclesiæ cognita, sed si membra Ecclesiæ sumerentur secundùm infallibilem præscientiam Dei, secundùm quam quis est electus, Ecclesia non posset discernere sua membra: quis enim scire potest an sit electus? ergo membra Ecclesiæ non debent sumi secundùm infallibilem præscientiam Dei, sed sumi debent ex aliquo signo sensibili, cujusmodi est Baptismus: Omnes ergò qui sub regimine Romani Pontificis, in una fide perseverant, rectè inter Ecclesiæ membra debent computari.

4. Dixit non sufficere uniri Christo vinculo charitatis, ut aliqui efficiantur membra Christi, sed requiri aliam unionem. R. ex prima Joan.4. *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*. Tum quia charitas est id, per quod Deus magis unitur cum homine; ergo unio charitatis erit id, per quod homo uniri potest cum Deo.

5. Humana natura in Christo est persona Christi. Rep. Nam si humana natura in Christo est persona Christi, duæ essent personæ in Christo, quòd dicere est cum Nestorio sentire. Tum quia si humana natura in Christo est persona Christi, ergo natura Divina in Verbo erit persona Verbi, hoc non; ergo neque primum. Tum quia ratio naturæ, & ratio personæ sunt essentialiter rationes diversæ, ergo natura non potest esse persona.

6. Natura humana assumpta à Verbo, ex unione personali, est veraciter Deus naturalis, & proprius. R. Nam cum natura humana in Christo sit genita, passa &c. si esset veraciter Deus naturalis, & proprius, hoc idem dici deberet de Deo, sed hoc dici nequit, ergo neque illud. Tum quia Christus qua homo, genitus fuit in tempore, ex natura corruptibili.

7. Christus secundùm voluntatem creatam tantùm diligit naturam humanam unitam personæ Verbi, quantùm diligit naturam Divinam. R. Quia natura humana, etiam prout est subsistens, per subsistentiam Divinam in Verbo, est realiter distincta à natura Divina, est creatura, est genita, ergo non potest tantùm diligi, quantùm natura Divina, quæ est ipsemet Deus increatus, & ingenitus. Tum quia objectum amoris est bonitas, & quò magis objectum est bonum, eò magis est diligibile, sed nulla

est æquiparatio inter bonitatem naturæ Divinæ, quæ est infinita, & bonitatem naturæ humanæ Christi, quæ est finita, quamvis utpotè unita personæ Verbi, sit summæ excellentiæ supra reliquas omnes creaturas, ergo &c.

8. Sicut duæ personæ in Divinis sunt æqualiter diligibiles, ita duæ naturæ in Christo divina, & humana sunt æqualiter diligibiles, propter personam communem. R. ex eo, quod diximus in reprobatione antecedenti; & certè natura humana in Christo, etiam unita Verbo, est longè inferior natura Divina: Christus enim quando dixit: *Pater major me est*; loquebatur de seipso secundùm naturam humanam, non divinam, quæ utique est major in omni genere: ergo non possunt hæ duæ naturæ in Christo æqualiter diligi, etiam attenta unione naturæ humanæ, cum natura divina.

9. Anima Christi videt Deum tam clarè, & intensè, quàm clarè, & intensè Deus videt seipsum. Repr. Deus comprehendit se ipsum, & non potest comprehendi, nisi ab intellectu infinito, sed Anima Christi est finita in suis potentiis, licèt habeat potentias longè nobiliores, & perspicaciores cæteris animabus, & donis supernaturalibus longe ditiores; ergo &c.

XIII. Augustinus Steucus Eugubinus, incidit in errorem Photini, negando Deum esse immensum; quòd autem in talem errorem inciderit, constat ex ejus explicatione in psalm. 138., quo tempore vixerit fatis perspectum non habetur. Probabile est vixisse currente seculo 13. R. verbo *Photinus*.

XVI. Augustinus Marloratus. Tempore quo cœpit grassari Luthero Calvinismus eo devenit impietas, ut penè unusquisque sibi crederet licitum nova proponere dogmata. Inter hos impudentissimos viros adscribitur Augustinus Marloratus, qui vixit circa annum 1550.

1. Dixit, quòd quæ de Christi ad inferos descensu disputantur, supervacanea sunt. R. Nam disputatio, quæ instituitur de Christi descensu ad inferos, est ad reprobandos hæreticos, qui expressè hoc negant, convincente eos Scriptura, quæ apertè in Apostolorum Symbolo veritatem hanc profitetur: sed & Ecclesiastici cap.24. vers.45. jam prædictus fuerat descensus Christi ad inferos, qui etiam comprobatur ex illo ad Eph. cap.4. vers.9. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos*. Præstat autem de hac veritate confundere hæreticos contradicentes hoc ducti motivo; ut scilicet ex hujusmodi contradictione alios errores inferant; qua propter negant Patres liberatos ab inferis, cum Christo ascendisse in cælum, & alia similia proferunt. Perstringuntur tamen de veritate descensus Christi ad inferos, tum ex dictis, tum ex epist. 1. Petri cap.3. *In quo & his, qui in carcere* (idest in Limbo) *erant spiritibus veniens prædicavit*. Tum quia unanimis est Patrum consensus, qui Christum descendisse ad inferos, & ascendisse cum Patribus, quos de inferis liberavit, asserunt. Nec valet objicere, quòd si Christus descendisset ad inferos, de hoc descensu mentio facta fuisset à Patribus in Concilio Nicæno. Omiserunt autem in Symbolo Nicæno Patres hunc articulum; *Descendit ad inferos*. Nihil utique evincit argùmentum, nam unum Concilium non tenetur definire omnes fidei articulos; sed de illis, ut plurimùm tantùm specialiter agit, de quibus agere expedit ad perstringendos hæreticos, contra quos Concilium est congregatum. Tempore Concilii Nicæni, nondum orta erat quæstio de descensu Christi ad inferos, ideò de tali descensu nullam mentionem fecit. Demùm ab argumento negativo ad positivum nihil concludi, vel levis Logicus statim dignoscit.

2. Dixit, quòd anima non significat spiritum immortalis essentiæ, sed vitam ipsam dumtaxat. R. Nam licèt verum sit, quòd anima hominis aliquando sumatur pro vita ipsius, quæ per nobiliorem partem exprimitur, ut Gen. 37. ver.22. *Non interficiatis animam ejus*; atta-

attamen negari nequit, ut plurimùm in sacris paginis nomine animæ designari spiritum immortalem, qualem esse animam probatum est verbo *Arabes*; quæ veritas confirmatur ex Constitutionibus Apostolicis lib 6. cap. 11. ubi legitur: *Nos animam incorpoream, & immortalem affirmamus*, quam veritatem declarat etiam Concilium Lateranense 5. sub Julio II., & Leone X Et certè si anima non esset immortalis, ad quid illa verba Matth.25 *Venite percipite Regnum: Ite in ignem æternum?* Demùm animam esse spiritum immortalem, colligitur etiam ex illo Matt.10. vers.28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*. Insuper accipitur anima pro spiritu 1. ad Cor. cap 2. *Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Ergo falsum est quod anima non significat spiritum immortalis essentiæ, sed solam vitam.

3. Videtur etiam negasse Immunitatem Ecclesiasticam, ex eo quod scripsit ad cap.17. super Matt. Repr. verbo *Petrus Martyr*.

V. Avitus, & Avidus ambo hic simul recensentur, quia secundus primo cessit. Avidus sequebatur errores Victorini, quare dictus fuit Avidus Victorinus. Avitus autem doctrinam Origenis propugnabat, & dictus fuit Avitus Origenista. Eutropius, & Paulus Episcopi Hispani, Orisium Presbyterum in Africam ad S. Augustinum delegarunt, ut tanti Doctoris contra præfatos hæreticos consilium acciperent, quibus præstò fuit S. Augustinus. Cedente interim Avido, Avito, ambo cœperunt in Hispania disseminare errores Origenis, cum illuc ex longa peregrinatione, ab uno, ex Urbe Roma, ab altero ex Urbe Hierosolyma facta, apulissent. Scripserat ad Avitum S. Hieronymus, sic ab Avido rogatus, missa ad eum epistola, in qua signabat errores Origenis. Sed huic salutari monito non acquievit Avitus, qui omnes Origenis professus errores, hunc etiam de novo promulgavit. Vide Bar. anno 414.

Dixit, Verbum antequàm carnem assumeret, omnium ordinum Angelorum sumpsisse formam, cum in cælo singulis prædicaret. R. Sicut enim de Incarnatione facta à Verbo tot præcesserunt Scripturæ testimonia, etiam aliqua præcessissent de Angelizatione, si facta esset à Verbo antequàm naturam sumpsisset humanam. Tum quia Verbum, quod semel assumpsit nunquam dimisit, ergo si semel assumpsisset naturam Angelicam, adhuc nunc terminaret hypostaticè talem naturam, sicut adhuc de facto terminat naturam humanam, quam assumpsit. Tum quia Deus ut alloquatur Angelos, non opus habet assumere illorum formam, ergo propter hanc solam rationem nihil evincit Avitus. Adde, quod expressè legimus ad Heb. cap.2. *Nusquam enim Angelos apprehendit*.

XVI. Autodoxi, qui credunt, quod sibi placet, & quilibet sibi fingit pro libito suo novam Religionem, nec unus alterius documentis vult alligari.

XVI. Autotheani ex Lutheranismo propagati illi sunt, qui solum Patrem esse verum Deum credunt, & Filium Patre minorem faciunt, hujus blasphemiæ auctor censetur Blandrata. R. verbo *Arius*.

IV. Auxentius Episcopus Mediolanensis, ad propagandam hæresim Arianam, unà cum Asterio Sophista nullum non movit lapidem; impiissimi Elvidii fuit Magister. Divum Martinum ab Urbe Mediolanensi expulit, timens nè illius prædicatione Ariani à suis erroribus deficerent. Sanctus Hieronymus Auxentii malitia quanta esset, sicut & Asterii, ostendit scribens ad Damasum Papam.

II. Axionicus Antiochiæ Dogmata Valentini hæretici docebat anno 145. R. verbo *Valentinus*.

IX. Baani-

B

IX.  AANITÆ ducem habuerunt quemdam nomine Baanem, qui fuit discipulus Epaphorditi, & Manichæorum errores prædicabat. Vide *Manichæi*. De his agit Spondanus anno 810.

XV. BACULARII secta sunt Anabaptistæ, sortiti sunt hoc nomen seculo 15. ex eo quòd nefas esse dicebant accusare quemquam in judicio, vel alia ferre arma, quam baculum: asserentes Scripturam prohibere ne gladium, aut peram portemus. Dicti sunt etiam Stableri. R. Quoad id quod sustinebant nefas esse accusare in judicio; quia in lege veteri constituti erant judices, qui decidebant controversias contendentium. Tum quia Deus dedit potestatem judicibus judicandi, & puniendi, ut constat ex Deuter. cap.17. vers.10, & præcepit stare eorumdem sententiæ: *Facies quodcumque dixerint*, sed talis potestas esset nulla, quando causæ non possent deferri ad judices; daretur etiam ansa ad facinora liberè, & sinè timore perpetranda, quando facinorosi non possent adduci in judicium: In nova lege etiam Christus dixit, *Dic Ecclesiæ*. Ad id quod dicunt Scripturam prohibere gladios, verum est ad offensionem, non ad defensionem: unde dixit Petrus ad Jesum: *Sunt duo gladii hic*.

VIII. BAGNOLENSES. De Bagnolensibus, sive Bajolensibus scribit Gaulterius in tabul. seculi septimi, quos eosdem cum Albanensibus errores habuisse refert, quod pariter recenset S. Antoninus in 4. par. summæ tit.11. cap.7. Dicti sunt etiam Concordenses: & licèt aliqui sentiant sectam Concordensium fuisse à Bagnolensi distinctam, certius tamen est solùm circa nomen discrepare; omnes enim Bagnolensium errores à Concordensibus profitentur, & quisquis agit de Concordensibus, etiam Bagnolensibus omninò coævos reponit, nec quid peculiare de istis asseritur, quod etiam de illis non affirmetur. Unica ergo fuit Bagnolensium, & Concordensium secta, hoc duplex nomen sortita; hinc deducere est diversos esse hos Bagnolenses à Bagnolensibus hæreticis, de quibus agit Spondanus sub anno 1225. quos etiam Concorretios, sive Concorrenses vocat. Porrò hos Bagnolenses, de quibus agit Spondanus, sectam fuisse Catarorum ex progenie Valdensium certum est, sicut ipsemet Spondanus asserit. Malè ergo hos Bagnojenses cum Bagnolensibus, de quibus agit Gaulterius, quem citat in margine, confundit; siquidem si, ut ipse ait, Bagnojenses fuerunt ex progenie Valdensium, cum Valdenses circa medium seculi duodecimi debacchaverint, non potest eorum progenies confundi cum Bagnolensibus, de quibus agit Gaulterius, qui fuerunt Albanensibus seculo currente octavo coævi. Opiniones autem quas habuerunt Bagnojenses à Cataris distinctas refert Spondanus sub anno 1252., & sunt sequentes.

1. Errabant circa Trinitatis mysterium, sed in quo consisteret eorum error circa Trinitatem, ignoratur.

2. Dicebant Diabolum de limo Dei creasse mundum, & corpus hominis, in quod infuderit optimum Angelum, qui in modico jam peccaverat. Reprobatione non indiget hoc delirium, quid enim intelligerent, dicendo Diabolum de limo Dei creasse mundum, difficilis est explicationis. Certum est Diabolum non habere potentiam creativam, ut dictum est contra Arnaldum Brixiensem. Certissimum est non Angelum, sed animam rationalem infusam esse in corpus humanum, & ratione peccati Angelum non infusum in corpus humanum, sed in infernum intrusum satis manifestè declarant sacræ paginæ. Cæterùm Angelum non posse informare corpus, probat ipsa philosophia. Nullum enim compositum completum, cujusmodi est Angelus, potest informare materiam, & unum

cum

cum illa facere compositum, materia enim unicà formà, quæ habeat rationem potentiæ, est actuabilis.

3. Asserebant animas extractas esse à dicto Angelo. R. ex Gen. cap.2. *Formavit igitur Dominus Deus hominem, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem*. Creata est ergo anima à Deo, non autem extracta est ab Angelo. Insuper animam hominis à Deo creari, definitum est in Conc. Later. sub Innocentio III. Tum quia in Bagnolensium supposito, dictus Angelus deberet esse infinitus, cum infinitæ animæ possint creari, sed nulla est substantia infinita præter Deum, & Concilium Braccarense celebratum anno 563. anathemate percutit eos, qui dixerint animam hominis esse substantiam Dei, ergo neque esse potest de substantia Angeli.

4. Dicebant Christum non assumpsisse humanam animam, sed Angelicam naturam. R. ex illo quòd legitur ad Heb.2. *Nusquam enim Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit*. Insuper Christum assumpsisse animam rationalem, probatum est verbo *Apollinaristæ*; quæ veritas definita est in Concil. Constantiensi primo, & in Concilio Rom. sub Damaso Papa. Tum quia si assumpsisset Angelicam naturam, & solum corpus humanum, Christus non deberet dici factus homo, sed factus Angelus; Non enim homo dici potest, qui animam rationalem non habet: Verum quidem est, quod si Verbum voluisset, potuisset sibi unire hypostaticè naturam Angelicam; sed quæstio est de facto, & absolutè constat ex sacris paginis, Verbum naturam Angelicam non assumpsisse; sed animam rationalem. Unde legitur Joan: 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterùm sumendi eam*.

5. Dicebant B. Virginem fuisse Angelum. R. Nam licèt dignitate, & meritis B. V. sit supra Angelos, non tamen habuit Angelicam naturam, sed humanam, ab homine conceptam, & genitam, cujus Pater Joachim, & Anna Mater, ut tenet Ecclesiæ traditio; & si fuisset Angelus, Christus non fuisset homo: non enim verè filius hominis diceretur, si originem non haberet ab homine: colligitur enim apertissimè ex sacris paginis, Mariam fuisse de domo, & familia David, ergo habuit naturam humanam, ergo non fuit Angelus.

6. Reprobabant ferè totum vetus Testamentum. R. verbo *Albanenses*.

VII. Bairas, qui apud S. Petrum Paschasium vocatur Bahiosa. Hist. Mahom. cap.1. profitebatur Jacobitarum errores, & fuit Mahometis magister, quem Mahometanam docuit perfidiam, circa initium seculi septimi; siquidem cum Mahometes esset vilissimæ conditionis, & principatum nihilominùs per novæ sectæ prædicationem affectaret, Bairam in magistrum suæ perfidiæ assumpsit, cujus errores verbo *Mahometes* convelluntur. Bairas in componendo Alcorano Mahometem adjuvit. Ex præcit. S. Petro Paschasio cap.8.

XVI. Bajus Michael, cujus vita in ejus operum initio, quæ Coloniæ anno 1646. impressa sunt, legitur, fuit vir in Theologicis scientiis eruditissimus, Lovaniensis Academiæ Decanus, tanquam oraculum erat apud alios ejusdem Academiæ Doctores; necnon apud Reges, ratione suæ scientiæ gratiam invenit. Proinde à Philippo II. Hispaniarum Rege in Theologum Consiliarium assumptus, & ad Conc. Trident. delegatus, apud posteros futurus in opinione celeberrima, si famam suam erroneis scriptis non contaminasset. Porrò ejusdem errores in Bulla S. Pii V. expressè leguntur, qui ex ejusdem Baii scriptis, 79. propositiones decerptas damnavit; non tamen damnavit auctorem, siquidem S. Sedis judicio se submisit. Vixit circa medium seculi 16. ætatis ann.77. Lovanii decessit, cum ad 40. annos in Lovaniensi Academia Theologicas facultates docuisset. Duæ primæ ex ejus propositionibus contentis in Bulla *In eminenti* sunt sequentes.

1. Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita, rectè vocantur gra-

gratia. R. ex D. Paulo: *Quid autem habes quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Ex quo deducitur omne meritum nostrum in quocunque statu esse à Deo, sinè cujus gratia, necessariò concurrente ad actiones nostras, nullum bonum meritorium possumus operari. Unde S. Augustinus cap.10. de correptione, & gratia ait: Deum in operibus bonorum Angelorum ostendisse *quid posset gratiæ beneficium*, id ipsum de homine in statu naturæ integræ dicendum, nemo potest in dubium revocare.

2. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, ita opus bonum ex natura sua est vitæ æternæ meritorium. Repr. Quia prædestinatio est gratuita, & quantumvis Deus velit præmiare merita gloriâ æternâ, hoc gratis facit quantum ad intentionem prædestinationis; nulla enim merita, quantùm est ex se, sufficiunt ad comparandam gloriam, sed ex sola gratuita sua benignitate voluit Deus se obligare ad præmianda ita copiosè merita, quæ etiam sinè præmio, potuisset Deus relinquere, & absque mercede, sinè injuria creaturæ, quæ cum benè operatur, quæ præcepta sunt, agit id, ad quod obligatur; ideòque quantùm est ex vi bonorum operum, nullam potest prætendere remunerationem; ex quo sequitur, quòd opus bonum, quantum est ex natura sua, non sit vitæ æternæ meritorium; ubi è conversò opus malum, utique ex natura sua est pœnæ meritorium, quia justitia postulat, ut mala opera consequatur pœna, & dum creatura malè operatur, injuriam facit Creatori, ideò justè punitur; dum verò benè agit, præstat obsequium debitum Creatori, qui ad hoc creaturas ponit in esse, ut benè operentur, ideòque ex natura bonorum operum, non potest creatura prætendere vitam æternam, juxtà illud Euangelii Luc.17. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.*

Superfluum censui septuaginta novem propositiones adamussim reprobare; cum ad easdem refellendas, ferè integra confecta sit bibliotheca, ut jam penè ad nauseam prolixè scripserint plures Theologi, à decessu Baii usque ad hæc tempora. Earumdem propositionum insubsistentia, constat ex triplicata confixione contra ipsas, à tribus Pontificibus successivè promulgata, scilicet à Pio V. à Gregorio XIII., & Urbano VIII., quorum decretis præstat humiliter subscribere, cuicumque cum Ecclesia Catholica sapere, & sanam doctrinam profiteri desideranti; neque prætermittendum censeo (ut benignus lector animadvertat, quam consultò propositiones Baiianas, ex professo reprobandas non assumimus) quòd S.Pius V. has propositiones damnavit, absque declaratione, quæ nam unicuique propositioni censura conveniret, quemadmodum jam præstiterat Leo X. contra Lutherum; & Concilium Constantiense, contra Wicleffum. Certum est quod plures ex damnatis Baii propositionibus, nonnisi sanam Ecclesiæ doctrinam, apparenter continere videntur, ad quod animadvertens prælaudatus S.Pontifex, aliquas ex dictis propositionibus, posse quodammodo sustineri, in ipsamet Bulla asseruit, quæ non alia de causa damnatæ videntur, nisi quia nimis asperam oppositæ sententiæ continent censuram; sufficere autem hanc causam, ad configendam propositionem, ex eo satis patet, quòd si permitterentur propositiones, quæ asperam continent, oppositæ sententiæ non damnatæ censuram, essent continuum rixarum, & jurgiorum seminarium. Hinc jure meritò Summi Pontifices, qui pacem fovere in Ecclesia, & contentionis cujuscumque causam amovere enituntur, benè illas propositiones configunt, quæ licèt apertè hæreticam, aut scandalosam non contineant doctrinam, cæterùm nimis asperam, oppositæ sententiæ censuram, continere videntur, & viam sternunt ad jurgia.

IV. Balatius fuit Ægypti Dux circa annum 325., acerrimus Arianæ hæresis

refis fautor, qui cum pluribus tormentis Monachos, Virgines, Christi veritatis defensores persequeretur, tandem iram Dei super se expertus, ab æquo mansuetissimo dilaniatus decessit. Ex D.Athanas. in Vita S.Antonii.

XVI. Balduinus secta Lutheranus, in disputatione de Antichristo, nomine Antichristi intelligit Romanum Pontificem, quod & præstant ferè omnes Lutherani, & Calvinistæ. R. verbo *Povellus*.

XVI. Balthassar Pacimontanus. Dissensio est inter Scriptores, an verè hic fuerit Anabaptistarum Coriphæus. Certum est unum fuisse ex primariis Anabaptisticæ sectæ propagatoribus. Erat olim Doctor Theologus, eruditione, unà simul, ac pietate præclarus; sed in hæresim lapsus, sæpè palinodiam cecinit, itaùt ferè omnium ludibrium factus, ostiatim mendicus discurreret. In Moraviam profectus, novas turbas excitavit: qua de re Viennam perductus, ibi impœnitens comburitur, anno 1528. Ejus potiores errores, ex Prateolo collecti, sunt sequentes

1. Dicebat parvulis non prodesse Baptisma, quia usu rationis carebant, quarè nonnisi adultos baptizandos asserebat. R. verbo *Anabaptistæ*.

2. Docebat Christum naturam humanam ex Maria Virgine non assumpsisse. R. ex Symbolo Apostolorum. Item Luc.1 *Ecce concipies in utero, & paries Filium*; & ex his quæ dicentur contra Nestorium, ad probandum Mariam esse verè Dei Matrem, constabit Christum verè assumpsisse naturam humanam ex Virgine Maria. Omnibus insuper rationibus, quibus probant Theologi contra Judæorum perfidiam, existentiam Incarnationis, evincitur Christum naturam humanam, ex Maria Virgine assumpsisse. De Incarnatione Verbi, in utero Virginis facienda, prædixerunt omnes Prophetæ, & adeò sunt clara testimonia Scripturæ, ut superfluum sit rationes quærere, ad probandam veritatem, luce solis clariorem. Vide verbo *Albanenses*, *Anglus innominatus*.

3. Docuit in Eucharistia non esse verum corpus Christi. R. verbo *Calvinus*, & *Anabaptistæ*.

4. Dixit Sacerdotium esse abrogandum. R. Sacerdotium novæ legis est à Christo institutum, & idem est dicere Sacerdotium esse abrogandum, ac legem Euangelicam esse abrogandam, quæ sinè Sacerdotio non potest subsistere; patet enim quòd omnis Religio habet Sacrificium, & ubi Sacrificium, ibi Sacerdotium, sed lex Euangelica usque ad finem seculi est duratura, ergo, & Sacerdotium. Tum quia abrogato Sacerdotio, nulla ampliùs est potestas absolvendi à peccatis, quam solis Sacerdotibus Christus tradidit.

5. Dicebat homines nulli legi esse subjectos, neque ulli potestati. R. verbo *Adamitæ*, ubi ostensum est neminem esse à legibus immunem. Tum quia potestates sunt à Deo, & Deus præcepit nos subditos esse potestatibus, ut expressè habet D. Paulus. Tum quia nulla est natio licèt barbara, quæ alicui legi non sit subjecta.

VI. Baradatus Severi hæresim profitebatur. Contra Baradatum, & ejus socios, scripsit S.Ephræm Episcopus Antiochenus.

XV. Barbara Sigismundi Imperatoris conjux, animas cum corporibus mori asserebat. R. verbo *Arabes*.

Dicebat stultas esse, quæ virginitatem profitebantur. R. verbo *Elvidius*, & *Antimarianitæ*. Ex Ænea Sylv. in Hist. Bohem.

V. Barbas, Antiochenus Episcopus, referente Niceforo, circa initium seculi quinti Arianam hæresim professus, dixit Filium non esse consubstantialem Patri. R. verbo *Arius*.

XII. Barbeliotæ. Secundo currente seculo ex cænoso Valentini gurgite manavit Barbeliotarum, seu Borbonianorum hæresis, & impuritas, de quibus hæreticis Theodoretus sic scribit. Omnem improbam ratiocinationem, omnem denique execrabilem cogitationem superant, quæ ab illis tanquam divina peraguntur. Sufficit autem vel co-

cognomen, ad sceleratissimam eorum audaciam utcumque significandam; Borboriani ea de causa cognominati sunt. Porrò, quantùm liquet ex dicto Theodoreto colligere, ponebant Aeonem quemdam, ab interitu alienum, degere in spiritu virginali, quem nominant *Barbeloti*, à quo, ut ajunt, processit incorruptibilitas, & vita æterna. Barbeloti concepisse, & peperisse lucem dicebant, quæ vocatur Christus, cui Pater adjecit rationem. His & pluribus aliis fabulis, quas prosequitur narrare Theodoretus loco cit. totam sacrarum Scripturarum seriem, tam de mundi creatione, quàm de Incarnatione, imò & Trinitatis mysteria, pervertere conabantur, cum inter alia figmenta, ex primo Angelo conceptum esse Spiritum sanctum, proferrent.

II. BARDEZANES genere Syrius, Edessæ ortus, sub Marco Aurelio, & Antonino floruit, paulò post medium seculi secundi, vir fuit probitate conspicuus, & scientia præclarus, multa pro veritate tutanda scripsit, & plura perpeti paratum se obtulit; sed in Valentini schola educatus, famam suam, aliquibus erroribus probatis, contaminavit. De eodem etiam scribunt Theodoretus, & S. Augustinus. Eumdem confutavit S. Ephrem Syr.

1. Negavit mortuorum resurrectionem. R. verbo *Basilidiani*.

2. Dixit hominem non habere liberum arbitrium, & esse stellis, & fato subjectum. R. Ecclesiast. 15. vers. 14. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata, & præcepta sua, si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposui tibi ignem, & aquam: ad quodcumque volueris, porrige manum tuam*, Ex quibus, & aliis sequentibus verbis, clarè evincitur hominem esse liberi arbitrii, quod ipsa experientia comprobat in omni rationis compote, qui eligit quod sibi magis arridet in operationibus suis; electio autem est liberi arbitrii. Insuper psalm. 94. Irgitur; *Hodiè si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*; ergo est in arbitrio nostro sequi Dei vocem, vel obturare aures, & illam non sequi. Sæpè in sacris paginis Deus conqueritur de peccatoribus, quos vocat, & renuunt. Frustrà autem lamentaretur, quando homo non esset liberi arbitrii, ejusque peccata non possent homini imputari; sicut quia non est in electione nostra nobiles, vel ignobiles nasci, nemini imputatur ad culpam, quod nobilis, vel ignobilis prodeat in vitam. Nec valet opponere illud Jo: 15. *Sinè me nihil potestis facere*; nam ibi ostenditur necessarium esse, cum libero hominis arbitrio, Divinum præsidium, quod utique nunquam deest ad bonum faciendum. Imò & ad malum ipsum materialiter, sivè quatenùs bonum physicum est, Deus concurrit tanquam causa prima, sinè cujus concursu, causa secunda nequit exire in actum: Idem à pari dicendum de illo, quod legitur Jo: 6. vers. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; Non enim *traxerit* significat, ut volunt hæretici, hominem cogi à Deo ad benè operandum, sed necessarium esse Divinum auxilium. Cæterùm si trahente Domino homo cogeretur, dicendum foret, quòd quotiès Deus trahit, homo necessariò sequi debeat Deum trahentem. Constat autem hominem voluptate trahi, sicut & voluntate: juxtà illud: *Trahit sua quemque voluptas nullo detrimento voluntatis*. Vide S. Augustin. tract. 26. in Joannem. Ex dictis facilè est solvere alias objectiones, quas ex Scriptura adducunt hæretici, ad impugnandum liberum arbitrium.

XIV. BARLAAMUS. Sub Henricò Imperatore, & Joanne XXII. Pontifice, eamdem cum Accindino professus est impietatem. Vide verbo *Accindinus*.

VI. BARSANIANI, de quibus scribit S. Jo: Damascenus, dicti etiam *Semidalita*, descenderunt à Barsonio, Gajanorum, & Theodosianorum dogmata propugnabant, sequenti addito figmento, ut à reliquis Theodosianis, & Gajanitis dignoscerentur.

In sacrificio modicum farinæ extremo digito

digito apponebant, nec aliud erat donarium, vel oblatio, sed istud erat sacrificium, quod Deo offerebant: quo fundamento, hunc novum sacrificandi modum invexerint Barsaniani, judicet lector.

XII. Haeretici de Barulo, de quibus Sanderus haeresi 144. in duobus potissimùm erraverunt.

1. Censebant animas ante mundi constitutionem creatas fuisse, & ex tunc peccasse. R. Quia nulla fit mentio de creatione mundi in sacris paginis, ex quibus contrarium evincitur, juxtà illud Geneseos. *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae*. Tum quia si animae creatae essent ante mundi constitutionem, dici etiam posset esse creatas ab aeterno, sed animas ab aeterno esse creatas non est qui asserat. Tum quia cum anima sit actus ad humanum compositum constituendum, creatur cum potest actuare, ideòque creatur, cum infunditur in corpus organizatum; Tum quia si animae creatae fuissent ante mundi constitutionem, adstitissent in creatione mundi, sed in Genesi nulla fit hac de re mentio; imò nec à tot seculis ulla anima in corpore vixit, quae aliquandò, datave quacumque occasione, sive attendendi motivo, talium rerum recordaretur: unde ergo hujusmodi commentum habent illius assertores? Scio Macrobium, & alios Platonicos excogitasse tantae oblivionis causas; sed tales quidem, ut sola earum lectione appareat, mera esse figmenta hominum, à Divinae fidei lumine remotorum.

Demùm declaratum est in Conc. Later. 4. & 5. animam creari, cum infunditur in corpus; nec valet instare dicendo *Nihil sub sole novum*, ut astruatur animas creatas esse omnes simul, quia Ecclesiastes, non intellexit de creatione singulorum individuorum, cum dixit *nihil sub sole novum*, sed voluit significare, rerum omnium idaeas praecessisse in mente Divina, quoniam Deus ab aeterno videt omnia, & continet tempora in aeternitate sua; vel intendit exprimere successionem circularem rerum sensibilium.

2. Dicebant Christum corpus caeleste assumpsisse, non autem humanam carnem ex utero Virginis. Rep. verbo *Albanenses*.

XVI. Bartholomaeus Bernhartus Praepositus in oppido Remberg. propè Witembergam, primus fuit, qui sequens doctrinam Carlostadii, docentis in libro ab ipso inscripto: *De Conjugio Sacerdotum*, licitum esse Sacerdotibus nubere, uxorem duxit anno 1522. ideò inter haereticos primarios, hac de causa reponendus, quippe, qui licèt haeresim non instituerit, primus tamen factis probaverit, quem postmodùm plures, sensu impellente, sunt imitati.

XIV. Bartholomaeus Janovesius Majoricanus, librum composuit, in quo sequentes errores detecti fuerunt ab Eymerico Aragoniae Inquisitore, qui librum publicè cremari jussit, sed Bartholomaeum poenitentem Ecclesiae gremio restituit anno 1539. Ex Spondan.

1. Dicebat anno 1560. Antichristum venturum, quem reprobat, praeter experientiam, illud, quod legitur Act. cap 7. *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate*.

2. Omnes Christianos ab Antichristo ita pervertendos, ut damnationem nullatenùs fugere possent. R. Christiana Religio perseverare debet usque ad extremum judicium, & plures perseverantes in fide se opponent Antichristo, ut colligitur ex ipsa Scriptura, praesertim in Apocalypsi; ergo falsum est, quod Antichristus debeat pervertere omnes Christianos.

3. Omnes haereticos cujuscumque sectae, extincto Antichristo, iterùm debere ad Christum converti, non autem Christianos, semel ab Antichristo seductos, posse iterùm converti. R. In tali casu videretur melior haereticorum, quàm Christianorum conditio. Tum quia extincto Antichristo fiet unum ovile, & unus pastor, ergo Christiani multi perseverabunt in fide. Sed haec Janovesii figmenta, manifesta ita per se apparuerunt, ut nullum habuerint

patrocinatorem, præter ipsum Janovesium, qui cum suarum assertionum insufficientiam dignosceret, & ipse eadem est detestatus.

I. Basilidiani à Basilide genere Alexandrino, Saturnini condiscipulo, Menandri auditore, ortum habuerunt. Profectus in Ægyptum, ibi suas impudentissimas hæreses disseminavit, additis, supra præceptorum suorum Simonis, & Menandri blasphemias, novis erroribus, & figmentis, quæ ut sustineret, S. Matthiæ doctrinam se profiteri asserebat, quam à quodam nomine *Glaucias*, quem etiam præceptorem habuit, se didicisse effutiebat. Eò arrogantiæ devenit, ut ausus sit componere Euangelium, suoque nomine illud inscribere, ut refert Origenes homil.28. in Matth. Ejus secta, in qua omnes permittebat impuritates, usque ad quintum seculum perduravit. Filium habuit nomine *Isidorum*, qui Patris impia dogmata sustinuit. Scripserunt adversùs ejus errores S.Ignatius Martyr, Irenæus, Clemens Alexand., & S. Epiphanius. Ejus autem errores sunt sequentes, quos divulgavit seculo primo, decessit autem ineunte secundo, sub Imperio Adriani.

1. Ingenitum Aeonum principium adstruebat, sive summam virtutem, quam barbaro vocabulo vocabat *Abrasax*, à qua dicebat procreatam mentem, à mente Verbum, à Verbo prudentiam, à prudentia virtutem, & sapientiam, ab utraque conditos fuisse Principatus, Potestates, & Angelus; ab his conditum supremum cælum, & alios Angelos propagatos; ab illis alium cælum creatum, & alios Angelos, atque ita deinceps donec 365. cæli perfecti essent. R. Nam licèt virtutis ingenitæ nomine intelligi possit Deus, non tamen sub nomine *Abrasax* reperitur Deus in sacris paginis; neque Deus procreavit mentem, nec à mente procreatum est Verbum, quia Verbum procreatum non est, sed genitum, & creatio dicit novæ naturæ productionem ex nihilo. Insuper creatam esse à Verbo prudentiam, à prudentia sapientiam, purum est figmentum; nam Deus est ipsa prudentia, & sapientia. Esse Angelos à solo Deo creatos, cui soli competit virtus creandi neque posse creare, probatum est contra Arnaldum Brixiensem. Demùm contra ea, quæ leguntur in Gen. de creatione mundi, & cælorum: contra initium Euangelii S.Joannis, sunt Basilidiana figmenta.

2. Ab Angelis creata censebat hæc omnia inferiora. R. ex Euangelio Joannis: *Omnia per ipsum, idest Deum, facta sunt*. Tum quia Angeli non habent virtutem creandi, ut supra diximus. Tum quia Deus omnium Creator proclamatur in sacris paginis. Tum quia qui creat dat primum esse rei, sed creatura non potest dare primum esse creaturæ, cum ipsa non habeat primum esse à se, sed à Deo, ergo solus Deus, qui est à se, potest dare primum esse rebus, & eas creare ex nihilo. Vide verbo *Arnaldus Brixiensis*, *Angelici*, *Archontici*.

3. Somniavit Deum Judæorum esse Angelum creatum, contra quem Pater miserit Filium, scilicet Christum, ut homines à potestate Angelorum, mundi hujus conditorum, liberaret.

4. Dixit Christum, solùm apparenter assumpsisse carnem, & Simonem Cyreneum fuisse pro Christo crucifixum, quem Simonem, à Christo in suam figuram commutatum, asserebat. R. verbo *Albanenses*.

5. Martyres non mori pro Christo, sed pro Simone Cyreneo, ideò damnavit martyrium.

6. Credendum non esse in Christum crucifixum, sed in eum, qui visus est crucifigi, scilicet in Simonem Cyreneum. R. hæc omnia figmenta, quæ procedunt ex falso principio, quo Basilides credebat Simonem, non Christum fuisse crucifixum; sed cum de facto Christus sit crucifixus, ut ipsemet protestatur: *Ego pono animam meam*, corruunt præfata deliria: & certè Christum, non apparenter, sed realiter incarnatum, & mortuum, constat Jo:1. *Verbum caro factum est*; ex eiusdem epist.1.

epist. 1. cap 4. *Qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est*; ad Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem*. Tum quia si Christus non esset realiter incarnatus, cum de Incarnatione Verbi tot legantur manifestæ Prophetarum prædictiones, adhuc deberemus expectare Messiam, quem de facto realiter venisse, non apparenter, evincunt sacræ paginæ novi Testamenti. Tum quia si Christus solùm specie tenùs suscepit carnem, ergo solùm specie tenùs nos redemit; quid autem clarius colligi potest ex sacris paginis, quàm Christum nos verè redemisse? Tum quia si Christus putativè homo dicitur, etiam putativè poterit dici Deus, cum æquè evidenter Scriptura afferat Christum fuisse hominem, ac Deum. Tum quia non erubuit homo videri, ergo realiter natus est, ergo realiter per triginta tres annos, cum hominibus est conversatus. Nec valet dicere, quòd in sacris paginis legitur, Deum misisse Filium in similitudinem carnis peccati, in similitudinem hominum factum, ergo solùm specie tenùs, non realiter Christum fuisse hominem; nam in Scripturis nomen *similitudinis*, frequenter accipitur pro veritate rei; dictus autem est Christus in similitudinem hominum factus, non quia non fuerit de facto verus homo, sed quia ineffabili modo, & diverso conceptus est, ac concipiantur homines. Cæterùm fuit in omnibus nobis similis, quantùm spectat ad habendam essentiam naturæ humanæ. Insuper non valet dicere, Christus carnem damnavit, ergo veram carnem non assumpsit; damnavit siquidem opera carnis, non naturam humanam. Vide verbo *Agareni*.

7. Negavit futuram corporum resurrectionem. R. ex 1. ad Cor. 15. ver. 13. *Si autem resurrectio mortuorum non est: neque Christus resurrexit. Omnes quidem resurgemus &c.* Insuper ex 2. ad Tim. cap. 2. Job. 19. Jo. cap. 11. ex Symbolo Apostolorum, ex Conc. Constantin. Basilidis error reprobatur. Tum quia resurrectio corporum fieri potest à Deo; est conveniens, quia Deus creavit totam naturam humanam ad sui gloriam, ergo tota debet glorificari; ergo de facto corporum resurrectio est futura. Tum quia congruum est, ut corpora nostra, quæ sunt templum Dei resurgant. Tum quia Christus in carne resurrexit, ergo etiam nos in carne debemus resurgere; pignus enim resurrectionis nostræ est resurrectio Christi. Tum quia anima per carnem Sacramenta suscipit, per carnem coronatur martyrio, & exercet plures alias virtutes, ergo debet cum carne resurgere; de qua resurrectione adeò clarè vaticinati sunt Prophetæ, maximè Ezechiel cap. 37. Tum quia homo totus à Deo judicari debet sicut vixit, sed vixit in carne, ergo debet judicari in carne. Nec valet opponere contra resurrectionem carnis, illud 1. ad Cor. 15. *Caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt*; nam ibi Apostolus intelligit de corpore per se sumpto, non vero cum anima unito, quod utique per suas dotes, quas acquiret, eo modo quo poterit, possidebit regnum Dei: vel dicendum Apostolum intelligere de illis, qui carnaliter, & more animalium vivunt, qui utique regnum Dei possidere nequeunt.

8. Prophetias fuisse ab Angelis factas, legem verò à principe Judæorum. R. Nam ex ipsis Prophetiis intelligitur Deum locutum fuisse per os Prophetarum, & unus est legifer noster Christus, qui venit legem gratiæ dare mundo, ut per ipsius observantiam salva fieret omnis caro, & liberaremur à graviori jugo legis Mosaycæ. Deinde ex 2. Petri 1. 21. constat catholica assertio.

9. Nova Angelorum nomina est adinventus, quæ refert Irenæus lib. 1. adversus hæreses cap. 23.

10. Asseruit animas in altera vita peccasse, propterea hic pati supplicium. R. Ex eo quod supra diximus, animas creari cum infunduntur corpori, ergo non potuerunt in alia vita, quam non habuerunt, antequam corpori infunderentur, peccare. Vide D. Augustinum lib. 11. de Civ. Dei cap. 23.

11. Non

11. Non omnia peccata dimitti à Deo, sed solùm involuntaria. Repr. ex iis quæ dicentur contra Sacramentarios, de efficacia confessionis. Tum quia actiones involuntariæ non sunt per se peccaminosæ, ergo dicendum est, vel nulla, vel omnia dimitti posse à Deo, qui Petrum docuit dimittere usque septuagies septies, ideſt quotiescumque peccator ad Sacramentum Confessionis accederet. Tum quia si peccata voluntaria non dimitterentur à Deo, cum nullum sit peccatum, nisi voluntarium; ergo nulla esset remissio peccatorum: ergo desperata esset omnium peccatorum salus; ergo Sacramenta nullam haberent efficaciam. Sed verè peccata etiam turpissima condonari à Deo per pœnitentiam, habetur Isai. 1. 18. & sæpiùs in Scripturis.

12. Fidem esse proprietatem, & dotem naturæ. R. Nam hoc posito, etiam nostra fides debuisset esse ante Christi adventum cognita, cum ad ipsam habendam, requiratur sola naturæ potestas; ergo sinè prædicatione euangelica poterit haberi cognitio mysteriorum fidei; sed sinè speciali illuminatione à Deo facta, & sinè prædicatione, legimus neminem habuisse cognitionem fidei, ergo ad fidem habendam sola naturæ vis non sufficit. Tum quia naturæ vis ex se non extenditur ad invisibilia; ergo non poteſt ex se fidem attingere, quæ eſt argumentum non apparentium. Deinde ex Euangelio: *Caro, & sanguis non revelavit tibi, sed &c.*

13. Non esse alias peccatorum pœnas, nisi transmigrationes animarum. R. ex iis, quæ dicta sunt contra Albigenses, ubi ostendimus animas post mortem non informare aliud corpus, nec nobilius, nec ignobilius, pro diversitate meritorum, vel peccatorum; & ex iis, quæ dicentur contra Millenarios, ubi ostendemus, animas post mortem statim deputari vel ad pœnam, vel ad gloriam. Tum quia involvit contradictionem transmigratio animarum de corpore ad corpus; nam sequeretur unam animam posse simul beari, & damnari; beari siquidem in suppositione, quòd in uno corpore benè vixisset, in alio verò peccata commisisset. Vide S. Auguſt. lib. 10. de Civit. Dei cap. 30. & lib. 12. cap. 26.

14. Discipulos suos, tempore persecutionis, docuit Deum negare, nec proinde peccare contra illud Scripturæ: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo*, adducens pro ratione, quòd illi tantùm sunt homines, qui Basilidianam doctrinam sequuntur, alios verò, qui ab ipsa recedunt esse canes, ideò nec peccari, negando Deum coram aliis. Verè beluino more locutum esse Basilidem, satis perspectum est, qui dogmata docens, potiùs brutalia, quàm humana, eò dementiæ devenit, ut quoscumque à sua doctrina recedentes, belvas esse effutiret.

15. Suis discipulis, cum primùm se illius in disciplinam tradebant, quinquennii silentium præcipiebat; ratio hujus præcepti erat, quia videns quam nefaria essent sua dogmata, timebat ne evulgarentur.

16. Usum ciborum Idolis immolatorum indifferentem esse sustinuit. R. Quia manducare immolata videtur approbatio superstitionis, & communicatio cum idololatris. Exempla etiam habentur in sacris paginis Sanctorum virorum, qui potiùs elegerunt mori, quàm contaminari, manducando cibos vetitos, vel Diis gentium immolatos. Legendi hac de re Macchabæorum libri, in quibus hujusmodi exempla describuntur.

17. Magicis artibus, maleficiis, & incantationibus deditus erat. R. ex sacra Scriptura Exod. 22. *Maleficos non patieris vivere*, Levit. 19. *Non declinetis ad magos, neque ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. Ego Dominus*. Item Levit. 20. Deuter. 18. Eccles. 14. reprobantur magi, malefici, & incantatores.

18. Novos Prophetas, quòs vocabat *Barasban*, & *Barocph*, ad errores suos nobilitandos excogitavit, de quibus cum nulla sit in sacris paginis mentio, satis constat fuisse figmenta,

19. Di-

19. Dixit quemlibet coitum esse licitum. R. verbo *Florinus*.

Basilius. Vide *Bagomili*.

IV. Basilius Episcopus Anciræ, Semiarianorum caput. Vide *Semiariani*.

V. Basiliscus Imperator Tyrannus, & hæreticus, Ecclesiæ persecutor constitutionem promulgavit contra Concilium Chalcedonense, quod rejecit. Plura de eodem videre est apud Baronium.

II. Bassus. Tres insignes hæresiarcas habuit præceptores, Cerinthum, Ebionem, & Valentinum, circa medium secundi seculi, sub Antonino Pio, & Hygino Summo Pontifice; præter errores Magistrorum, quos profitebatur, hunc de novo addidit, teste Philastrio.

Rerum omnium perfectionem, unà cum vita, & generatione hominum, in viginti quatuor litteris, & septem astris constituebat, non autem in omnipotentia, & providentia Dei; ideò negabat spem veræ salutis constituendam esse in majestate Christi, & filium Dei dicebat non assumpsisse carnem, ut hominem liberaret. R. Et quidem Deum omnium esse creatorem, satis proclamant sacræ paginæ; Christum autem pro omnium salute incarnatum esse, & omnium esse Redemptorem, pro omnibus sanguinem fudisse, constat ex illo Joan:3. *Misit Deus filium suum. ut salvetur mundus per ipsum*, ex 1. Pet. cap.3. ver.18. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis*. Ex 1. ad Tim. cap.1. ver.15. *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum*. Ad Cor.2.cap.5. ver.15. *Pro omnibus mortuus est Christus*. Ex Symbolo Nicæno *Propter nostram salutem descendit de cælis*. Tum quia Christus solvit, mediante pretio sanguinis sui, debitum nostrum; ergo verè est omnium Redemptor. Tum quia Christus est secundus Adam, ergo sicut primus Adam omnes perdiderat, secundus Adam debuit omnes salvos facere, juxtà illud ad Timot. 1. cap.2. vers.5. *Unus mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus qui dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus*; & alibi: *Qui venit salvum facere quod perierat*. Certum est beneficium redemptionis commune esse omnibus, quantùm ad ejus sufficientiam; viderint ipsi qui se volunt à beneficio communi excludere, negantes Christum esse omnium Redemptorem. Objectiones quæ contra fieri solent, commodiùs solventur verbo *Jansenius*.

XVI. Battemburgici ducem habuerunt Joannem Battemburgum, secta Anabaptistam anno 1550. Librum edidit, inscriptum: *Nova practica gerendi bellum*, in quo docet detestari pacem, & omnes ad arma, & seditiones excitat, ad cædes, ad incendia, ad vastationes: qua de causa, asserit Lindanus, quod cæteri Anabaptistæ adeò nefandum virum ex sua secta prodiisse erubescant, negantes Battemburgicos suæ esse synagogæ. Vix quid magis à Deo pacis inculcatum, quàm pacem, videre est in sacris paginis.

IV. Baucalis Alexander, hoc cognomen adeptus, ex superexcrescentis carnis pondere, in dorso ejus collecto, testacei vasis forma, quod Alexandrini vernaculo sermone *baucalam* nominare solent, primus auctor creditur Arianæ dissensionis, circa annum 315. Dicunt enim, quòd cum Baucalis prælatum sibi honore Arium ægrè ferret, novitatem dogmatis illi adscripserit, quo Filius consubstantialis Patri negatur, & in tempore genitus adstruitur. Facta est dissensio inter Baucalem, & Arium, quos Alexander Alexandriæ Episcopus ad sanam mentem, & concordiam, sed frustrà, reducere studuit; quare utrumque anathemate percussit, referente Niceforo Eccles. hist. lib.8.

XV. Bedricus. Ex Adamitarum secta, in diversas divisa factiones, prodiit Orebitarum hæresis, cujus dux refertur Bedricus Presbyter, natione Moravus, qui publicè uxorem duxit. Sectæ, ab Adamitis in Germania propagatæ, aliquando inter se dissentientes præliabantur, ubi tamen externa vis ingrueret, junctis viribus sese defendebant. Maximè oderant Teutones, quorum

rum

rum alios Philisthæos, alios Idumæos, alios Moabitas vocabant. Bohemiam verò terram promissionis esse asserebant. Orebitarum tandem errores, cum Adamitis communes fuerunt, & solo nomine discreparunt. Ex Spond.

XIII. Beguardi. A' quo hoc nomen sortiti sint incertum: sub ementita professione religiosa, per inferiorem Germaniam grassari cœperunt, in fine seculi 13. quorum sequentes errores seculo 14. sub Clemente V. in Concilio generali Viennensi damnati fuerunt. Beguardorum ducem aliqui faciunt Bogonatum, Musantius *Fax chron.* vel Bononatum *hist. haeret. Van Ranst.* Spondanus credit ab idiotis viris propè Coloniam habuisse originem, qui sinè Apostolicæ Sedis facultate, propria temeritate, sub umbra paupertatis, novam religionem inducere ausi sunt, quos Henricus Archiepiscopus Coloniensis condemnavit: Beguardorum errores sunt.

1. Homo in hac vita, tantum perfectionis gradum potest acquirere, ut reddatur penitùs impeccabilis, & ampliùs in gratia proficere non possit. R. ex Scriptura, quæ nos docet semper timere, ne offendamus Deum: *Beatus homo, qui semper est pavidus*, & D. Paulus nos hortatur cum timore, & tremore operari in iis, quæ ad salutem pertinent. Certè si homo posset tantum perfectionis acquirere, ut redderetur penitùs impeccabilis, contra præfata, & plura sacræ Scripturæ testimonia, deberet omnem abjicere timorem. Tum quia hinc oriretur damnabilis præsumptio sui ipsius; nemo autem potest de sua salute præsumere; quis enim scit utrum parcat, & ignoscat Deus? tantùm sperare debemus ratione suæ infinitæ misericordiæ, non autem hoc licet præsumere, confidentes in nostra perfectione: falsum itidem est, quod homo tantum perfectionis gradum possit acquirere, ut in gratia ampliùs proficere non valeat; dicit enim Scriptura: *Qui justus est, justificetur adhuc*. Tum quia certum est per dignum accessum ad Sacramenta, & per opera meritoria augeri gratiam; sed homo quantumvis perfectus potest, imò debet ad Sacramenta accedere, & opera meritoria exercere; ergo potest majorem gratiam acquirere; Cæterùm dicendum esset Sacramenta in homine justo non conferre gratiam, & superfluum esset exercitium bonorum operum in homine perfecto; tantùm autem abest, quod sit superfluum, ut quò magis homo perfectus est, eo ardentiùs in bonis operibus exerceatur; nec valet dicere cum Beugardis, quod si homo semper posset proficere, posset ad Christi perfectionem pervenire; nam perfectio Christi, ratione unionis hypostaticæ est infinita, quam nulla pura creatura potest attingere.

2. Natura humana intellectualis propriis viribus, sinè lumine gloriæ, & gratiæ, potest beatitudinem consequi in hac vita, ità perfectè sicut in patria. R. Isaiæ 64. ver. 4. *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te*. Ad Rom. 6. vers. 23. *Gratia Dei, vita æterna*. Tum quia si homo suis viribus posset videre Deum, visio beata non esset merces: unusquisque posset ex natura sua esse beatus. Sequeretur insuper contra Scripturam, beatitudinem perfectam non esse in cælis, sed haberi posse in terris. Nec valet dicere, quod Deus continetur intra *objectum* intellectus creati, quod est ens verum, ergo potest naturaliter videri; nam licèt Deus sit ens intelligiblle, non est tamen objectum proportionatum intellectus creati, sed super excellens, ideò debet intellectus adjuvari à lumine gloriæ, ut videat Deum; sed satis constat intellectum se solo non posse videre Deum, cum si hoc esset possibile, unusquisque propriis viribus eniteretur, ut posset frui tanto bono, scilicet Dei visione; quantumcumque autem quis enitatur videre Deum, si non sit à lumine gloriæ elevatus, constat non posse ad hanc visionem assurgere. Vide S. Thom. 1. par. tota quæst. 12.

3. Dicebant esse peccatum mortale osculari fœminam, quia ad hoc natura non inclinat, non autem esse peccatum for-

fornicari, quia est secundùm inclinationem naturæ. R. Quia si peccatum mortale sunt oscula, & tactus impudici, à fortiori erit peccatum fornicari, quoniam fornicatio excitat ad oscula, & tactus, & viceversa hæc sunt dispositiones ad illud, sed est peccatum mortale agere, quæ excitant ad peccatum mortale, ergo cum fornicatio excitet ad oscula, fornicatio erit peccatum mortale. Sed non indiget reprobatione hæc nova Beguardorum pseudo Theologia, à Patre luxuriæ dictata.

4 Hominem in perfectionis gradu constitutum, non teneri obedire Ecclesiæ præceptis. R. Quia perfectio hominis in eo consistit, quod usque adeò studiosè tendat in observantiam mandatorum, ut abneget seipsum; ergo perfectio hominis non absolvit ab observantia mandatorum, sed potiùs ad exactè observandam legem inclinat. Tum quia ex hac Beguardorum pseudo Theologia, sequitur perfectionem consistere in imperfectione, ut patet. Sequitur magis impium censendum esse magis perfectum: hæc & similia absurda sequuntur ex præfatis, & sequentibus Beguardorum erroribus, in quibus asserebant.

5. Quòd homo perfectus habet sensualitatem ità perfectè spiritui, & rationi subjectam, ut non ampliùs opus habeat orare, vel pia opera exercere. R. ex pluribus Sacræ Scripturæ textibus: *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc*: *Oportet semper orare, & non deficere*: *Sinè intermissione orate*: de necessitate verò orandi doctè agit Card. Roffens. Tum quia imperfectio valde perniciosa est, & superbia summa, se perfectum credere in hac vita, in qua hortamur semper æmulari Charismata meliora. Tum quia alibi in sacris paginis hortamur semper instare ferventi orationi. Tum quia perfectio christiana, sinè bonis operibus mortua est, idest nulla esse perhibetur, & odio habet iniquitates, quibus indubitanter coinquinatur quisquis concedit corpori quidquid libuerit; imò corpus debet in servitutem redigi, juxta doctrinam Apostoli, quam proprio comprobavit exemplo; ex quibus satis patet, quàm sint bestiales, & à ratione alienæ sequentes propositiones.

6. Hominem perfectum, concedere posse corpori quidquid libuerit.

7. Quòd se in actibus virtutum exercere, est hominis imperfecti.

8. Quòd perfecta anima licentiat à se omnes virtutes.

9. Quòd cum elevatur Eucharistia, non oportet illam adorare, quia dicebant, imperfectionem esse contemplationis altitudine indignam, attendere ad mysteria humanitatis Christi, & ad Sacramentum Eucharistiæ. R. ex omnibus SS. PP., qui de adoratione huic debita Sacramento nervosè scripserunt. Cultu latriæ adorandam esse Eucharistiam definivit Conc. Trid. sess. 13. cap. 5. De hujusmodi Sacramento intelligitur illud Davidis psalm. 21. vers. 30. *Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ, in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram*. Tum quia Deus est adorandus, sed Christus existens sub speciebus Eucharisticis verè est Deus, ergo adorandus. Nec valet dicere cum hæreticis, nullum extare præceptum in sacris paginis de adoranda Eucharistia, quia stat pro verbo Dei sola traditio Apostolica: Tum quia Christus in carne adoratus est ab Apostolis; sic D. Thomas dixit ad Christum: *Dominus meus, & Deus meus*. Tum quia non est opus expressis verbis præcipere, quod ex ipso naturæ lumine innotescit, sed lumen naturæ dictat Deum esse adorandum, ergo etiam Christus, qui est Deus. Supposito igitur lumine fidei, per quod infallibiliter nobis innotescit Christum esse Deum, evidenter deducitur Christum esse adorandum. Tum demùm humanitatem Christi adoraverunt Magi, ergo cum vera humanitas Christi sit in Eucharistia, hæc de facto est adoranda: nec est indignum altissimæ contemplationis attendere ad mysteria humanitatis, dum Christus in Eucharistia adoratur, quandoquidem ad renovandam incarnationis, passionis, & mortis suæ memoriam, per quam redempti sumus, Christus instituit hoc

hoc Sacramentum; unde dixit: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.*

XIV. Beguini in eadem constitutione Joan. 22. sunt cum Beguardis proscripti. Gaulterius verò distinguit à Beguardis. Emerserunt autem sub initio seculi 14. eodem tempore quo Beguardi, Ecclesiam infestantes sequentibus erroribus, præter quos, etiam aliquos superstitiosos ritus habebant. Cujusmodi erat in suis Oratoriis humi sedere, verso ad orientem vultu orare, & oculos in cælum non levare, & similia. Sunt itaque, qui inter Beguardos, & Beguinos discrimen faciunt, eandem tamen fuisse sectam crediderim, progressu temporis in deteriores errores, quam in initio suæ institutionis prolapsam: juxta illud *abyssus abyssum invocat*: cujus sectæ professores, alibi Beguardi, alibi Beguini sint nuncupati.

1. Dicebant non licere his, qui Christianam Religionem profitentur possidere aliquid, nec in commune, quoniam Christus, & Apostoli (dicebant) nihil possederunt, vel proprium, vel commune. R. verbo *Apostolici*.

2. Summum Pontificem non posse dispensare in regula S. Francisci asserebant. R. Ex Scriptura, quandoquidem Christus dedit Pontifici auctoritatem ligandi, & solvendi. Tum quia regula S. Francisci non magis obligat, quàm obligent præcepta Ecclesiastica, sed in iis potest Summus Pontifex dispensare, ubi urget causa; ergo &c. Tum quia regula S. Francisci est approbata à Pontificibus, ergo possunt dispensare in eo genere vivendi, quod ipsorum est approbare, vel reprobare.

3. Dicebant statum Fratrum Minorum, perfectiorem esse statu Episcoporum. R. Quia Episcopi in sacris Scripturis vocantur Apostoli. Sunt superiores cæteris quibuscumque Presbyteris in Ecclesia, ergo sunt in statu exigente majorem perfectionem; quò enim quis magis sublimatur in Ecclesia, eò magis perfectioni studere tenetur. In Episcopis est jus consegrandi Sacerdotes; tenent in Ecclesia locum Apostolorum; repræsentant Christum secundum majorem perfectionem, quàm Presbyteri. Episcopus dicitur specialiter sponsus Ecclesiæ, ergo status Episcopalis est status majoris perfectionis, quam simplex status Religiosus; quòd etiam constat ex virtutibus, quæ in Episcopo debent elucere, quas enumerat D. Paulus ad Tim., & ad Titum. Quinimò Religiosorum status est *proficientium*; status verò Episcoporum est *perfectorum*. Vid. S. Thom. 2. 2. qu. 184. art. 7.

4. Asserebant Papam non posse in voto simplici dispensare, neque pro bono pacis, vel ad conversionem Regni. Propositio adeò erronea reprobatione non indiget; quia non esset bene provisum Ecclesiæ, nisi haberet Ecclesia potestatem dispensandi in necessitatibus: præterquamquod his de causis Pontifices, à Populis exoratos, dispensasse aliquando, certum est; & veritatem hanc, quicumque rationis compos, facilè sibi potest persuadere.

5. Dicebant neminem teneri respondere ad interrogationes Inquisitorum, nisi versentur circa articulos fidei, vel Sacramentorum. R. Quia Inquisitores sunt judices specialiter ab Apostolica Sede delegati; sed tenemur obedire judicibus; ergo &c.

XIV. Beguinæ. Sermo non est in præsenti de Beguinis, quæ juxtà constitutiones sibi traditas à S. Bega, S. Geltrudis sorore, vel ut alii opinantur à quodam pio, sanctoque Presbytero, Lamberto Bego nuncupato, vivunt in Belgio, sed sermo est de Beguinis, quæ à quamdam Margarita Porreta ex Hannonia, ortum duxisse creduntur. Hæc librum composuerat, multis refertum erroribus, in quo præter alia dicebat animam annihilatam in amore Conditoris, sinè ullo conscientiæ metu, aut morsu, posse, & debere naturæ indulgere, quidquid appetit, & desiderat; qui error verbo *Molinistæ* reprobabitur. Fuit autem Parisiis combusta, eo quòd errores suos retractare noluerit. Beguinæ itaque, quas aliqui à dicta Porreta ortum habuisse credunt

dunt, tempore Begnardorum, sub emen tio statu moniali degebant, sinè emissione aliqua votorum, liberè recedentes à suscepto statu quandocumque libèret, Beguardorum imbutæ erroribus, quorum institutum in *Clementina*, fuit etiam penitùs proscriptum.

XVI. BELLIANI originem habuerunt à Bellio Montfortio; secta verò sunt Confessionistæ rigidi, & Semilutherani: prodierunt anno 1556. Scripsit Bellius contra Calvinum, ut authumare videtur Lindanus. Sunt qui asserant, hanc sectam fuisse imaginariam, & hoc nomen sortitos esse quosdam defensores cujusdam libri, cui titulus: *Martinus Bellius*, in quo auctor sustinere nititur, hæreticos non esse persecutionibus vexandos; quæ opinio reprobabitur verbo *Confœderati*.

XVI. BENEDICTUS ARETIUS an. 1560. in problematibus Theologicis; per descensum Christi ad inferos, interpretatur manifestationem de adventu Christi, factam malis spiritibus. R. ex Symbolo Apostolorum, in quo expresiè habetur, quod Christus descenderit ad inferos. Vide verbo *Bucerus*.

2. Ad cap. 21. Joannis vertit in dubium, an Christus ingressus sit ad Apostolos januis clausis. Repr. ex aperto Scripturæ testimonio, quod de hac re dubitationi locum non relinquit.

3. Parte secunda problem: asserit Christum esse solùm Redemptorem electorum: nec Deum velle omnes homines salvare, sed tantum aliquos. R. verbo *Prædestinationi*.

4. Super Lucam pag. 332. solùm symbolicè Christum esse in Eucharistia videtur asserere, & consequenter negare videtur realem existentiam corporis Christi in Eucharistia. R. verbo *Berengarius*.

XVI. BENEDICTUS TALMANUS in libro ab ipso exarato anno 1578. cui titulus *Assertio vera finei* pag. 3. scribit Deum non posse efficere, ut Christi corpus sit in uno loco circumscriptum, definitum, visibile, & palpabile; alibi autem incircumscriptum, indefinitum, invisibile, impalpabile: ideò pag. 94. dicit per panem Eucharisticum, solùm nobis obsignari beneficia Christi. R. Quia contradictionem non involvit idem corpus esse in pluribus locis, ut efficaciter sustinent plures Philosophi, ergo neque à fortiori illam involvit efferere, quod idem corpus in uno loco sit circumscriptum, non in alio; quia esse in uno loco definitè, in alio indefinitè, in uno incircumscriptè, in alio non, nullam dicit implicantiam ex intrinsecis principiis rei, quæ sic ponitur, quod probatur; nam creaturæ omnes habent potentiam obedientalem ad ea, quæ non implicant ex intrinsecis principiis, sed esse in uno loco definitè, in alio indefinitè, non implicat ex intrinsecis principiis, quia per hunc diversum, & simultaneum existendi modum, non variatur essentia rei, sed variatio se tenet respectu diversorum locorum; ergo &c.

XV. BENZENHAGEN. Joannes Vvolini in Pomerania ortum habuit anno 1485. Sacerdotio initiatus, inter celebriores scientificos sui ævi habebatur: Lutheri librum legens de captivitate Babilonica, de Luthero malè sensit, sed postmodùm mutato sensu, Luthero irrevocabiliter adhæsit; quem sinè intermissione, ubique commendans: usque ad Lutheri tempora mundum ignorantiæ tenebris obnubilatum asserens, ejusdem erroneam doctrinam pluribus in Germaniæ Provinciis primus invexit, maximè in Regno Danimarchæ: ex Presbytero uxoratus factus, Witembergæ Minister decessit, anno 1558. ætatis annorum 73. Ex Melch. Adam. in Vita Theolog. German.

XVIII. BEQUARELLI. Vidimus ineunte hoc seculo excitatam Bergomi Molinisticam sectam à quodam Presbytero, cui nomen *Bequarelli*, sed statim in suo ortu à superiorum vigilantia suffocatam.

XI. BERENGARIUS dictus Sacramentariorum parens, quippe qui primus realem existentiam Corporis Christi in Eucharistia negasse videtur. Non desunt tamen, qui Berengarii hæresim, jam à Basilide professam asseverent: & certè de consequenti Basilides negare debebat

 realem

realem existentiam Corporis Christi in Eucharistia, cum expresse negaret Christum veram carnem assumpsisse. Berengarius tamen primus communiter censetur Sacramentariorum parens, cui fuit Patria Turones, jam propè cadente nono seculo natus, in Ecclesia S. Martini Turonensis dignitatibus Camerarii, ac Thesaurarii insignitus, postmodùm Andegavensis Archidiaconus constituitur, ubi cœpit suam hæresim promulgare. Quinque potissimùm errores disseminavit, sed in plurimis Conciliis proscriptus, & à pluribus viris convictus, quatuor erroribus abjectis, in illo defendendo pertinax perseveravit, quo negabat realitatem corporis Christi in Eucharistia, & transubstantiationem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi. Berengarij hæresis, ut primùm orta, non modò fuit à doctissimis viris impugnata, sed in Concilio Rom. sub Leone IX. damnata, & iterùm in Concilio Vercellensi confixa; mox in Synodo Parisiensi: quartò à Victore II. in Synodo Florentina: quintò ab ejusdem Victoris Legatis in Synodo Turonensi: sextò à Nicolao II. in Synodo Rom. repetitis vicibus fuit damnata, & in hac ultima Synodo Berengarius ejuravit errores; sed ad vomitum suum iterùm reversus, denuò fuit in Synodo Rothomagensi proscriptus: deinde in Pictaviensi anno 1075. mox à Gregorio VII. in duabus Synodis Romanis hæresim suam iterùm fuit ejurare coactus. Tandem divino afflante numine, ex pertinacissimo hæretico orthodoxus factus, Turonem reversus, in Insula, quæ dicitur S. Cosmæ, per octo annos pœnitentiis se affligans, in bona opinione decessit anno 1088. ejus autem errores sunt sequentes.

1. Magiæ deditus erat. R. verbo *Basilides*.

2. Baptismum rejiciebat. R. verbo *Armeni*, & *Anabaptistæ*.

3. Matrimonium solvi posse asserebat. R. verbo *Armeni*.

4. In Eucharistia esse verum corpus, & sanguinem Christi negabat. R. Jo: 6. *Panis quem ego dabo, caro mea est*. Item: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus verè est potus*, ex cap. 1. 1. ad Cor. 1. vers. 29. *Qui enim manducat, & bibit indignè judicium sibi manducat*; demùm ex illis verbis Jo: *Accepit* (scilicet Christus) *panem, benedixit, deditque discipulis suis dicens: Hoc est corpus meum*. Manifestè constat in pane Eucharistico esse realiter corpus Christi; non symbolicè, ut perperam interpretantur hæretici, quia de symbolo dici nequit: *Hoc est corpus*, sed tantùm: *Hoc repræsentat corpus*. Tum quia dogmata, & præcepta, verbis in proprio sensu, non figurato, & symbolico accipiendis, debent proferri. Quòd si in sacris paginis dogmata aliquando proferantur verbis figuratis, statim ibi subsequitur hujusmodi verborum explicatio; sed si in sensu symbolico accipienda essent hæc verba: *Hoc est corpus meum*: ergo etiam illa: *Ite, baptizate in nomine Patris &c.* sed ista, per ipsos hæreticos, in sensu reali accipienda sunt, quia ibi agitur de præcepto, & Sacramento; ergo etiam illa.

5. Negavit transubstantiationem. R. Quia si non esset vera transubstantiatio, hæc verba: *Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*, hæc inquam verba non essent vera, ut consideranti patet. Tum quia id quod datum est Apostolis ad manducandum, quando Christus dixit: *Manducate hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, datum est Judæis ad crucifigendum, sed Judæis datum est corpus Christi ad crucifigendum, ergo etiam Apostolis datum est corpus Christi ad manducandum, ergo verè fit transubstantiatio. Tum quia si non fieret transubstantiatio, illa propositio: *Hoc est corpus meum*, esset falsa, significaret enim, quòd panis est corpus Christi, sed Christus mentiri nequit, ergo &c. Sententia de transubstantiatione subscripta fuit à Patribus tùm Latinis, tùm Græcis in pluribus Conciliis, præcipuè in Florentino. Nec valet instare, quòd in pluribus Scripturæ te-

ræ textibus Eucharistia vocatur panis; nam licèt fiat transsubstantiatio, benè adhuc dicitur panis, quia est cibus animæ; quia remanent species panis; quia terminus à quo transsubstantiationis Eucharisticæ est verè panis. Vide verbo *Sacramentarii*.

III. Berillus Bostrorum in Arabia erat Episcopus; aliquos docuit errores, sed ab Origene convictus, ad meliorem frugem fuit pariter revocatus; contra Berillum celebrata est Synodus in Bostra, circa annum Christi 247. ex Eusebio lib.6. cap.26.

Dicebat Filium Dei non antea fuisse, quàm in humanam carnem immigraret. R. illis omnibus rationibus, quibus Divinitas Filii Dei asseritur. Vide verbo *Arius*, & verbo *Anomæi*. Tum quia contradictionem involvit asserere Deum, cui coessentialis est æternitas, incipere existere; Filius autem Dei, Deus est, ut testatur Euangelium Joannis. Tum quia si Filius Dei non antea fuisset, quàm in humanam carnem immigrasset, Pater ab æterno non fuisset fœcundus, ergo &c.

XVI. Bernardinus Ochinus apostatavit à Fide, & Religione, quam professus erat anno 1547. Genevam confugiens, ibi cum Calvino iniit amicitiam; parùm tamen, cum Calvini doctrina sibi arrideret, plus Serveti dogmatibus adhæsit, qua de causa Angliam progressus, deinde Poloniam, & Transylvaniam peragravit, ubi plura scripsit contra Christianam religionem. Ex ejus dialogis facilè colliget lector, eumdem Atheum fuisse: sed Dei misericordia ante mortem resipuisse, & hæreses abjurasse, ac denique verè contritum inter manus Sacerdotis Catholici, & Apostolici decessisse plures asseverant.

1. Polygamiam, idest pluralitatem uxorum, licitam esse prædicabat. R. Quia polygamia; sive uxorum pluralitas, de jure Divino post promulgatum Euangelium, quod sit prohibita, ex eodem Euangelio habetur; quid verò dicendum de lege naturæ, relinquimus Scholasticis disputandum? Quòd si polygamiam voluisset Deus absolutè permittere, maximè Adæ permisisset, ad propagationem tunc incipientis generis humani, quod tamen non fecit; scimus enim unicam Adæ fuisse mulierem. Item ex Matt.19. vers. 5. legitur: *Dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ*; sed si licita fuisset uxorum pluralitas, debuisset dicere, *& adhærebit uxoribus suis*: notanter autem dixit *Uxori suæ*, ut hinc convincerentur hæretici, qui prætendunt asserere, licitam esse polygamiam. Demum ex prima ad Cor. cap.7. vers.2. comprobatur hæc veritas, legitur enim: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat*; ergo unus vir uni uxori, & una uxor uni tantùm viro permittitur. Suffragatur etiam ratio, quia matrimonium est contractus, quo vir tradit corpus suum in potestatem mulieris, & mulier in potestatem viri, juxtà Apost. 1. Cor.7. ergo qui dedit corpus suum in potestatem uni uxori, & viceversa, non potest nubere alteri, quia non potest ampliùs dare corpus suum in potestatem alteri, quod jam uni traditum est; & licèt homo possit generare cum pluribus mulieribus, hinc non sequitur (ut volunt hæretici) quòd propter hanc rationem, possit homo dare corpus suum in potestatem pluribus uxoribus; nam si in hoc attenderetur potentia generativa viri, vix posset uni viro determinatus numerus mulierum assignari. Tum quia non esset æqua compensatio: cum enim mulier uni tantùm viro ad generationem possit tradere corpus suum; ut subsistat contractus, etiam uni tantum mulieri, debet vir corpus suum tradere ad generationem. Quòd autem in veteri Testamento licita fuerit aliquibus polygamia, hinc non sequitur hanc debere nunc temporis induci; nam ex certis motivis, tunc Deus cum aliquibus viris voluit dispensare, ut possent plures uxores habere: an cum omnibus, vel etiam Gentilibus? Theologis aliis disputandum relinquimus. Vide Bellar. de matrim. lib.1. cap.1. & alios.

2. In Dialogo, quem scripsit de Trini-

Trinitate, dixit Deum non adorandum. R. ex verbis, quæ dixit Christus ad tentatorem: *Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. Tum quia ratio docet creaturam esse subjectam creatori; ergo debet adorare Creatorem suum: adoratio enim fundatur in subjectione unius ad alium, & juxtà subjectionem tribuitur adoratio; sed cum creatura sit summè subjecta, & totaliter dependeat à Deo, ergo debet Deo summum cultum. Deum adorandum esse agnoverunt ipsi Gentiles.

3. Dixit à Deo præsidium non expectandum. R. Ab ipso naturæ lumine; nam natura ipsa nos docet per suspiria ad Deum clamare in necessitatibus nostris, qui solus potens est eripere nos de angustiis. Veritatem hanc sæpè decantatam in sacris paginis, præcipuè à Rege Davide, non est rationis compos, qui possit negare, unde clamabat præfatus David: *Ad Dominum cum tribularet clamavi, & exaudivit me*.

Bernardus Rotmanus. Vide *Clancularii*.

II. Bero Valentini discipulus, magistro deterior, unam Verbi, & carnis operationem constituit; & Divinitatem eàdem cum carne passam esse docuit; quapropter hæresi Monophysitarum, & Monotelitarum aditum reseravit: referente Hippolyto Portuensi, in fragmentis, quæ Anastasius collegit.

XIV. Bertoldus de Roorach, quem ex Beguardorum secta prodiisse referunt aliqui; certum est quòd quasdam blasphemas propositiones, quas Herbipoli proferebat, fuit abjurare coactus Wittembergæ in Germania; sed relapsus in hæresim, dum sua falsa dogmata iterùm Spiræ prædicare præsumit, judici sæculari traditus, vivus comburitur, ex Spond.

1. Dixit Christum sic fuisse in cruce derelictum à Patre, ut dubitaverit de sua salute. R. ex his, quæ dicta sunt verbo *Antichristiani*, ubi ostendimus Christum, nec fuisse peccabilem, nec peccasse peccato desperationis. Tum quia Christus nunquam fuit à Patre derelictus, nisi quantùm ad naturæ sensibilis passionem; ipse enim est dilectus Filius in quo Pater sibi benè complacuit. Tum quia Christus non potuit dubitare de sua salute, de qua erat certus, utpote qui simul erat beatus, quam etiam promisit latroni pœnitenti, dicens: *Hodie mecum eris in paradiso*. ex quibus verbis constat, quod Christus certus erat suæ salutis, qui propter nostram salutem passus est, & crucifixus.

2. Maledixit B. Mariæ Virgini. R. Et quidem Mariam Virginem benedictam ab Angelo, legimus in salutatione Angelica: *Beatam me dicent omnes generationes*, ait in Cantico; ejus laudes Scriptura. & Patres commendant; per ipsam accepimus beneficium Incarnationis; est misericordiæ Mater, Advocata apud Deum; ergo dignis laudibus nunquam satis potest commendari.

3. Dixit hominem in hac vita tantùm proficere, ut nec orare, nec jejunare necesse habeat. R. verbo *Beguardi*.

4. Laicum illuminatum, adeò posse proficere prædicando, ut magis ei sit credendum, quàm Euengelio. R. Quia quæ in Euangelio habentur, sunt de fide, non autem tenemur de fide credere, quæ laicus illuminatus prædicat, quatenùs sunt ab ipso prædicata; sed quatenùs sunt conformia legi, & Euangelio. Tum quia difficile est cognoscere hominem illuminatum, & facile est allucinari in hujusmodi illuminationibus; undè monet D.Paulus, quòd non credamus cuicumque prædicanti aliter, ac illa quæ nobis annunciant sacræ paginæ, etiam si foret Angelus, quia sæpè Demon se transformat in Angelum lucis, ut decipiat homines. Tum quia si magis teneremur credere laico prædicanti, quàm Euangelio, deberemus talem hominem venerari tanquam legislatorem nostrum. *Unus autem est Legislator noster Christus Jesus*.

5. Dixit hominem devotum, in perceptione cibi communis posse percipere tantam gratiam, quantam in perce-

ceptione Santiſſimæ Euchariſtiæ . Rep. Quia neque Sacramenta legis veteris, ſunt æquiparanda cum Sacramentis novæ legis, quòad abundantiam gratiæ, & modum conferendi illam, nempè ex opere operato, quemadmodùm illam hæc, præ illis, conferunt; ergo à fortiori &c. Tum quia blaſphemum eſt comparare perceptionem cibi communis, cum Sacramento Altaris, & cibo Euchariſtico, qui eſt vita animæ; Cibus autem communis eſt vita corporis; Tum quia ſola Sacramenta ſunt inſtituta ad conferendam infallibiliter gratiam, dummodò non ponatur obex ex parte ſuſcipientis.

IX. Bertramus. Fuit Presbyter, vixit circa annum 808. quo tempore edidit librum (ut aſſerit Coccius) in quo evocat in dubium, an corpus quod eſt in Euchariſtia, ſit illud idem, quod de Virgine natum eſt. R. Quia unicus tantùm eſt Chriſtus crucifixus, qui Mariam Virginem Matrem habuit, ut conſtat non modò ex quatuor Evangeliis, ſed etiam apertè deducitur ex Prophetis, qui Chriſtum de Virgine naſciturum, & Redemptorem futurum, prænunciarunt. Fundamentum autem ejus dubii fortè eſſe poteſt, quòd alius homo à Chriſto, nempè Simon Cyrenæus fuerit crucifixus; ſed remanet ſolutum verbo *Agareni*, *Baſilidiani*, contra quos probatum eſt, Chriſtum, non alium hominem pro Chriſto, fuiſſe crucifixum.

XVI. Beza Theodorus, patria Veſelius, in Burgundia anno 1519. natus, Aureliani primùm, deinde Burgis, ſub magiſterio cujuſdam Melchioris Wolmar Germani, litteras græcas, & latinas didicit: ab hoc perverſo magiſtro ſtimulatus fuit ad Calvinianam hæreſim ſuſcipiendam. Aureliani Lectoratus laurea obtenta, Poetieæ artis amantiſſimus, huic potiſſimùm ſe addixit, & publici juris factis diverſis opuſculis, præcipuè apud Poetarum amatores, nominis ſui famam propagavit. Interim Genevæ ſe recipiens, quemdam nomine Joannem Criſpinum, ejus intimum amicum in hoc itinere comitem habuit. (Criſpinus hic, ille eſſe perhibetur, qui Proteſtantium martyrologium ſcripſit) Lauſanæ poſtmodum ad græeas literas edocendas ſe recipiens, ibidem Abrahæ ſacrificantis Tragicon compoſuit. Interim Genevam revocatur: & inde Pariſios revertitur; ſed ob turpiſſimam vitam nulli viro, quantumvis ſceleſtiſſimo vix ſecundus, timens judicium Magiſtratus Pariſienſis, Genevam iterùm confugit, & apertè apoſtatavit à fide. Quanta fuerint ejus impiiſſima ſcelera, referre abhorrent ipſimet hæretici: non eſt igitur quod hic referantur, ſufficit lectori ſcire, quòd Tilmanus Heshuſius Lutheranus, Bezam epicureum, blaſphemum, & impudentiſſimum vocat. Interfuit colloquio Poſſiniacenſi, ubi impiè, & cavillatoriè ſe geſſit. Hujus nebulonis impiam audaciam in Eccleſiam S. Medardi, refert Spondanus ad annum 1561. Succeſſit Calvino Genevæ in Califatu, Calvinianæ hæreſis non modò propagator, ſed novus hæreſiarea factus, aliis de novo promulgatis erroribus. Vix ullum hæreſiaream eſt invenire, in quem adeò vehementer, non modò Scriptores Catholiei, ſed etiam hæretici invecti ſint. Sectatores Bezæ, etiam Bezani dicti fuerunt: mortuus eſt autem Genevæ, præcipuus author tot eladium, quas attulit hæreſis Calviniana, anno ætatis ſuæ 86. Calvini potiùs idololatra, quàm ſectator dicendus, quem irreprehenſibilem vocabat, cui poſt Deum honorem deberi aſſerebat.

1. Omnipotentiam Dei in conſtituendo ſubſtantialiter uno corpore pro eodem tempore in pluribus locis negavit. R. Ex principiis philoſophicis, ex quibus conſtat non repugnare, quòd idem corpus pro eodem tempore poſſit à Deo, ſaltèm definitivè, aut per modum ſubſtantiæ, in pluribus locis conſtitui, cum nulla ſit implicantia, ex parte Dei, qui omnia poteſt, quæ ex intrinſecis principiis non implicant. Idem autem corpus poſſe eſſe in pluribus locis; non implicat ex intrinſecis principiis, ut videri poteſt apud

apud Philosophos, qui ex professo hanc difficultatem cum rationibus objectis enodant.

2. Dixit non esse in hoc mundo orandum pro reprobis, ut convertantur. R. Ex ipso Christi exemplo, qui oravit pro Judæis, qui eum crucifixerunt: exemplo D.Stephani, qui deprecatus est pro lapidantibus. Tum quia tenemur ex præcepto Euangelico orare pro inimicis nostris; Tum quia Eccles. cap.21. vers.1. hortantur peccatores, ut orent pro se; ergo bonum est orare pro ipsis: *Filii peccasti? non adjicias iterùm, sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur*. Tum quia Christus mortuus est pro omnium salute, quam vult omnibus dare, ergo bonum est orare pro reprobis, ut convertantur, & salutem consequantur. Hic notandum S. Augustinum lib. de correptione, & gratia, dicere pro reprobis non esse orandum; sed S.Doctor intelligit de reprobis reduplicativè ut reprobis; nam S.Thomas 2.2. q.83. art.7. asserit orandum esse pro reprobis, & ratio est, quia licèt pro talibus non essent exaudiendæ preces, tamen charitas hoc requirit, ut pro omnibus oremus.

3. Electos nullum peccatum mortale committere, reprobos vero neque veniale, effutiebat. R. Nam ex ipsa Scriptura constat magnos peccatores fuisse salvatos. Sic Magdalena pœnitens, sic Latro, sic Matthæus, qui peccata commiserant; an non electus D.Petrus, qui Christum negavit? an non D. Thomas, qui incredulus fuit? utique electi erant, & tamen unus negando, alter non credendo, mortaliter peccaverunt; ergo falsum est electos nullum peccatum mortale committere, sicut falsum est reprobos neque mortalia perpetrare, cum Deus sit Justus Judex, & neminem damnet, nisi propter mortale peccatum, non emendatum.

4. Dixit Deum non esse omnipotentem, nisi asseratur esse authorem peccati. R. Deus, qui Sanctus est per essentiam, est impeccabilis, sanctitas enim essentialis, & peccabilitas involuunt contradictionem ex intrinsecis principiis; sed omnipotentia non commensuratur ad ea, quæ inferunt contradictionem ex intrinsecis principiis; sed solùm ad ea, quæ non involvunt contradictionem, Deus autem potest quidquid vult, nec vult nisi quidquid bonum est; ergo non potest velle peccatum, nec esse author peccati; & consequenter ejus omnipotentia non potest commensurari, ex eo quòd peccare non possit: imò peccare posse est defectus potentiæ. Deum omnipotentem esse evincit ratio, suadent miracula, clamant Scripturæ testimonia. Vide *Arnaldus Brixiensis*.

5. Dixit Virginem, & Sanctos non esse honorandos. R ex Collectaneis Anastasii Bibliothecarii par.73. ubi legitur: *Quisquis venerabilem, semperque Virginem, Matrem scilicet Domini nostri non honorat, anathema sit*. Maria honorata est ab Angelis, ut constat ex salutatione Angelica: Maria Virgo est excelsa super omnes creaturas, est Sancta; ergo debet honorari, quia Sanctitas est honoranda: ex quo infertur Sanctos etiam esse honorandos, de quibus legitur Eccles. cap.44. vers.1. *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua*, & vers.7. *Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus*. Sanctos esse honorandos colligitur etiam ex Conc. Trid. sess.25. Tum quia Moyses honorabat sanctos Patres prædecessores suos Abraham, Isaac, & Jacob, ut per eorum merita, placabilis fieret Deus super peccata populi, sicuti constat Exodi 32. vers.13. & 14. Tum quia Sancti semper fuerunt honorati in Ecclesia Romana; undè legimus, quòd in primitiva Ecclesia conveniebant Christiani ad celebrandas Sanctorum memorias, & laudes. Tum quia dignum est honorare illos, in quibus tot mirabilia fecit Deus, qui *Mirabilis est in Sanctis suis*; quæ veritas clariùs patebit verbo *Vigilantius*, ubi ostendemus Sanctos, non modò esse honorandos, sed invocandos. Tum quia dignum est honorare illos, per quorum merita Deus nobis tot bona largiri dignatur. Tum quia Abraham pronus

pronus in terram adoravit Angelos, ut constat Genesi 8. ergo licet etiam adorare Sanctos, & à fortiori licet honorare Mariam, utpote Angelorum Reginam; & certè si nulla esset adoratio, nisi latriæ, ut volunt hæretici, qui solum Deum adorandum esse asserunt, Abraham non adorasset Angelos. Verum quidem est, quòd adoratio latriæ soli Deo debetur, minori ergo honore, juxtà majorem, vel minorem dignitatem, honorantur Sancti; & quidem cum objectum duliæ sit Sanctitas creata, communis honor duliæ tribuitur omnibus Sanctis; cum objectum hyperduliæ sit Sanctitas excellentior communi, cujusmodi est sanctitas Virginis, soli Virgini tribuitur honor hyperduliæ; & soli Deo datur honor latriæ, quia objectum latriæ est Sanctitas increata.

6. Sanctis Conciliis Dæmonem, non Spiritum sanctum præfuisse asserebat. R. Sancta Concilia sunt in Dei nomine congregata, legimus autem Matt. cap. 18. vers. 20. *Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Tum quia Deus præcipit nos obedire Conciliorum ordinationibus, sicut patet Deuteron. 17. vers. 10. de Concilio celebrato à Moyse, de quo dixit Deus: *Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco .... sequerisque sententias eorum*; ergo si Deus præcipit obedire Conciliis, Deum, non Dæmonem ipsis præesse dignoscitur. Vide *Joannes Vvestfalus*.

7. Dixit Christum in inferno pœnas damnatorum sustinuisse. R. ex alio Bezæ mendacio, in quo descensum Christi ad inferos detorquet ad uterum Virginis; estò quod utraque Bezæ propositio sit falsa: nam verè Christus descendit ad inferos, ut constat ex Symbolo; nec Christus ibi passus est damnatorum pœnas, sed liberavit sanctos Patres, qui expectabant redemptionem: attamen ex ipsa contradictione, quam habet Beza in assertis suis, satis eorumdem constat insubsistentia. Plures alias contra Deum, Virginem, & Sanctos evomit Beza blasphemias, quas nonnisi à Dæmone, & ab inferis revocatas facilè colligit, quisquis eas intelligit; itaut prolixiori reprobatione non opus sit circa illas immorari. Vide verbo *Infernales*.

8. Negat Deum dare cuilibet homini Angelum Custodem. R. verbo *Calvinus*.

9. Negat perpetuum in materia fidei consensum, esse Ecclesiæ Orthodoxæ signum. R. Joan. 17. 11. *Pater Sancte serva eos in nomine meo, ut sint unum sicut & nos*. Prima ad Cor. 1. 10. *Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Jesu Christi: ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia*; ad Eph. 4. vers. 3. *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una Fides. unum Baptisma, unus Deus, & Pater omnium.* Tum quia sicut temerarius meritò reputaretur, qui vellet negare factum, de quo plures cordati viri convenirent, cum argumentum irrefragabile ad probandam veritatem, sit unanimis cordatorum virorum consensus; sequitur perpetuum in materia fidei Romanæ consensum tot cordatorum virorum, ab adventu Christi, usque ad hæc tempora, tot Martyrum, Sanctorum, Doctorum, Regum, Scriptorum, tot demum populorum, esse irrefragabile Ecclesiæ Orthodoxæ signum.

VIII. Bezer fuit Leoni Imperatori in Iconoclastarum secta promovenda primus Consiliarius. Natus quidem erat Bezer Christianus, sed captivus in Syriam ductos, hinc refuga, Arabum dogmata amplexus est, & à Leone Isauro ob consensum suæ pravæ opinionis, quam in Bezer radicatam invenit, honoribus cumulatus, factus est ejusdem Imperatoris fautor in sanctas Imagines persequendas, Ex. Bar.

XVI. Biblistæ sunt de numero mollium Confessionistarum, quorum caput fuit Lutherus, qui tamen sententiam suam retractavit, ut constat, ex libro quem anno 1524. edidit, *de restauratione*

tiore Scholarum; sed errorem à Luthero retractatum, proprio exemplo edocere aggressi sunt Melancton, & Carlostadius; cum enim ea esset Biblistarum sententia, ut solùm sacra Biblia, omnibus aliis libris abdicatis, fore in scholis proponenda assererent: cæterùm debere unumquemque non per scientias, sed per opus manuum sibi victum comparare, juxta illud: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*; ideò Melancton, & Carlostadius, ut suo exemplo hanc propagarent doctrinam, ad artem quam à juventute exercuerant, primus quidem Pistoris, secundus verò agriculturæ redierunt; errores itaque Biblistarum, qui anno 1543. à Melanctone, & Carlostadio propagari cœperunt, sunt sequentes.

1. Dicebant non debere recipi, aut legi, aut proponi, vel populo in Ecclesia, vel juventuti in scholis, nisi solum, ac nudum Bibliorum Textum: ex quo etiam sequitur, quòd negabant traditiones. R. Scriptura sacra non est sola regula fidei, cum præter verbum Dei scriptum, detur etiam verbum Dei traditum, cui tenentur Christiani assentiri, de quo verbo Dei tradito scribit D.Paulus ad Thessalon.2.cap.1. vers.14. *Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*; Ergo falsum est, quòd solus Bibliorum liber debeat recipi, aut proponi Christianis: certum enim enim est, quod plura quæ spectant ad fidem nostram, scripta non sunt, sed solùm nobis innotescunt per infallibilem traditionem, cui par cum Divinis scripturis adhibenda est fides. Insuper præter verbum Dei scriptum, dari traditum, constat Jo: ultimo: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros*; & 1. ad Cor. c. 11. vers.2. *Laudo vos fratres, quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis*. Tum quia si scripturis tantum adhibenda esset fides, & non traditionibus, sequeretur ab initio Ecclesiæ, cum nondum scripta erant Euangelia, Christianos nullam habuisse fidem, nec ea credidisse, quæ nos credimus, siquidem nondum scripto fuerant comendata. Insuper D.Lucas act.1. v.3. refert quòd Christus post suam passionem seipsum vivum præbuit in multis argumentis, loquens de Regno Dei, ex quibus sequitur, præter Bibliorum librum, dari etiam traditiones; inde infertur non solùm sacra Biblia, sed etiam ea quæ *Patres nostri annuntiaverunt nobis*, proponenda esse fidelibus in Ecclesia. Verbo tradito non minùs dandam esse fidem, quam scripto, & consequenter, non solùm verbum scriptum proponendum esse fidelibus; ex eo satis constat, quòd per solam traditionem sciamus v. g. quòd Epistolæ D.Pauli sint de facto D. Pauli, sic & de cæteris aliis Scripturis sacris loquendo; ergo si solum verbum scriptum esset proponendum, sequeretur neque verbo scripto adhibendam esse fidem: ergo præter verbum scriptum, necessariò proponendum est etiam verbum traditum: ergo non modò verbo scripto, sed etiam tradito adhibenda est fides. Nec valet instare Jo:cap.20.vers.31. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis*; ergo solùm verbo scripto adhibendam esse fidem. Nam præterquamquod, ex eodem Joanne supra citato legitur non omnia scripta esse; dico ibi D.Joannem præcisè exprimere adhibendam esse fidem verbo tradito: insuper nihil evincitur ex eo, quod legitur ad Galatas cap.1. vers.8. *Licèt nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis præter quàm quod vobis euangelizavimus, anathema sit*. Nam cum Paulus non modò euangelizaverit, quæ scripta sunt, sed etiam plura quæ nobis innotescunt per infallibilem traditionem, unde scribit ad Thessal. *Tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*; potiùs ex hoc textu apertè concluditur, non modò verbo scripto, sed etiam tradito, adhibendam esse fidem: & sicut mandatum Principis eandem vim habet apud subditos, sive

five scripto, sive voce proferatur; sic etiam verbum Dei, sive scriptum, sive traditum.

2. Nulla opus esse interpretatione ad intelligentiam sacræ Litteræ, quia omnes, dicebant, à Deo esse edoctos. R. Quia si nulla opus est interpretatione, quare Lutherus tot edidit commentaria in sacram Scripturam? Estò quod malè eamdem sit interpretatus, hinc nihilominùs corruit Biblistarum assertum, quandoquidem eorum dux Lutherus interpretari est aggressus sacram Scripturam; sed adhuc reprobatur, quia si omnes circa Scripturam sacram essent à Deo edocti, ergo etiam qui ignorant litteras, deberent Scripturam sacram intelligere; quod constat falsum esse, quandoquidem ignaris ad manifestandum illis sensum Scripturæ, opus est eamdem explicare, & interpretari. Tum quia cum diversi, diversa sentiant, si omnes essent à Deo edocti circa sensum Scripturæ, non una esset omnium fides. Tum quia scimus etiam inter viros doctos, exortas quæstiones circa sensum Scripturæ, ad quas decidendas congregata sunt Concilia, in quibus Spiritus sanctus, genuinum sensum Scripturæ manifestavit, apertis Patrum suffragiis, & Rom. Pontificis approbatione, utpotè illius, qui in decidendis rebus fidei, non potest errare; ex quibus evincitur, opus esse interpretatione ad intelligentiam Scripturæ, nec omnes esse à Deo specialiter edoctos, sed edoceri debere ab Ecclesia, cui Spiritus sanctus verum sensum Scripturæ revelare dignatur. Ergo Scripturæ interpretatio, non est cujusque arbitrio relinquenda, sed à supremo judice scilicèt Rom. Pontifice exigenda, qui non potest errare, quippe cui dictum est: *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua*, & licèt aliquibus Sanctis, & doctis viris, Deus concesserit interpretationem verbi Dei, non hinc sequitur omnes esse edoctos. Nam ex speciali gratia concessum est hoc à Deo aliquibus sanctis, seu doctis viris, qui tamen suas interpretationes submiserunt Ecclesiæ judicio, ut sciremus spiritum interpretativum sacræ Scripturæ, certo & infallibiliter soli Pontifici esse concessum. Vide S.Thom.2. 2. quæst.1. art.10.

3. Vivendum esse solo opere manuum, & nullam scientiam esse adiscendam. R. Scientiarum studium ab initio Ecclesiæ, in qua floruerunt tot Doctores, fuit semper Christianis concessum; ergo &c. Tum quia scientiæ nos conducunt ad Dei clariorem cognitionem, sed bonum est Dei cognitionem acquirere; ergo etiam scientiis vacare. Tum quia Deus dedit scientiam infusam Adæ, Salomoni, & pluribus sanctis viris, qui unctione magistra, evaserunt in viros doctos, quod certè Deus non fecisset, si solùm liceret vacare operi manuum. Quòd autem legitur: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, non significat prohiberi studium litterarum, & solas artes mœchanicas exercendas; sed significat, quòd omnis homo, ratione peccati primi parentis, vexationem spiritus habuisset, ut protoparentis exemplo vivere posset; & quod terra fructum non daret opportunum ad victum, nisi fuisset exculta: ubi si homo perseverasset in statu innocentiæ, absque cultura tellus germinasset. Cæterùm data Biblistarum sententia, sequeretur ex allegato textu omnes, etiam Reges, etiam mulieres debere agriculturam exercere: necessitatem autem scientiarum, etiam ad politicum regimen non est qui non videat, & commendet: unde & laudatur Moyses, quod eruditus fuerit in omni sapientia Ægyptiorum.

XVI. Bideitæ numerantur à Gravina inter Antichristianos, illos scilicèt qui evertunt præcipua mysteria fidei; vocantur etiam *Duitæ*, quia duos Deos distinctos esse asserebant Patrem, & Filium. Eorum dux creditur Petrus Goviezius. Emerserunt circa 1570. in Lithuania, & in Prussia, ut refert Gravina: eorum errores sunt duo sequentes.

1. Duos Deos fatentur Patrem, & Filium, sed hunc dicunt esse Deum minorem Patre. R. verbo *Polythei* circa pluralitatem Deorum; quòd autem

Filius non sit minor Patre, probatum est verbo *Anomæi*.

2. Spiritum sanctum negant esse Deum, quia nihil de eodem dicunt esse revelatum. R verbo *Arrani*; ubi ex textibus Scripturæ adductis, constat Divinitatem Spiritus sancti apertè nobis in sacris paginis esse revelatam.

XVI. Bifidi. Reponuntur etiam Bifidi à Gravina in sua Tabula Analitica inter Antichristianos, quorum alii sunt liberæ fidei, cujusmodi sunt Bifidi, qui ex Lutheri schola progeniti, circa annum 1560. mundanæ, sive diabolicæ politiæ studentes, pro bono publico asserebant quemlibet tuta conscientia posse sequi duas fides, nempe unam Romanam, alteram Protestantium. Possunt Bifidis, & Trifidi adstipulari, qui non modò duas fides recensitas, sed etiam tertiam, scilicèt Calvinianam, addebant: dicentes nullo modo unitati religionis officere diversas fidei professiones, & cæremonias, dummodò populus Divini judicii fide, ac timore Dei contineatur, quia, dicebant, unus & idem est Deus, qui pari fide à Romanis, & Protestantibus honoratur, & idem est cultus, licèt diversus sit ritus. R. Una est vera fides, quam Christus promulgavit necessaria ad salutem; sed hæc est Romana, cui aliam originem nemo assignare potest; cum tamen de aliis sciamus origines modernas æquè, ac pravas: ergo solam fidem Rom. licet, & expedit profiteri, volenti salutem. Tum quia fides Protestantium, & Calviniana in pluribus sunt ex diametro oppositæ Romanæ fidei, ergo una tantùm ex his vera esse potest, hæc autem esse non potest Calviniana, aut Lutherana, quæ solùm duobus abhinc seculis excitatæ sunt; quarum insubsistentia ex eo satis patet, quòd Calvinistæ Calvinistis, & Lutherani Lutheranis opponuntur; ergo sola fides Rom., quæ viget invariabilis, à Christi promulgatione usque ad hæc tempora, & vigebit perpetuis temporibus, vera est. Cæterùm dicendum esset à tempore Christi usque ad Lutherum, & Calvinum nullam fuisse in mundo veram legem; nam ipsi Lutherani, & Calvinistæ concedunt legem Judaicam, post Christi mortem cessasse, ergo si Romana fides non esset vera, nulla certa fides, & lex data esset hominibus à tempore Christi usque ad Lutherum, & Calvinum, per cujus observantiam possent homines salvari; ergo dicendum, quòd sola Romana fides est vera; sed non licet profiteri aliam fidem, quàm veram; ergo si sola Romana fides est vera, hanc solùm licet profiteri. Tum quia fides est vinculum, quo membra Ecclesiæ uniuntur capiti, sed per fidem Lutheranam, & Calvinianam, membra non uniuntur capiti, immò ab eodem separantur, ergo Lutheri, & Calvini fides non est vera, ergo non licet hanc profiteri. Tum quia fides licèt sit invisibilis, videtur tamen per professionem externam, sed professio externa fidei Lutheranæ, & Calvinianæ differt essentialiter in pluribus à Romana, ergo est diversa fides à Romana, ergo pari fide Deus non colitur à Romanis, & Protestantibus, & Calvinianis, ergo &c. Tum quia si quilibet in sua fide posset salvari, superfluum esset tot lites, & controversias excitare de fide inter Lutheranos, & Calvinistas, inter utrosque & Catholicos: Lutherani autem negant Calvinistas in sua fide salvari posse, vicissim Calvinistæ Lutheranos, sic de aliis sectis discurrendo, quarum unaquæque credit veram docere viam salutis; ergo una tantùm esse potest vera fides.

XVI. Binderliani progeniti sunt currente anno 1544. & communiter censetur eorum institutorem fuisse quemdam Anabaptistam, nomine Binderum, qui fictis miraculis, studuit ignaram plebem in sui trahere sequelam: eorum dogmata cum Anabaptistarum erroribus conveniunt. Ex Prateolo.

IV. Bisacent dicti etiam Aseliones, eo quòd ararent asino, secuti sunt Donatum, circa medium seculi 4. verbo *Donatus* reprobandi. Ex Sirmondo de Hæresi.

XVI. Bissacramentales secta sunt Confessionistæ rigidi, emerserunt circa an-

ca annum 1549. ut plurimùm ex illis emergunt, qui recedentes à Luthero, Illyricum secuti sunt. Prateolus asserit plures Calvinianos, ac multos Confessionistas rigidos, scilicèt Flaccum cum sociis suis, constituere hanc sectam. Dicuntur etiam Trisacramentales, qui pro tertio Sacramento habent absolutionem; pluresque molles Confessionistæ, & præcipuè Lipsienses sunt in hac sententia. Itidem Quartisacramentales vocantur, qui Presbyteratum etiam inter Sacramenta recipiunt, & in hac sententia sunt molles Confessionistæ Witembergenses. Ex Gaulterio.

1. Duo tantùm admittunt Sacramenta, Baptismum scilicet, & cœnam. R. Et quidem tot sunt Sacramenta, quot sunt signa à Christo instituta ad conferendam nobis infallibiliter gratiam, sed hæc septem esse, nec plura, nec pauciora in sacris paginis, vel exprimuntur, vel insinuantur, atque Divinis traditionibus, perpetuaque Ecclesiæ fide perhibentur; ergo Sacramenta sunt septem; & quidem circa Sacramentum Baptismi habetur testimonium Marci ultimo. Circa Confirmationem habetur Jo: 27., & secunda ad Cor. 1. Circa Eucharistiam Luc. 22. 17. Jo: 6. 51. Circa Pœnitentiam Marci 1. 14. Jo: 20. 22. Circa Ordinem Actor. 6. 5. & 14. 22. Circa Matrimonium ad Eph. 5. Quæ omnia sacri Textus loca, licèt Sacramenti rationem non æqualiter exprimant; tamen eo sensu, vel per adumbrationem, vel per insinuationem esse significata iis in locis Sacramenta, semper creditum est. Alia efficax probatio est unanimis consensus SS. PP. & Ecclesiæ, ab ejus initio usque ad hæc tempora, in admittendo hoc septenario numero. Nec valet dicere, quòd in sacris paginis non fit expressè mentio de numero septenario; nam argumentum retorquetur contra adversarios, dicendo, quòd neque in sacris paginis fit expressè mentio de numero ternario, vel duario: non fit autem mentio de numero septenario, quia res est adeò certa, septem esse Sacramenta, quòd opus non erat, per expressa verba rem adeò certam declarare.

XIII. Bizochi. Quidam sub specie Anachoreticæ vitæ gerendæ in finibus Aprutii, & Marchiæ Anconitanæ latitantes, quasdam perniciosas doctrinas disseminare cœperunt; sese appellabant Bizochos. Gaulterius, cui adhæret Spondanus anno 1297. putant Bizochorum sectam eamdem fuisse ac sectam Fraticellorum, quorum caput fuit quidam nomine Ermannus Pongiluppus, patria Ferrariensis, qui cum suæ pravitatis esset ab Inquisitoribus convictus, simulatè se orthodoxum ostendit; sed cum de facto in suis erroribus cum pertinacia decessisset, nec rei veritas, nonnisi viginti annis ab ejus decessu fuisset comperta, sic præcipiente Bonifacio VIII. Pontifice Summo, extumulatus fuit, decimotertio currente seculo, ejusque ossa in sterquilinum projecta. Fuit etiam dictus Ermannus accusatus, quòd nonnullis hæreticis, in contumacia mortuis, cultum impendisset, multasque blasphemias in Eucharistiam, Deum, & Sanctos evomisset. Porrò Bizochorum errores, auctore dicto Ermanno, sequentes recensentur.

1. Uxorum communitatem inducebant, absolutis enim suis conventiculis, extinctis luminibus cum ea quisque se commiscebat, quæ illi proximior extitisset. R. ex his quæ dicta sunt verbo *Bernardinus Ochinus*; nam si non licet unum virum plures habere uxores, à fortiori neque licet unum virum cum aliorum uxoribus commisceri, quas concupiscere expressè prohibitum est in decimo præcepto decalogi. Vide verbo *Adamitæ*.

2. Eorum Pontifex ille eligebatur, in cujus manu infans ex prædicto coitu natus, mortuus fuisset, quem statim natum, per omnium manus agitabant, & ille, in cujus manu infans sic agitatus expirasset, Pontifex constituebatur.

3. Nihil proprium posse Christianum possidere dicebant. R. verbo *Apostolici*.

4. Rempublicam non esse à Christianis administrandam. R. In lege veteri,

teri, qui erant de populo Dei administrabant Rempublicam; ergo etiam hoc licitum est Christianis. Tum quia ille, per quem Reges regnant, jubet nos obedire superioribus. Tum quia si Christiani non possent administrare Rempublicam, foret, vel quia Magistratus essent abolendi; & hoc non, ut probatum est contra Anabaptistas; vel quia aliis committendum esset regimen Christianæ Reipublicæ, qui non essent Christiani, sed neque hoc. Tum quia nullibi prohibetur Christianis administratio Reipublicæ. Tum quia plures, qui Rempublicam administrarunt sanctè vixerunt, & piè mortui sunt, ergo licet, imò convenit Christianis administrare Rempublicam, ut etiam eorum zelo Christiana Religio dilatetur.

5. Dei visionem Animabus sanctis, usque ad ultimum diem differri asserebant. R. verbo *Millenarii*.

6. Cremabant puerum ex illicito coitu natum, & super ejus cineres infuso vino, inde eorum novitii initiabantur. Nec inter Barbaros, imò & feras tanta impietas.

XVI. Blandristæ. Georgius Blandrata patria Salutiensis in Subalpinis, professione Medicus, fuga lapsus è Ticino, ubi inquisitus fuerat, in Transylvaniam penetravit, & Lutheranum se fingens, Arianorum, & Antitrinitariorum errores prædicavit; penè universa Transylvania fuit ab ejus prædicatione corrupta. Scripsit, unà cum Francisco Davide, duos libros contra Sanctissimam Trinitatem. Varadini contra Calvinistas disputans mirabiles de sua disputatione contra eosdem, quasi ab ipso convictos, egit triumphos. Transylvaniam à Joanne Sigismundo accersitus, eundem suis seduxit erroribus. In medicinæ professione celebris, tum in Transylvania, tum in Polonia apud Principes, & Magnates vir magni nominis evasit, quorum fretus protectione, faciliùs suos potuit propagare errores. Valentinum Gentilem, & Socinum suæ perfidiæ coadjutores habuit, à proprio nepote, dum in lecto decumberet, suffocatur. Ex Spond.

1. Ab Apostolis solum Deum Patrem, & unum hominem Jesum Christum fuisse prædicatum asserebat, postmodùm verò à Catholicis excogitatam fuisse Trinitatem, duosque Christos in mundum invectos. R. Apostoli baptizabant in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: ergo non solùm Deum Patrem prædicabant. Tum quia tam de Patre, quàm de Filio, quàm de Spiritu sancto in Euangeliis, & præcipuè in Epistolis Apostolorum adeò clara fit mentio, ut apertè constet hoc mysterium fuisse ab Apostolis prædicatum; & nescio quomodò hanc veritatem negare audeat Blandrata, stante contra ipsum præ aliis textibus illo, qui habetur Jo: 1. c. 5. v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*. Insuper Apostoli non solùm prædicarunt Christum esse hominem, sed hunc eumdem prædicarunt esse filium Dei, sic legitur: *Qui suscitavit filium suum à mortuis*; Christum non purum hominem, sed Deum, & hominem esse, & ut talem fuisse ab Apostolis prædicatum, constat ex confessione Thomæ: *Dominus meus, & Deus meus*; atque ex actibus Apostolorum, & ex eorum epistolis, ubi adeò authentica sunt hujus veritatis testimonia, ut mirum sit, quomodò Blandrata ausus fuerit contrarium asserere, convincentibus eum mendacii, tam claris Scripturæ testimonis. Videantur hic circa Christi Divinitatem; quæ dicta sunt contra *Acaccianos*, *Anomæos*, *Berillum*, *Apollinarem*, & *Arium*.

2. Dixit Apostolos prænunciasse illicò post ascensionem venturum Antichristum, & Ecclesiam abolituram: & de facto hoc jam evenisse, ut jam Christi Regnum penitùs interierit. R. Quia nullibi hæc somnia, immò insaniam in Scriptura est reperire, ubi è contra legimus Ecclesiam usque in finem seculi duraturam, quòd portæ inferi non prævalebunt adversùs eam: & tempore prædicationis Antichristi, neque deficiet Ecclesia. Scimus etiam multos permansuros constantes in fide, & quòd *Propter electos breviabuntur dies illi*. Insu-

Insuper Christus ostendit, quæ signa præcedent adventum Antichristi, hæc autem signa nondum apparuerunt, ergo Apostoli non potuerunt prædicare Antichristum venturum statim post Christi ascensionem: & certè cum unum ex signis præcedentibus Antichristum, sit universalis Euangelii prædicatio, juxtà illud quòd legimus, Matt.24. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in universo Orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio*. Scimus autem in pluribus locis nondum prædicatum esse Euangelium, cum partes mundi extent adhuc incognitæ, ad quas nondum apertus est aditus cattolicis; ergo si nondum præcessit hoc signum his temporibus, quibus multæ partes terræ adhuc non innotescunt, à fortiori non præcessit hoc signum tempore Apostolorum, & consequenter non potuerunt prædicare Antichristum venturum statim post ascensionem. Verum quidem est, quòd nomen Antichristi, cum non modò significet illum hominem venturum in fine seculi, qui extollet se contra Christum, & ejus legem, sed etiam Antichristus vocetur quicumque destruens falsis dogmatibus Christi legem, videtur velle se anteponere Christo, cujusmodi sunt hæresiarchæ; sub hac secunda significatione intelligendum est, quod legitur epistola 2 Jo.vers.7. *Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem: hic est seductor, & Antichristus*. Ubi D.Joannes vocat Antichristum quemcumque non confitentem Jesum Christum venisse in carne, cujusmodi fuerunt quidam hæretici, qui à tempore D.Joannis cœperunt hanc hæresim disseminare; &. certè D.Joannem non prædicasse per hæc verba adventum Antichristi, sed solùm hoc nomen Antichristi tribuisse præfatis hæreticis, apertè constat ex eodem D.Joanne epist.1. cap.2. vers.18. sic scribente: *Filioli sicut audistis quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt*. Voluit per hæc verba exprimere S.Joannes plures decessisse à fide, nam si locutus fuisset de adventu Antichristi, qui veniet in fine mundi, non dixisset: *Antichristi multi facti sunt*; unus autem tantùm erit Antichristus, qui extollet se contra legem, & Euangelium, qui à Judæis tanquam Messias adorabitur, qui quantùm poterit erit destructor Euangelii.

3. Dixit tres personas esse tres Deos, non minùs inter se diversos, quàm sint inter se diversi tres homines. R. ex sacra Scriptura Jo.1. c.5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*; non unum in persona, ut concedit ipse hæreticus, qui tres admittit personas, ergo unum in natura Divina; ergo tres personæ sunt unus Deus; ergo non sunt in Divinitate distinctæ, sicut tres homines, quæ veritas clariùs constabit verbo *Polytheismus*, ubi ostendemus Deum esse essentialiter unum, & plures Deos implicare ex intrinsecis principiis.

II. Blastus Romanæ Ecclesiæ Presbyter, Florini socius, cum quo Romæ schisma fecit: ob suam malitiam (ut referunt Eusebius, & Theodoretus) ab Eleutherio Pontifice de gradu depositus, non cessavit ad suam impietatem alios allicere. Profitebatur autem Valentini errores, aliis de novo supra ipsos excogitatis, ratione quorum inter hæresiarcas recensetur à Tertulliano, & Eusebio. Confutavit egregiè Blastum S.Irenæus. Ex Bar.

1. In celebratione Paschatis judaizabat, docens Pascha celebrandum esse cum Judæis luna 14. quicumque ille esset hebdomadæ dies, quo luna decima quarta posset contingere. R. verbo *Quartadecimani*.

2. Communitatem uxorum licitam esse blaterabat, & sic satisfieri asserebat illi præcepto: *Crescite, & multiplicamini*. R. verbo *Adamitæ* circa Communitatem uxorum: illa autem verba *Crescite & multiplicamini* non inducunt pluralitatem uxorum, sinè qua de facto inter Catholicos crescit, & multiplicatur genus humanum.

3. Dixit Deum provocare homines esse-

effectivè ad malum. R. ex his, quæ dicentur contra Calvinum, ubi probabimus Deum esse non posse auctorem peccati, qui autem provocat ad malum auctor mali est; quippè est causa moralis illius. R. etiam ex Synodo Arausic. Can.23. ubi sic: *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei quando id agunt, quod Deo displicet*, & psalmo 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es*. Patet etiam hæc veritas Eccles cap.15.vers.20. Insuper ex severitate, & justitia, quam exercet Deus in punitione peccatorum, constat Deum neminem provocare ad peccatum; Demùm Deus manifestè nos admonet psalmo 36. vers.27. *Declina à malo, & fac bonum*, ergo esse non potest auctor peccati, nec provocare ad peccatum. Nec obstat quod legitur Exodi 4. *Indurabo cor Pharaonis*. Hinc enim deducitur Deum permittere malum; negare quidem justè gratiam; non tamen inducere malitiam. Quoniam autem Deus ad physicas peccatorum actiones concurrit, sequitur Deum concurrere ad materiale peccati, non verò concurrere ad formale, idest ad malitiam, quæ est carentia rectitudinis debitæ in actu: quæ carentia rectitudinis debitæ in actu provenit, non à principio efficiente; sed deficiente.

XVII. Blondellus fuit Calvinista, & edidit librum inscriptum: *Apologia S.Hieronymi*, quo conatur ostendere Presbyteros Episcopis ordine, & jurisdictione esse æquales; circa quod. R. verbo *Aerius*. Fuit Blondello nomen David, natione Gallus, à juventute studiis addictus, in quibus multùm profecit, sed præcipuè historicæ eruditioni operam dedit, & linguarum peritiæ: emenso Theologiæ cursu, hæreticorum conciliabulis sæpè interfuit, quibus tanquam minister pluribus præfuit in locis. Demum Amstelodami historiarum professor, studio consumptus, ætatis suæ anno 64. occubuit, circa medium seculi 17. ex Baylo Dict. Crit.

XII. Bogomilli. Bogomilles nomen est Sarasinum, & idem significat ac gens misericordiam implorans. Originem habuerunt à quodam viro professione medico, cui nomen Basilius, quem cremare fecit Alexius Comnenus Imperator, circa annum 1118. Porrò Alexius ut Basilii Bogomillorum capitis impietatem detegeret, ei se consentire simulavit, ejusque impietate detecta, in equestri theatro impostorem comburi jussit; qui impostor cum annis quindecim sua perniciosa dogmata didicisset, & quinquaginta duobus docuisset, totum ferè Orientem, imò & Occidentis partem sua labe infecerat. Scripsit contra Basilium, & suos sectatores Euthymius Zigabenus Monachus Græcus. Ex Natal. Alex. sect. 12.

1. Rejiciebat omnes Mosaycos libros, & reliquum sacræ Scripturæ, excepto Psalterio, sexdecim Prophetis, quattuor Euangeliis, actibus Apostolorum, illorum Epistolis, & Apocalipsi. R. Verbo *Albanenses*.

2. Cum Manichæis dicebat vetus Testamentum, non esse à Deo bono factum. R. Verbo *Albanenses*.

3. Dicebat se credere in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, sed reverà Patri hæc tria nomina tribuebat; unde negabat Trinitatis mysterium. R. Nam Trinitatis mysterium evincitur adumbratum in veteri Testamento: *Tres vidit, & unum adoravit*, ex novo Testam. Jo. 1. c.5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus*. Matt.ultim. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Cum autem non possint Theologi demonstrativè probare mysterium Trinitatis, sicut nec ullum ex fidei mysteriis, certum tamen est ab iisdem adhuc congruenter suaderi, supposita revelatione, ex certis vestigiis, v. g. ex numero ternario in natura ferè ubique commendato, imò ferè apud omnes nationes, & barbaras religiones in speciali veneratione habitus est numerus ternarius, ita ut tacito quodam arcano naturæ instinctu, servatus sit numerus ille, in quo Sanctissimæ Trinitatis latet mysterium: manifestè demùm

mùm in lege gratiæ revelatum; novum enim Testamentum disertis verbis Divinitatem Patris, Filii, & Spiritus sancti commendat. Nec valet objicere contra mysterium Trinitatis illud axioma, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se*, quia naturalis rationis principia, longè inferiora sunt supernaturali veritati. Nec propterea Trinitatis mysterium est contra illud principium; sed est supra illud, ut demonstrant scholastici; quia ly *idem* denotat *esse*, quod unicum est in Divinis, sive naturam consideres, sive personas. Similiter ubi legitur Jo:16. *Ego, & Pater unum sumus*, hoc verificatur omninò quia terminatio neutra *unum* denotat essentiam, non personam; ut ex D. Augustino tradunt communiter Theologi; nempe terminatio neutra pertinet ad *esse*; cæteræ ad modos, proprietates, sive terminationes essendi, aut subsistendi, quæ particulares distinctionum rationes important; nempè oppositiones relativas, quæ sunt inter Patrem, & Filium, similiter loquendo de Persona Spiritus sancti respectu Personæ Patris, & Filii. Vide verbo *Blandrista*.

4. Fingebat Patrem corporea forma præditum esse, ex binis cerebri panuiculis binos radios emittere, alterum Spiritum sanctum esse dicebat. R. Quia Deum purum Spiritum esse proclamant sacræ paginæ. Tum quia omne corporeum est defectibile, est compositum, & est creatum, dicitque imperfectionem maximam, ergo Pater in Divinis nequit corpus habere; Deus autem est simplicissimus: ergo &c. ex quo reliquum nefariæ hæresis commentum corruit.

5. Dicebat Filium, & Spiritum sanctum in Patrem rursus resolvi, & qui à multis retrò seculis tres personæ fuerant, rursus unam factam esse personam. R. Quia Deus est immutabilis. Præter alia absurda, quæ ex hac ineptia sequerentur, ut patet consideranti, unde opus non est in ejusdem sacrilegæ fabulæ reprobatione commorari.

6. Filium, & Spiritum sanctum, usque ad quinquies millesimum, & quingentesimum annum extitisse negabat. R. ex D.Jo: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Similiter, & Spiritum sanctum esse Patri consubstantialem, probatum est contra *Arianos*; non esse creaturam, ostensum est contra *Aetianos*; demùm Spiritum sanctum unum cum Patre, & Filio Deum esse, perhibent sacræ paginæ; quæ Spiritum sanctum creatorem omnium testantur. Sic psalm.32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum*; ergo si Spiritus sanctus est creator, non potuit incipere esse. Cæterùm non esset Deus; sed Spiritum sanctum esse Deum, constat ex forma Baptismi, à Christo præscripta; constat ex Symbolo Nicæno, ex actibus Apostolorum cap. 5. vers. 3. ex Matt. cap.12. vers. 32. ex prima ad Corint. cap.6. vers. 19. ex prima Petri cap. 1. vers.12. Sapientiæ 1. ex psalm.128. Actorum 2. psalm.103. Judit.16. ex prima ad Cor. cap.12. Jo:14. vers.26. Jo:15. ad Rom. cap. 8. ex secunda Petri cap. 1. Nec valet objicere ad reprobandam Spiritus sancti Divinitatem, quòd aliquando in Scriptura sit solùm mentio de Patre, & Filio, non verò de Spiritu sancto, quia ab argumento negativo nihil concluditur. Tum quia aliquando in Scriptura sit solùm mentio de Patre, aliquando de Filio, & aliquando de solo Spiritu sancto; ergo si argumentum hæreticorum concluderet, sequeretur neque Patrem, neque Filium esse Deum. Tùm quia pluribi in sacris paginis sit mentio unà simul de tribus Divinis personis.

7. Filium à Patre, Spiritum sanctum à Filio genitum, hunc autem Judam proditorem, & undecim Apostolos genuisse effutiebat. R. Nam Spiritum sanctum non esse genitum, sed spiratum; nec à solo Filio, sed à Patre, & Filio, contra Græcos commodiùs probabitur. Reliquum fabulæ non indiget reprobatione.

8. Dœmonem, qui à Salvatore appellatus est Satanas, Filium etiam Dei Pa-

Patris esse, & vocari Satanael, esse Filio verbo natu majorem, præstantioremque, sed sua dignitate elatum, de defectione cogitasse, & ministras tentasse potestates somniavit.

9. Satanaelem è cælo dejectum, Angelis quos secum traxerat audaciam injecisse, & habito cum ipsis consilio, firmamentum produxisse, terram ornasse, plantas, animantia, ipsumque hominem procreasse blaterabat.

10. Cum homines acerbo Dœmonum imperio premerentur, crudeliterque perderentur, vix paucos ex parte Patris perstitisse, & in Angelorum ordinem ascendisse, eos nimirum, qui in Genealogiis Euangelii secundùm Matthæum, & secundùm Lucam recensentur. Tandem aliquando Patrem se decipi, atque injuria affici animadvertisse, qui cum præstantiorem hominis partem tribuisset, majore tamen hominum numero privaretur, animæque misertum, quam insufflarat, ad ultionem Verbum ex corde suo eructasse, idest Filium, & Deum. Hunc esse, Michaelem Archangelum, descendisse de cælis, & per aurem Virginis dexteram influxisse, carnem induisse, quæ specie tenùs ex materia constat, & humano corpori est similis; cum tamen reverà materiæ sit expers: passionem, mortem, resurrectionem simulasse; ac demùm peracta scena, ac deposita persona, confudisse desertorem, ipsum in Tartara detrusisse, illiusque nomini ademisse sillabam *el*, quæ est Angelica, voluisseque, non ut *Satanael*, sed *Satana* deinceps nominaretur: expleto autem ministerio, reversum ad Patrem, & ad illius dexteram ascendisse in solio, ex quo Satanael fuerat ejectus.

11. Fingebat insuper Angelos, qui ceciderunt, cùm intellexissent Satanaelem Patri esse pollicitum loca ipsorum, ex hominum genere completa, in filias hominum impudicè conspexisse, easque in uxores accepisse, quo semen ipsorum in cælum reverteretur ad loca patrum suorum.

12. Moysen à Satanaele deceptum Judæorum populum eduxisse de Ægypto portentis, & signis virtute Satanaelis ejusdem patratis, & ab ipso legem accepisse in monte Sinai, illamque infinitam hominum multitudinem perdidisse. Hæc omnia figmenta esse quis non animadvertat? ita quidem, ut quisquis rationis compos, alia reprobatione non egeat ad confutanda hæc ineptissima commenta.

13. Eos tantùm Sanctos prædicabat, qui apud Matthæum, & Lucam in genealogiis commemorantur, & sexdecim Prophetas, Apostolos, & Martyres, qui ne idola adorarent (ut ipsi dicebant) occisi sunt. Sacerdotes autem, & Patres omnes tanquam idolorum cultores reprobos esse. Cultum enim imaginum, idololatriam appellabat. R. verbo *Iconoclastæ*.

14. Dicebat Dœmones assidere sepulchris Sanctorum, & sub eorum personis miracula edere, ut deciperent homines. R. Nam Deum mirabilem esse in Sanctis suis, miraculorum operatione, sive ad eorum sepulchra, sive aliàs orantibus, illosque invocantibus, est luce solis clarius, cum miracula ejusmodi per intercessionem Sanctorum patrata maximè ad confirmandam Euangelicam Fidem, adeò sint authentica, ut de illorum veritate dubitare non liceat, nisi quis velit pertinaciter omnia in dubium revocare. Cæterùm tam ex veteri, quàm ex novo Testamento miraculorum veritas comprobatur; Et quidem celebre est miraculum resurrectionis hominis mortui ex contactu ossium Elisæi, ut Scriptura narrat. Insuper Ecclesia tanta cautela procedit in examinandis Sanctorum miraculis, ut semel ac proponit aliquid Christianis piè credendum tanquam miraculosum, de rei veritate dubitare non modò Christianis non licet, sed neque rationis compoti. Dœmon autem non potest operari aliquid supra naturam; id enim pertinet ad eum, qui naturæ dominium habet: ideò dici nequit, quòd dœmon assistens sepulchris Sanctorum faciat miracula; nam ad summum dœmon facit aliquid, quod licèt videatur miraculosum, in re tamen tale non est,

quia

quia operatur applicando activa passivis; & cum habeat peculiarem cognitionem rerum, aliqua facit quæ nobis mirabilia videntur, quia tantam cognitionem rerum non habemus; Cæterùm verissimum est, quòd solus Deus potest patrare miracula, quippè qui solus est supra naturam. Vide S. Thom. 2. 2. q. 178. Posse viros sanctos in Dei virtute operari miracula, definitum est in Concilio Constantinop. 3. sub Agathone Papa; quæ manifesta veritas etiam ad hæreticorum confusionem, evincitur ex illo Jo: 14. vers. 12. ***Amen Amen dico vobis, qui credit in me opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet***; Nec valet instare solum Deum posse efficere miracula, quia legitur psalm.71. ver.18. ***Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus***; ergo Sanctos non efficere miracula: nam quando dicimus Sanctos efficere miracula, non dicimus ea efficere tanquam causa principalis, & in propria virtute, sed tanquam causa meritoria, & in virtute Dei, quem solum credimus causam principalem, & in propria virtute posse mirabilia operari.

15. Singulis hominibus singulos dæmones inhabitare asserebat. R. Nam licèt, permittente Deo, aliquandò dæmones fiant hominum invasores, scimus autem in Dei virtute, homines sic detentos per Sacerdotes liberari, sicut de facto Christum sæpe liberasse energumenos legimus in Euangelio, quod falsum esset, quandò singulis hominibus, singulos dæmones inhabitare verù esset. Tum quia Deus deputavit Angelos ad nostram custodiam, nullibi autem legimus contrariam facultatem dedisse in communi dæmonibus. Tum quia homines sancti imperant dæmonibus; ergo falsum est singulis hominibus, singulos dæmones inhabitare.

16. Dæmones habitare in templis, & Satanam sibi elegisse celeberrimum Jerosolymorum templum, quo everso templum S.Sophiæ Constantinopoli suscepisse blaterabat. R. Quia scimus dæmones fugere signum Crucis, à rebus sacris abscedere, sicuti sæpè experientia manifesta comprobavit. Tum quia templum specialiter est domus Dei; ergo esse nequit dæmonis habitaculum. Insuper Deum specialiter elegisse templum Jerosolymorum, ut ibi exaudiret supplicum preces, constat ex Scriptura: ergo falsum est &c.

17. Crucem Christi adorandam esse negabat. Repr. verbo *Claudius Taurinensis*.

18. Baptismum nostrum dicebat esse Baptismum Joannis, quod fit per aquam, suum verò vocabat Baptismum Christi, quod fit per Spiriritum. R ex Conc.Trid. sess.7.c.1. Tum quia noster Baptismus purgat ab originalibus, & actualibus. Unde de eo dixit Dominus: ***Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto &c.*** quam virtutem non habebat Baptismus Joannis. Noster Baptismus est necessarius ad salutem, quod dici nequit de Baptismo Joannis; ergo noster Baptismus non est Baptismus Joannis. Catholicorum Baptismus non est à Joanne, sed à Christo institutus. Demùm diversus est ritus in Baptismo nostro, ac in Baptismo Joannis, ergo &c.

19. Catholicos ad Bogomillos declinantes rebaptizabat. R. verbo ***Anabaptistæ***.

20. Hæc verba Matt. 22. ver. 30. ***In resurrectione neque nubent, neque nubentur*** adducebat ad cælibatus necessitatem adstruendam, & ad reprobandum matrimonium. R. Quia cælibatus est solùm consilium, ut constat ex D. Paulo. Matrimonium non est reprobandum, ut probatum est contra ***Adamitas***; & illa verba Matt. 22. non patiuntur hanc extorsionem, ut apud Sanctos verbi Dei Interpretes videre est; ergo &c.

21. Pro resurrectione, pœnitentiam, & vitam Euangelicam intelligebat. R. Nam resurrectionem corporum de facto futuram, probatum est contra *Basilidianus*. Estò quòd pœnitentes dicantur etiam resurgere à peccatis: sed hoc moraliter dicitur; illa autem verba Symboli *Carnis resurrectionem*, nullatenùs extorqueri possunt ad significandam pœnitentiam, vel vitam Euangelicam. Lege Actor. cap.23.

22. In Ecclesia orandum esse negabat: & illa verba Matth. 6. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum*; sic explicabat, ut nomine cubiculi intelligeret mentem: R. ex his quæ dicta sunt verbo *Apostolici*, & *Albigenses*.

23. Negabat realem existentiam corporis Christi in Eucharistia. R. verbo *Berengarius*.

24. Unicam esse orationem à Deo præceptam, scilicet *Pater noster*: alias precandi formulas rejiciebat. R. Exemplo Christi, qui cum prolixiùs oraret in horto, certè non solum orationem Dominicam recitasse, sed & alios pios affectus habuisse ergà Patrem suum, consonum est. Tum quia Psalmista, qui septiès in die laudem dicebat Domino, orabat, & tamen orationem Dominicalem recitare non poterat; ergo falsum est alias orationes rejiciendas, & solam Dominicalem, esse à Deo præceptam. Tum quia Ecclesia speciales orationes vocales, præter Dominicalem, approbavit. Tum quia nullum extat præceptum de recitanda sola oratione Dominicali. Tum quia plures precandi formulæ, quibus Catholici utuntur, continent pios, & sanctos affectus erga Deum, Virginem, & Sanctos; excitant nos ad bona opera; ergo sunt bonæ, ergo non sunt rejiciendæ: cæterum dicendum foret rejiciendas esse laudes Dei, Virginis, & Sanctorum, quæ in diversis orationibus exprimuntur. Tum quia oratio Dominica, quæ communis est, non excludit orationes particulares, de quibus plura exempla habemus in sacris paginis; orationes autem particulares bonas esse, & Deo acceptas, probabitur contra *Insabbatatos*, qui volebant solùm orandum in communi; ideò solam orationem Dominicam, quæ communis est, effutiebant esse recitandam.

25. Plura alia hæretica figmenta somniavit Bogomilles, cujusmodi illud est; quòd asserebat, omnes suos esse Spiritus sancti habitaculum, & Dei parentes, quòd Verbum Dei conciperent in utero, docendo parerent: & nihil ampliùs præ ipsis Mariam habuisse. Dicebat suos non mori, sed solùm veluti in somno transmutari. Se non in somnis, sed reverà vidisse Deum Patrem: ut senem dens à barba ornatum; Filium tanquam juvenem, & Spiritum sanctum tanquam adolescentem. Monachos dicebat esse volucres in columnis, & domunculis habitantes, qui cum inertem vitam ducant, tamen à Patre cælesti nutriuntur? Demum sequaces suos esse lilia agri propter morum candorem, ornatumque virtutum gloriabatur. His, & consimilibus hæreticalibus fabulis pessima Bogomillorum hæresis, deceptos homines, à via veritatis avertebat.

XV. Bohemi. Ex his, quæ gesta sunt in Concilio Basileensi sub Martino V. & Sigismundo Imperatore anno 1431. cum Bohemorum causa discussa est, eorumdem errores constat esse sequentes.

1. Clericis dominium civile Divina lege interdictum esse dicebant. R. Nam licet in Ecclesia plures sequantur consilium Evangelicum relinquendi omnia, & voto ad hoc se adstringant: attamen potest quis vivere secundùm præcepta Evangelica, & Sacerdotio initiari, etiam si tali voto se non adstringat, quia consilia Euangelica non obligant, nisi spontè voventem eorum observantiam. Quòd autem possit cum dominio civili, & Sacerdotium conjungi probatur; nam Christus non obligavit Apostolos, quando eos elegit, vel ordinavit sacerdotes, ad renuntiandum dominio rerum, sive mobilium, sive immobilium: ergo nulla lege dominium civile interdictum est clericis. Tum quia scimus plures ex discipulis Domini, habuisse dominium civile, v. g. Lazarum, qui Dominus erat potens in Judæa, & Castellorum ditionem possidebat, postmodùm Massiliæ Episcopum constitutum, nullibi legimus dominio suo renuntiasse; imò in sac. pag. nullum hac de re extat præceptum; quod si extaret, certè tot sancti sacerdotes, & Episcopi, qui dominia civilia à Regibus oblata acceptarunt, utique non acceptassent, si contrarium in sac. pag. novissent exhiberi mandatum. Vide Bellarminum lib. 1. de clericis cap. 26.

2. Prædicationem Verbi Dei omnibus

bus liberam, & permissam esse arbitrabantur. R. Quia prædicationem Euangelicam, specialiter discipulis à Deo demandatam, quos misit in universum orbem prædicare Evangelium, ex ipsius Euangelii testimonio certò deprehendimus. Tum quia prædicatio Euangelica, est juris Episcopalis; siquidem Episcopi sunt Apostolorum successores, ergo illis solùm competit, quibus tale jus est ab Episcopis, vel à summo Romano Episcopo communicatum. Tum quia si libera esset prædicatio Euangelica, facilè ab indoctis concionatoribus, per erroneam doctrinam propositam, possent decipi auditores. Tum quia hoc ministerium nunquam alicui laico demandatum legitur, & solos Ecclesiasticos hoc exercuisse, ab initio Ecclesiæ, usque ad hæc tempora comperimus. Tum demum cum dignis de causis Ecclesia judicet, & velit à solis sacerdotibus prædicari Euangelium, Ecclesia autem cum habeat auctoritatem condendi leges, hoc satis est ad eos convincendum, qui talem auctoritatem ad alios, præter sacerdotes, extendere contendunt.

3. Circa cohibitionem, & correptionem omnium peccatorum mortalium, publicorumque delictorum, etiam proposuerunt articulum, quo videbatur eos contendere, quòd peccata mortalia publica, non Ecclesia, sed secularis potestas deberet reprimere; sed quia non semper eodem tenore suum exprimebant sensum Bohemorum Legati ad Concilium; ideò difficile est intelligere quid expressè in hoc tertio afferto contenderent.

4. Communionem sub utraque specie necessariam esse omnibus ad salutem asserebant. R. ex Concilio Constantiensi sess. 13. Coloniensi 3. celebrato sub Paulo III. Demum ex Trident. sess. 21. cap. 1. & 2. Tum quia Christus dixit Joannis 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*: non autem subjunxit, *& biberit ex hoc vino*; ergo ex Christi verbis, æquè valet ad salutem communio sub una tantùm specie. Deinde si necessaria esset sumptio Eucharistiæ sub utraque specie, hoc foret per adversarios, quia per sumptionem Sacramenti Eucharistici sub una tantùm specie, non consequeretur communicans effectus hujus Sacramenti, sed ex verbis ipsius Christi, constat hoc esse falsum: legitur enim 1. ad Cor. v. 27. *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè: reus erit corporis, & sanguinis Domini*; ubi notanda est illa particula disjunctiva *vel*, ex qua manifestè evincitur, quòd sicut est reus qui sumit indignè panem, vel calicem, ita consequitur effectum Sacramenti, qui sumit solum panem, vel solum calicem. Insuper notandum in citato textu, quòd qui sumpserit solum panem indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini: sicut qui sumpserit solum calicem: ex quo evidenter deducitur, quòd qui sumit solum panem, æquè sumit corpus, & sanguinem Christi, similiter ac qui sumit solum calicem; quomodò enim esset reus sanguinis Domini, qui solum panem sumit, nisi quia sub speciebus panis non modò est corpus, sed etiam sanguis Domini, simili proportionali modo loquendo de calice? Insuper in primitiva Ecclesia Discipulos congregatos, saltem aliquando sumpsisse Eucharistiam sub sola specie panis, constat ex illo Actorum 2. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis*. Luc. 24. Discipuli euntes in Emaus cognoverunt Christum in fractione panis; ex quo communis sensus est, Christum in hoc casu, se dedisse in cibum Discipulis sub sola specie panis: ergo communio sub utraque specie non est de necessitate præcepti, quod in tali casu difficulter posset adimpleri ab abstemiis. Ex illis autem verbis Jo: 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; non potest inferri necessitas communionis sub utraque specie, ut volunt hæretici; sed deducitur tantùm, quòd necessè est manducare corpus, & sumere sanguinem Christi, quod exequitur sumendo Eucharistiam sub una specie, sub qua cum sit corpus vivum, necessariò

riò etiam est sanguis Christi ; ex quo sequitur , quòd qui sumit corpus , simul & semel bibat sanguinem , & consequenter satisfaciat præcepto , quod extenditur solùm ad communionem sub una specie , ut supra probatum est. Neque potest deduci , quòd extendatur ad communionem sub utraque specie , ex illis verbis Matt.27. *Bibite ex hoc omnes* ; nam satis constat illa verba dicta à Christo in ultima cœna , directa fuisse ad solos Apostolos , non autem ad omnes Discipulos : cæterùm falsum esset , quod subjungit Evangelium , *Biberunt ex illo omnes* : non enim omnes Discipuli erant in cœnaculo , & consequenter non omnes biberunt : quapropter ex illis verbis , quæ dicta sunt ad solos Apostolos , non potest probari præceptum universale sumendi corpus , & sanguinem sub utraque specie : Nec inde sequitur , quòd superflua fuerit institutio Sacramenti Eucharistici sub specie vini ; nam cum hoc Sacramentum rationem habeat etiam sacrificii , voluit Christus per institutionem Sacramenti sub specie vini , fieri expressé mentionem de effusione sanguinis. Constat ex hactenùs dictis , nullum esse præceptum de sumenda Eucharistia sub utraque specie : imò usum sumendi sub una tantùm specie , Christum & verbis , & facto comprobasse : qui usus , etiam tempore Apostolorum viguit (nemine usque ad 15. seculum contrà reclamante) ut constat Act.v.42. Act.20.7. & deinde successivè semper data est laicis communio sub una specie . Hac de re tractatum edidit lectu dignum Joannes Hosman Episcopus Misnen.ann.1571.

XIV. Bononatus fuit natione Catalaunus , inter Beguardorum duces à Sandèro hæref.160. adscribitur . Porrò cum Beguardorum errores , nimis pertinaciter , non obstante eorum condemnatione , promulgaret , vivus in erroris, & pertinaciæ pœnam combustus fuit .

IV. Bonosiani à Bonoso Sardicensi Episcopo in Macedonia , eorum principe , sic dicti fuerunt , causa cujus in Concilio Capuano anno 389. cum delegata esset Anisio Episcopo Thessalonicensi , ab eodem damnatus fuit Bonosus , tanquam Photinianæ hæresis sectator : quare etiam à Gelasio Papa , unà cum Photino proscriptus : demum Capuana Synodus anno 389. eidem Bonoso anathema dixit .

1. Senserunt Bonosiani Christum purum hominem esse . R. verbo *Artemon.*

2. Duos in Salvatore filios agnoscebant , unum naturalem , & æternum , alterum adoptivum , & temporalem . R. Si essent duæ filiationes in Christo , etiam necessariò essent duæ Personæ ; sed in Christo unica est Persona , ut probabitur contra *Nestorium* , ergo una filiatio ; & quidem naturalis , & æterna esse debet , non verò dari potest in Christo filiatio adoptiva , quia ad adoptionem requiritur , quòd persona adoptata sit totaliter extranea respectu adoptantis ; sed Persona Christi , cum sit eadem , ac Persona Verbi , non potest esse extranea respectu Patris ; ergo neque Christus , qua homo , potest dici filius adoptivus ; quia adoptio principaliter respicit personam , & cum Persona Christi non possit adoptari , est enim filius naturalis ; ergo neque Christus dici potest filius adoptivus ; sicut de facto definivit Concilium Francofordiense , contra Felicem , & Ellipandum , qui duas filiationes admittebant in Christo , unam naturalem , aliam adoptivam ; qua de re damnati fuerunt , quia cum , ut dixi , filiatio respiciat personam , impossibile est duas admittere filiationes adeò diversas , nisi etiam multiplicitas personarum admittatur in Christo , quod est cum Nestorio sentire .

3. Dixerunt Mariam Virginem , Christi Matrem , post partum Virginem non permansisse , sed alios filios habuisse. R. verbo *Antimariani* .

XVI. Boquiniani prodierunt à quodam ministro Sacramentario , cui nomen Petrus Boquinus , qui Burgis in Belgio institutum religiosum professus , doctoratus lauream ibidem assumpsit , & Religiosis sui Ordinis aliquandiù in suo Conventu præfuit . Deinde Basileam profectus , mox Witembergam ; cum Lu-

Luthero amicitiæ fœdus pepigit, & Melanctone, quorum hortatu apostatavit à Religione, & Fide, Strasburgi minister constitutus, apud Margaritam de Valois gratiam invenit, à qua vitalitium stipendium obtinuit. Deinde Heildebergæ, rogante Electore Palatino anno 1517. Theologiam docuit; sed aliquos post annos hinc ejectus, Lausanam se contulit, ubi in suis erroribus decessit. Potissimi errores sunt duo sequentes; quos certum est à Boquino non fuisse adinventos, sed renovatos; jam enim ex Concilio Arelatensi 3. celebrato circà annum Christi 455. constat in eodem errore fuisse quemdam Lucidum Presbyterum, de quo suo loco.

1. Docuerunt Boquiniani, Christum non esse pro omnibus peccatoribus crucifixum, sed tantùm pro fidelibus, & probis. R. verbo *Jansenius*.

2. Dixerunt solùm fideles in Eucharistia manducare corpus Christi, scilicet solùm electos, non autem impios, & reprobos. R. Ex verbis D. Pauli: *Qui indignè manducat, judicium sibi manducat*, ex quibus verbis apertè constat etiam reprobos manducare corpus Christi. Tum quia si impius non manducaret corpus Christi in Eucharistia, sed solùm fidelis, & electus; sequeretur corpus Christi non esse in Eucharistia ex vi consecrationis, sed ex vi commestionis factæ à fideli, & electo: in quo casu omnis electus, etiam laicus, conficeret hoc Sacramentum, quod neque admittunt ipsi adversarii.

Demum Christus sicut pro omnibus mortuus est, sic etiam pro omnibus Sacramenta instituit. Estò quòd aliquando impii abutantur hoc Sacramento; hoc tamen non officit, quin accedentes ad mensam, & recipientes Eucharistiam, verè recipiant corpus Christi.

XI. Borboriani ex cænosa Gnosticorum propagine prodierunt, seculo secundo; dicti etiam Borbonitæ, qui præter errores Gnosticis communes, referente Philastrio.

Negabant futurum esse universale judicium. Repr. ex Symbolo Apostolorum, & Nicæno, in quibus Christum venturum judicare vivos, & mortuos asseritur: Concilio Nicæno subscripsit, Toletanum 4. & Lateranense 4. sub Innocentio III. Apertè veritas hæc legitur in Euangelio Matt. & 2. ad Cor. 2. c. 5. v. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*, qui textus stant pro manifestatione generali in ictu oculi, in novissima tuba, ab omnibus simul facienda, non verò quemadmodum ex torquere conantur hæretici stant pro manifestatione particulari, quæ sequetur etiam post uniuscujusque mortem. Demum Christum judicaturum orbem in æquitate, constat ex psalm. 95. & 97. & ex Actibus Apost. cap. 17. ver. 31. Nec valet instare, quod Jo: 12. legitur: *Nunc judicium est mundi*, & Jo: 3. *Qui credit in eum non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est*, ad excludendum universale judicium; nam in primo textu sensus est, quòd diabolus à mundi possessione in Christi morte fuit ejectus; unde statim legitur: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*; In secundo autem textu, sensus est, quod qui vivet infidelis Christo, infallibiliter condemnabitur in extremo judicio; ideò de eo dicitur *Jam judicatus est*, sicut statim ac aliquis patravit enorme delictū, quod pęna mortis punitur, cum innotescit dicimus de eo, mortuus est, quia scimus infallibiliter à judice morte damnandum. Nec valet dicere superfluum esse judicium universale, cum statim post mortem sequatur particulare; quia licèt homo statim post mortem justè judicetur, attamen adhuc ad judicium universale vocabitur, ut omnibus appareat, quàm justè fuerit unusquisque à supremo Judice judicatus, in judicio particulari.

IV. Botrus Author fuit in Asia schismatis, quod posteà vocatum fuit à Donato schisma Donatistarum, quia cum Episcopatum ambiret Carthaginensem, & in illo suffectum esse reperiisset Cæcilianum, se ab Ecclesia separavit, schismate

mate suscitato, adjuvante etiam Celesio, & quadam fœmina, potenti quidem, sed factiosa, nomine Lucilla, quam sæpè Cæcilianus correxerat; sed cum Cæciliani correctionem ægrè ferret, occasione arrepta, Botro contra Cæcilianum se adjunxit: de hæresi autem Botri in schisma commutata, agetur verbo *Donatus*.

III. Brachitæ prodierunt ineunte seculo 3. & in multis sentiebant cum Gnosticis, in multis verò cum Manichæis.

XVI. Brandeburgenses Articuli Anno 1614 mense Februario Elector Brandeburgensis, cum assiduis contentionibus Lutheranos, & Calvinistas ditionis suæ digladiari cerneret, jussit eunctos sibi subditos ministros juxtà Augustanæ Confessionis, ejusque Apologiæ correctionem Euangelium prædicare, constitutis sequentibus articulis.

1. Imagines è suis Templis exterminandas. 2. Altaria demolienda, & in eorum locum die Cœnæ mensas ligneas substituendas, eas quidem panno nigro, & alba mappa coopertas. 3. Statuas, & Cruces rejiciendas. 4. In locum hostiarum die Cænæ, tortis panis utendum, in longiora frustra discerptis, quæ in pelvi, discove majori, Cœnam suscepturis offerantur; hi verò panem suis manibus sumant, frangant, & comedant. 5. In Cœna calicibus utendum non esse, sed patenis, aut scyphis. 6. Nullas preces ante collectam fundendas. 7. Superpelliceis utendum non esse. 8. Neque candelis. 9. Nullum linteum, aut umbellam iis, qui se ad sumendam Cœnam offerrent, superponendam. 10. Cœnam sumendam nequaquam flectendo genua, tametsi in ea Christus existeret. 11. Nullum Crucis signum post benedictionem faciendum. 12. Terga Ministris minimè vertenda. 13. Nec preces, nec epistolas cantu recitandas, sed legendas. 14. Abjiciendam esse Confessionem auricularem. 15. Preces alta voce fundendas, non submissa. 16. Cœnam ægrotis minimè tribuendam esse, præsertim tempore pestis, ob periculum, quod imminere posset deferenti. 17. Amovendos à Templis fontes Baptismatis, & in eorum locum subroganda esse vasa, manibus abluendis apposita. 18. Nullum in Templis epitaphium tolerandum esse, nullum Crucifixum. 19. Reformandum esse Decalogum, & Cathechismum. 20. S. Trinitatem, nec sculptura, nec pictura repræsentandam. 21. Verba Cœnæ rectè exponi, intelligique debere. 22. Solitam diebus Dominicis Epistolarum, & Euangeliorum anni explicationem abrogandam; legendum verò aliquem Bibliorum textum, & de eo prædicandum. Horum errorum reprobationes hic non inferuntur, quia sparsim sub aliis hæreticis adductæ exhibentur.

XVI. Brentius Joannes, natione Svevus, ex Sacerdote, & Canonico Witembergensi, factus apostata, uxorem duxit. Sectam Semilutheranorum amplexatus, etiam novæ sectæ vexillum erigere studuit, novos disseminando errores, maximè circa existentiam corporis Christi in Eucharistia, quod cum ratione unionis hypostaticæ, ubique esse adstrueret, factum est ut ejus sectatores *Vbiquistæ* nuncuparentur. Scripsit Homilias in Euangelium Luc. pluribus refertas erroribus. Vix duodecim annos natus vnà cum Melanctone, & Bucero Heildebergam se contulit; ibi studiis addictus, magisterii gradum ætatis suæ anno 15. obtinuit; sed cum Lutheri scriptis, plus quàm par esset insisteret, & eidem se nimis fecisset sodalem, ejusdem Lutheri doctrinæ propagandæ se addixit, licèt non omnes Lutheri novitates sibi arriderent; Missam enim quamvis Lutheranus factus, semper celebravit, quam tamen solùm pro vivis offerebat, non pro defunctis, quippè qui illis nihil prodesse assereret. Contra Zuinglium præsentiam realem corporis Christi in Eucharistia sustinuit. Maximè cum Tubinges Theologiam explanaret. Bis uxoratus, à prima uxore sex, à secunda duodecim filios suscepit. Brentio imputatum fuit bellum Germanicum, quod anno 1546. commissum fuit; quare ab Imperatore Carolo V. ad puni-

punitionem quæsitus, sub protectione Ducis Witembergensis fugam arripiens; defuncto Luthero, Lutheranæ synagogæ antesignanus constituitur: variis tamen editis suæ fidei confessionibus anno 1570. ætatis suæ 72. hominem exuit: ejus errores sunt sequentes.

1. Homilia 73., & 74. in Luc. affirmat in corpore Christi glorificato nullas ampliùs apparere vulnerum cicatrices. R. Luc. cap.24. vers. 39. *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum . . . Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus, & pedes*, in quibus cum D. Thomas detegisset vulnerum cicatrices, statim exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus*; Jo: cap.20. vers.27. *Affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis*, quæ omnia contigisse post gloriosam Christi resurrectionem, negari non potest; ergo in corpore Christi remanserunt vulnerum cicatrices, cum quibus iterum apparebit in extremo judicio; legitur siquidem, in actibus Apost. cap.1.vers.11. *Hic Jesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum*. Nec valet objicere illud ad Cor. cap.15. *Mortui resurgent incorrupti*, quia signum præteritæ passibilitatis, nullatenus officit corporum incorruptioni, nec cicatrices dicent imperfectionem in corpore Christi, quin imò tanquam gemmæ splendidissimæ erunt ornamento.

2. In recognitione suæ doctrinæ de Christi majestate, negat Christum ascendisse corporaliter in cælum. R. verbo *Augustiniani*.

3. Erravit in explicatione unionis hypostaticæ. R verbo *Smidelinus*.

4. Dixit Euangelium veram legis rationem non habere, & Christum in Euangelio nihil nobis præcipere, sed solùm enunciare ea, quæ speranda sunt, quia Euangelium *bonum nuntium* significat. R. ex Concilio Trid. sess.6.Can.21. ubi apertè dicit anathema negantibus Christum esse Legislatorem, de quo vaticinatus est Isaias cap 33. vers.22. *Dominus legifer noster*, & Jeremias cap.31. *Dabo legem meam in visceribus eorum*. Insuper ex Euangelio constat Christum instituisse præcepta, ad quorum observantiam nos obligat; ergo Euangelium verè habet vim legis. Antecedens patet ex illo Matth. *Euntes ergo docete omnes gentes, docentes eos servare omnia, quacumque mandavi vobis*, Jo: 14. *Si diligitis me, mandata mea servate*, Matt.19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Tum quia si Euangelium non haberet vim legis, non peccaret qui baptismum non susciperet; quod tamen neque admittunt ipsi hæretici, qui ideò baptizant suos parvulos, quia hoc asserunt esse in Euangelio præceptum. Si Euangelium non haberet vim legis, cum cessaverit lex Mosayca, nulli legi homo teneretur, quod falsum est, cum Joannis 13. Christus dicat: *Novum mandatum dedi vobis*. Nec valet dicere, ad probandum quòd Christiani non sint sub lege, illud ad Rom. 6. *Non estis sub lege, sed estis sub gratia*, & ad Corinth. 3. *Ubi spiritus Dominus, ibi libertas*, vel ad Galatas 3. *Christus nos redemit de maledicto legis*; nam per hos, & similes textus, probatur Christum nos liberasse à gravi lege Mosayca, quoad cæremonialia; itaût non teneamur ampliùs circumcisionem pati, abstinere à certis cibis, & similia; sed non probatur Christum legem gratiæ non promulgasse, cui omnes parère tenemur, juxta illud: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, & aliud: *Nisi quis renatus fuerit &c.* Si Euangelium non haberet vim legis, superfluo erat Christum Euangelii observantiam præcipere: non ergo Christus nos liberavit à lege, sed à peccato, & à damnatione æterna; in quo sensu intelligendi sunt alii Scripturæ textus, qui contra adduci solent ab hæreticis. Celsiorem hujus ejusdem rei considerationem, si quæras, facilè inveniens apud S. Augustinum passim explicantem, quomodò antiquus populus timore legis, propter ejus duram cervicem, ducebatur; Christianus autem amore finis. Unde illis lex per Moysen, nobis autem specialiter gratia per Christum? ait Apostol.

5. Ecclesiam non posse præcipere jejunium. R. verbo *Aeriani*.

6. In suo cathechismo cap. de Baptismo, dixit Baptismum esse validum, si Minister post recitatum à Cathecumeno symbolum, baptizet in hac forma: *Audivi jam ex te confessionem fidei tuæ, quòd credas in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, in hanc igitur confessionem, intingo te in aquam, ut hoc signaculo certus sis te in Christum insertum esse*; ex quo sequitur per Brentium, virtutem Baptismi, non esse alligatam ad certam formam. R. ex Conc. Later. cap. Firmiter : ex Florentino in Decreto Eugenii, & ex Trid sess. 7. Can. 3. ex quibus constat hanc solam, & non aliam esse veram formam Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: quam nimirum docuerat Christus, juxta Evangelium Matt. cap. ultimo. Nec valet dicere, quòd Christus quando contulit Discipulis potestatem ejiciendi dœmonia, dicens Marci ultimo: *In nomine meo dæmonia ejicient*, non præscripsit Apostolis, ut dicerent, ejicio te in nomine Christi; ergo neque præcepisse ut baptizarent sub dicta forma, quando præcepit eis ut baptizarent; nam disparitas est, quòd in casu de Baptismo, agitur de institutione Sacramenti, circa quam standum est Christi verbis, cum solus Christus habeat auctoritatem instituendi Sacramenta: in casu autem de ejectione dœmonum, Christus non instituit Sacramentum, sed simpliciter contulit potestatem ejiciendi dœmonia, virtute nominis ejus. Vide verbo *Aetiani*, *Agnoetæ*.

7. Per Baptismum deleri solum peccatum originale. R. verbo *Fulgentius*.

8. In confessione Witembergensi cap. de Eucharistia, dixit Missam non esse Sacrificium. R verbo *De Bruis*.

9. Voluit Eucharistiam dandam esse laicis sub utraque specie. Repe. verbo *Bohemi*.

10. De doctrina Religionis, dixit, unumquemque sibi posse arrogare judicium. R. Quia hoc posito unusquisque posset, juxta proprium genium sentire circa dogmata fidei, & sic una non esset certa fides, & lex servanda, sed tot essent leges, quot de doctrina Religionis fierent pro libito uniuscujusque judicia. Cum tamen scriptum sit: *Unus Dominus, una fides*. Ad Ephes. 4. 5. Tum quia constat de facto exortas lites circa doctrinam Religionis, in quo casu controversia deducta est ad Supremum Pontificem, qui Judex certus est in materia fidei, & solus errare non potest, quippe cui dictum: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; ergo solus Pontifex habet auctoritatem judicandi in doctrina Religionis, & nemo potest sibi de eadem arrogare judicium. Tum quia materia legis debet esse certa, quod falsum esset, si unusquisque posset de doctrina Religionis pro libito judicium proferre.

11. Præter Scripturas, nihil recipiendum fore. R. verbo *Biblistæ*.

12. Traditiones Patrum omninò rejiciendas. R. ex Scriptura, quæ Luc. 10. vers. 16. de Sanctis Patribus ait: *Qui vos audit me audit*. Et Matthæi 10. vers. 20. *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestris, qui loquitur in vobis*; ex quo patet, per unanimem Sanctorum Patrum consensum, nobis Spiritum sanctum loqui, & explicare Scripturam sacram. Item ad Eph. 4. *ipse* (idest Christus) *dedit quosdam quidem Apostolos, alios autem Pastores, & doctores ad consumationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*. Quibus verbis asseritur, sanctorum Patrum explanationes fuisse à Christo traditas, ut insistendo eorum scriptis, & doctrinis, constantes in fide essemus. Demùm standum esse doctrinæ SS. PP. asserit Conc. Tridentinum sess. 4. Vide verbo *Biblistæ*.

13. Ecclesiam non esse visibilem. R. ex ipsa definitione Ecclesiæ, quæ nihil aliud est, quàm societas hominum sub Christi capite, & legitimis Pastoribus Deo servientium; hujusmodi societas est visibilis; de ipsa enim, Scriptura ubique

que loquitur, tanquam de congregatione visibili: Matt.18. habentur ad rem hæc verba: *Dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit &c.* Quæ verba de visibili cætu intelliguntur: quomodò enim quis peccata fratris ad cætum invisibilem deferre posset? De cætu quoque visibili necessariò debent intelligi hæc verba Act. 20. vers.8. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*; sed si per Ecclesiam societas invisibilis intelligeretur, utique gubernari non posset ab Episcopis: nec enim grex, qui non cognoscitur custodiri potest à pastore. Tandem tenetur quisque audire Ecclesiam, ad illam redire, si per schisma, aut hæresim sit extra illius sinum; neque enim aliquis extra Ecclesiam positus salutem consequi potest: at quomodò quis Ecclesiam audire, illi adhærere, ad illam redire poterit, si Ecclesia non sit visibilis? Vide verbo *Invisibiles*.

14. Dixit corpus Christi esse ubique, ideoque non minùs esse in pane Eucharistico, quam in alia re. R. Quia si ex unione corporis Christi cum Persona Verbi, corpus Christi esset ubique, ut asserit Brentius; sequeretur quòd corpus Christi non minus esset adorandum in pane Eucharistico, quàm in ligno, quam in qualibet alia re: item sequeretur quòd hoc Sacramentum non foret à Christo institutum, sed quòd ex necessitate corpus Christi esset in pane, & in omni alio subjecto materiali. R. etiam à Conc. Eph. quod definivit contra Nestorium, volentem duas naturas ita esse simul unitas, ut quidquid de una dicitur, etiam de alia posset affirmari. Demum ubiquitas corporis Christi pugnat cum scriptura dicente, Christum hominem ratione humanitatis alicubi non fuisse; sic Matth. ultimo legitur: *Non est hic surrexit enim.* Nec valet dicere corpus Christi non esse quidem ubique localiter, benè tamen esse ubique Divino modo; quia implicat corpus finitum posse esse Divino modo, & habere attributa propria solius Divinitatis: tandem si corpus Christi est ubique, illa verba consecrationis, per quæ sit transubstantiatio: *Hoc est corpus meum*, dicendum foret esse superflua, quòd neque ipse Brentius absolutè concedit.

15. Negat spectare ad Pontificem præsidere Concilio generali, sed vult spectare ad Imperatorem: asserens in veteri testamento primarios Judices, in causis etiam spiritualibus, fuisse Principes, ut patet de Moyse, Josue, Davide, Salomone, Ezechia, Josia. R. ex Conc. Apostolico Act. 15. in quo Sanctum Petrum præsedisse S. Hieronymus affirmat. Item ex continua praxi. Tum quia illius est præsidere, vel per se, vel per suos legatos, qui omnes in Ecclesia præcellit, talis est Rom. Pontifex. Exempla verò adducta nihil evincunt, quia in lege veteri Reges fuerunt vel Sacerdotes, vel Prophetæ, quibus aliquando Deus quædam extraordinariè committebat, quæ ad sacerdotes spectabant. Demum Malach. 2. vers. 7. legitur: *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus*. Patet autem illi attinere præsidentiam, ad quem scientiam Dei proferre, & legem pronuntiare spectat. Vide infra num. 17.

16. Dixit descendere ad inferos esse penitùs interire. R. verbo *Augustinus Marloratus*, contra quem probavimus animam esse immortalem. Tum quia datur supplicium ignis æterni in inferno pro peccatoribus, ut probatum est contra Albanenses; ergo descendere ad inferos, non est penitùs interire.

17. Dixit Romanum Pontificem non esse summum judicem in causis Religionis. R. Deuteronom. 17. vers. 8. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram..... Surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint.. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, morietur.* Item ex lib.2. Paralip. c.19. v. 11. *Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester*

(inquit Rex Josaphat) *in his , quæ ad Deum pertinent , præsidebit* . Pontificem esse supremum Judicem in causis Religionis nervosè ostendunt plures SS. PP. inter quos eruditè perstringit hoc argumentum S. Bernardus in libris de consideratione , & epist. 189. ad Innocentium . Suffragatur etiam ratio , quia in causa Religionis, debet esse Judex communis in tota Ecclesia , sed hic solus Romanus Pontifex esse perhibetur . Contra errorem istum Brentii graviter scripsit Card. Hosius librum de legitimis judiciis: alios etiam ejusdem errores egregiè rejecit.

XVI. Brocardus Jacobus Venetus , celeberrimus seculi 16. Fanaticus , à Catholica Religione defecit, ut Calvinismum amplecteretur . Inanibus præcipuè visionibus studuit, & chimæricis interpretationibus de profetis quæ extant in scriptura sacra , quas in particularibus ejusdem seculi eventibus completas fuisse docebat . Quæ libertas interpretandi Scripturas , ab ipsis Calvinistis rejecta fuit , atque damnata in nationali eorum Synodo , Migdeburgi habita , anno 1581.

XVII. Brunistæ, et Broctunistæ . Inter Calvinianas scissiones connumerantur Brunistæ , & Broctunistæ , duæ sectæ, quæ in Hollandia anno 1619. viguerunt , occasione dissensionis factæ inter Arminianos , & Gommaristas : an autem in toto , vel solùm in parte sequerentur Arminium , vel Gommarum , incertum est ; sicut , & unde sibi hoc nomen assumpserint Brunistarum , & Broctunistarum , compertum non habeo . Ex Spond.

XII. De Bruis . Petrus de Bruis Petrobrusianorum hæresis Corifeus, in Delphinati montibus ortus , duodecimo currente seculo , cum per viginti circiter annos errores suos in Provincia Arelatensi , & finitimis locis disseminasset , tandem captus , in urbe S. Ægidii Nemovicensis Diœcesis , vivus igni traditus est ; cum ipse in die Parasceves plures cruces comburens , hoc igne uteretur , ad conficiendas epulas , quas suis sectatoribus apponebat . Impugnatorem habuit Venerabilem Petrum Cluniacensem : ejus præcipui errores sunt sequentes .

1. Negat parvulis ante usum rationis prodesse Baptismum . Repr. Verbo *Anabaptistæ* , *Bucerus* , *Eleutheropapistæ* .

2. Non esse necessariam Christianis templorum constructionem , quia æquè Deus exaudit orantes in Ecclesia , ac in taberna . R. Verbo *Eustatius* . Itidem ex his , quæ leguntur in sacris paginis de dedicatione templi facta à Salomone , ex cujus sacræ historiæ serie , constat quàm accepta sit Deo oratio , quæ fit in templo , tanquam in domo , Deo specialiter dicata , ubi decentius , & Deus colitur , & à nobis exoratur . Vide verbo *Faustus Manichæus* , *Apostolici* .

3. Cruci sacræ nullum deberi cultum asseruit , ideoque cruces confringi præcepit , quia (ut ipse blaterabat) fuit in cruce Christus dirè tortus , ideò ad ultionem crucis , debet crux succendi . R. Verbo *Claudius Taurinensis* .

4. Negat in Missa offerri corpus Christi , & Missæ sacrificium nihil esse affirmat . R. Verbo *Faustus Manichæus* , *Confessionistæ Provinciales* .

5. Eleemosynas , & sacrificia oblata à vivis pro defunctis nihil mortuis prodesse . R. verbo *Aeriani Novi* .

XVI. Bucerus Martinus natione Germanus , patria Argentinensis , apostatavit à Religione , quam professus erat. Negat tamen Picinardus professionem emisisse , sed adhuc novitium , spontè habitum dimisisse , asserit in libro de approbatione doctrinæ S.Thomæ . Circa annum 1530. suos cæpit evomere errores , junctus incestuoso , & sacrilego connubio cum Moniali , quæ fuit tredecies puerpera . Linguarum peritia celebris , primò inter Sacramentarios , & Lutheranos pacem , & concordiam stabilire plurimum est aggressus ; Hermanno Coloniensi Archiepiscopo in suam hæresim inducto . Cum Lutherò Heildehurgi aliquos habuit congressus , sed Zuinglianam Lutheranæ doctrinæ præferens , Ausburgim legatus ab hæreticis ut conventionem *Interim* dictam subscriberet , non approbavit . Vix est inter Pro-

Protestantes invenire, qui copiosiùs, Bucero scripserit, & magis pro stabilienda hæresi insudaverit: deindè Angliam proficiscens, Apostaticæ reformationis disciplina in Anglia condita, traxit in suam sententiam de Eucharistia ipsum Lutherum. Obiit Cantabrigiæ, & à diabolo strangulatum fuisse traditur, ætatis annorum 61. Cujus ossa exhumata, jussu Mariæ Reginæ Catholicæ, igne consumpta fuerunt: anno 1560. quinto ab ejus decessu.

1. Docuit corpus Christi esse substantialiter præsens in Eucharistia in solo usu; proinde extra usum Sacramenti nullatenus inveniri in Eucharistia. R. ex verbis ipsius Christi, qui cum dixit: *Hoc est corpus meum*, habebat panem præ manibus, & nondum dederat Apostolis, consequenter extra usum Christus asseruit corpus suum esse in pane consecrato: dixit siquidem: *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum*. Tum quia si corpus Christi esset tantum in usu sub speciebus, sequeretur quòd usus haberet efficaciam transubstantiandi panem, & vinum in corpus, & sanguinem, non verò talis transubstantiatio dependeret à prolatione verborum institutionis, facta per legitimum Ministrum. Tum quia supponamus Sacerdotem distribuere calicem vino plenum pluribus, sequeretur toties sub talibus speciebus inveniri, & non inveniri corpus Christi, quotquot essent, qui ad potum calicis accederent; nam dum primus bibit est usus calicis, & per Bucerum ibi erit sanguis: dum secundus bibit de eodem calice, iterùm est usus, & iterum erit sanguis, & sic successivè discurrendo, qui modus loquendi pater quam sit ineptus. Tum quia Eucharistia fit ut sumi possit, ergo non potest consistere in usu. Tum quia si consisteret in usu, minister hujus Sacramenti non esset Sacerdos, sed qui sumeret Eucharistiam, & sic omnes laici, imò etiam mulieres essent ministræ hujus Sacramenti; Nec valet inferre ex illis verbis Matt. cap. 26. vers. 26. *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum*. Sacramentum Eucharistiæ consistere in usu, quia scilicet videatur ex illis verbis deduci priùs Christum dedisse panem manducandum, deinde consecrasse, quia priùs dixit: *Comedite*, deinde dixit: *Hoc est corpus meum*; non valet, inquam, hic discurrendi modus hæreticorum, quia illa verba Christi: *Accipite, comedite* ab eodem præmissa, antequam diceret: *Hoc est corpus meum*, sunt verba invitantis discumbentes ad manducandum. Tum quia id quòd Christus fecit priùs, vel posteriùs in hac cœna, non est colligendum ex ordine verborum, sed ex eorum sensu, & certè sicut cibus est in mensa, antequam sumatur; ita priùs corpus Christi debet esse sub speciebus antequàm sumatur. Hanc hæresim damnavit Concilium Trid. sess. 13. Nec item valet instare, quòd alia Sacramenta consistant in usu, ergo etiam istud. Disparitas enim est, quòd Sacramentum hoc institutum est à Christo tanquam convivium animæ, ideoque debet esse permanens, ut ad illud possint accedere fideles. Tum quia hoc Sacramentum non modò cum cæteris causat gratiam, cum applicatur, sed etiam cum non applicatur continet substantialiter Christum, à quo est omnis gratia, unde debet esse permanens, non verò in solo usu. Demum estò, quòd Eucharistia sit instituta ut fideles illa utantur, idest ut manducent, non tamen fuit instituta per manducationem; cæterùm dicendum foret, quòd manducatio esset actio consecratoria, qua posita ineptia, quam tamen fugere nequeunt adversarii, in eorum sententia, multa, ut leviter speculanti patet, sequuntur absurda.

2. Negat Christum post mortem ad inferos descendisse. R. verbo *Augustinus Marloratus*.

3. Corpus Christi in Eucharistia, quod in solo usu esse asseruit, dixit ore non percipi, sed fide, & consequenter qui fidem non habent, solum panem, & vinum, non Christi corpus, & sangui-

guinem sumere. R. Et quidem corpus Christi in Eucharistia non manducari per fidem, sed verè, & realiter sumi, constat ex illis omnibus textibus Euangelii, ex quibus evincitur in Eucharistia esse verè, & realiter corpus Christi: qua de re videnda, quæ infrà dicentur contra Calvinum, & Sacramentarios. Item corpus Christi non manducari per fidem, constat ex verbis D. Pauli, ex prima ad Corinth. desumptis, ubi monet, quod probet seipsum homo, antequàm de pane edat, quia qui indignè manducat, judicium sibi manducat: superflua autem foret hæc D. Pauli admonitio, si corpus Christi manducaretur solùm per fidem, cum enim per ipsos hæreticos, sola fides justificet; nemo posset indignè sumere corpus Christi; nam qui haberet fidem dignè sumeret, qui fidem non haberet, nullatenùs sumeret corpus Christi. Tum quia si Sacramentum Eucharistiæ perciperetur sola fide, minister hujus Sacramenti esset, quisquis cum fide panem susciperet, imò non modo panis Eucharisticus, sed quicumque alius panis usualis, cum fide susceptus, haberet rationem Sacramenti. Tum quia si existentia corporis Christi in Eucharistia dependeret à fide suscipientis, non esset miraculosa talis existentia, quam tamen miraculosam esse, non est qui neget. Tum quia si sola fide perciperetur corpus Christi, non dixissent Capharnaitæ: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* ex quibus verbis evidenter colligitur, Christum naturali verborum sensu, locutum fuisse de reali corpore suo, quod volebat dare ad manducandum; quandoquidem talis propositio admirationem concitavit in Capharnaitis; quòd si Christus expressisset, sola fide corpus suum suscipi posse, non fuisset quòd illi mirarentur. Nec valet dicere Christum de facto correxisse errorem Capharnaitarum, & eorum admirationem, dicendo: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*, quibus verbis dicunt hæretici, Christum instruxisse Capharnaitas, quòd sola fide percipiendum erat corpus Christi; sed non est ad rem hæreticorum interpretatio; nam cum Christus alloqueretur Capharnaitas de hoc mysterio, ipsi credebant corpus Christi eodem modo manducandum, ac manducantur carnes cæterorum animalium, scilicet sub propria specie carnis mortuæ; ideò Christus ut Capharnaitarum errorem corrigeret, dixit: *Spiritus est qui vivificat*, scilicet, quòd non sub apparenti specie carnis, sed sub speciebus panis, sub quibus inveniretur totum, & realiter spirituali modo, præbuisset suum corpus ad manducandum, ideò dixit *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*; idest caro carnaliter accepta, sub apparenti forma carnis, eo pacto, quo caro animalium sumitur, non prodest quidquam; & quidem non profuisset ad salutem caro Christi, si quis Christo mortuo illius corpus dentibus dilaniasset, hoc enim fuisset sævire in corpus Christi, non Sacramentum sumere. Tum quia Christus voluit corpus suum esse cibum, sed Sacramentalem: corpus autem Christi, prout est in cælo, non est Sacramentum, sed solùm est Sacramentum, prout tegitur sub speciebus panis Eucharistici, & ibi est modo intensivo, & impassibili. Demum non valet instare, impossibile esse, quòd idem corpus possit simul, & semel esse in pluribus locis, & hinc benè evinci Christum non esse realiter sub speciebus panis; nam licèt repugnet idem numero corpus esse in pluribus locis circumscriptivè (quòd Scholasticis disputandum relinquimus) nullatenùs tamen implicat, quòd idem corpus sit in uno loco circumscriptivè, & in pluribus aliis Sacramentaliter, hoc enim dicit solùm multiplicationem præsentiæ realis; non verò multiplicationem corporis. Et quidquid dixerint hactenùs hæretici, nullam invenire potuerunt rationem contrariam convincentem, scilicet esse impossibile idem corpus præsentialiter multiplicari. Debent hæretici probare hoc miraculum multiplicationis præsentialis ejusdem corporis, esse supra virtutem Divinæ omnipotentiæ,

tiæ, quòd hactenùs non præstiterunt; quia cum hoc miraculum nullam dicat implicantiam ex intrinsecis principiis, ut constat ex solutionibus, quas adducunt Catholici contra objectiones hæreticorum: hinc manifestè evincitur posse à Deo fieri. Vide verbo *Boquiniani*.

4. Dixit parvulis Baptismum non esse necessarium ad salutem, & posse salvari etiam non baptizatos. R. Et quidem Baptismum esse necessarium necessitate medii, non modò parvulis, sed omnibus, & singulis juxtà plurium Conciliorum definitiones, quod postremò Concilium Tridentinum præstitit sess. 7. de Baptism. cap. 5. satis evincunt illa verba Jo: 3. vers. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; & Christus præcepit Apostolis, ut baptizarent *omnes*. Nec valet dicere illa verba Joann. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis* non inferre necessitatem omnibus sumendi Eucharistiam: ergo à pari, neque ista *Nisi quis renatus &c.* non debere inferre necessitatem omnibus sumendi Baptismum. Disparitas enim est, quòd circa sumptionem Eucharistiæ Christus alloquebatur solùm adultos, ideò dixit *Nisi manducaveritis*; sed circa sumptionem Baptismi, omnes absque exceptione allocutus est, quod satis expressit dicendo: *Nisi quis renatus fuerit*; sed & quare in hoc loco *omnes* intelligit; secus verò in illo? ratio est, quia regenerari ad vitam omnium spiritualiter viventium est; manducare autem est eorum, qui jam vivunt: ut patet exemplo rerum humanarum.

5. Dixit, quòd in solis libris Canonicis est quidquid spectat ad salutem, quapropter reprobat traditiones. Repr. verbo *Biblistæ*.

6. Asseruit, quod nulla est in terris Ecclesia, quæ non erret, tam in fide, quàm in moribus. R. Nam Ecclesia Apostolica Romana, cui specialiter assistit Spiritus sanctus, qui, ut legitur Jo: 16. *Eam docet omnem veritatem*, contra quam dixit Christus, quod neque portæ inferi prævalerent, nunquam erravit in doctrina fidei, vel morum, & eadem quæ ab initio proposuit credenda, adhuc nunc invariabiliter credit; ex quo satis evincitur Ecclesiam Romanam esse indefectibilem, & veram esse Ecclesiam, quandoquidem certum est, omnes alias Ecclesias, fuisse Ecclesias malignantium, in quibus fuere penè quot capita, tot sententiæ, ut videre est in Lutherana, & Calviniana, quæ ab ipsis Calvinistis, & Lutheranis, ad invicem contraria sentientibus, dilaniantur. Quòd si hæretici volunt Ecclesiam orthodoxam errare posse, imò errasse; assignent ipsi tempus in quo erraverit, & quando ab errore revixerit: si res ita contigisset, ut de facto Ecclesia errasset, & ab errore revixisset, dicendum foret, medio illo intervallo temporis, neminem potuisse salvum fieri, quia nemo salvari potest in Ecclesia errante. Quis autem hoc afferat, dari tempus in quo nemo possit consequi salutem? Adde, quòd si vera Ecclesia posset errare, cum Christus sit caput veræ Ecclesiæ, etiam talis error tribueretur Christo, cujus influxus defecisset; sequitur ergo veram Ecclesiam debere esse indefectibilem. Tum quia si nulla esset in terris Ecclesia, quæ non errasset, cum homo necessariò debeat esse de aliqua Ecclesia, non posset non errare: nec valet dicere, quòd in triduo mortis Christi omnes Apostoli amiserunt fidem, hoc enim falsum est; nam Christus post resurrectionem, exprobravit quidem eos, quod fuissent tardi ad credendum, non verò quòd amiserint fidem, quam neque amisit Petrus, cum negavit Christum, quia non corde, sed ore solo, & præ timore negavit. Nec Ecclesia erravit, etiamsi probare possent hæretici aliquos Pontifices errasse in rebus fidei; nam si qui fuissent hujusmodi, errassent tanquam homines particulares, non tanquam Ecclesiæ caput, loquens ex cathedra. Neque inde posset inferri, quòd tota Ecclesia defecisset; nam errante aliquo Pontifice, Ecclesia immobilis permaneret in vera fide. Adde, quòd nemo potest extrà veram Ecle-

clesiam salvari, sed semper aliqui salvati sunt; ergo semper permansit vera Ecclesia, quæ errare non potest; in Ecclesia enim quæ errat, nemo salvatur. Tum demùm, quæ de perpetua conjunctione Christi cum Ecclesia à Prophetis, & Apostolis dicta sunt, evincunt veram Ecclesiam non posse errare; quod necessarium est, ad hoc ut securi esse possimus de nostra fide; secus si Ecclesia posset errare nemo esset de sua fide securus. Vide verbo *Albigenses*.

7. Dixit, quod iram Dei in nos provocet, quidquid boni operis facere videamur; justificati autem, bona opera facimus necessariò. R. Nam Deus nos hortatur sæpè in sacris paginis ad bona opera, sed certè non hortatur ad ea, quæ possunt iram ejus provocare, ergo &c. Quòd autem bona opera liberè faciamus post justificationem, probatur: quia homo justificatus tam est sui juris, post quàm ante justificationem; ergo sicut ante illam liberè operabatur, etiam idem asserendum post illam; cæterùm dicendum foret justificationem esse privilegium onerosum, si per illam amitteremus libertatem, & inde meritum: estò quòd non possit homo aliquid boni agere absque Divino auxilio; hoc tamen non tollit, quin actiones nostræ dicantur liberæ. Vide verbo *Bardesanes*.

8. Dixit esse quosdam homines sic factos à Deo ad conjugium, ut Deo repugnent, si non nubant. R. Nam licèt possit admitti in homine major, vel minor propensio ad unum potiùs, quàm ad alium statum, certum tamen est, hominem esse liberi arbitrii, & Deum reliquisse hominem in manu consilii sui, qui si velit nubere benè faciet, si non velit, melius facit. Tum quia si daretur homo ita à Deo factus ad conjugium, ut peccaret, si non nuberet; cum difficile sit discernere quis sit ita à Deo factus, omnibus enim datus est stimulus carnis, jam omnes tenerentur nubere, nè cuiquam contingeret se inscio, Deo repugnare, & sic superfluum foret consilium Euangelicum, de servanda castitate.

9. Conjugibus qui simul habitare nequeunt, dixit permittendum alterum conjugium. Rep. Verbo *Armeni*, ubi ostendimus matrimonium quacumque de causa, esse indissolubile.

10. Dixit usuram non esse peccatum. R. verbo *Albanenses*.

Præter hos errores habuit alios cum Luthero, mox cum Galvino, communes; sed in illis asserendis constans non fuit, quippe ex Judæo oriundus; tandem à Luthero, & Calvino in morte decessisse, & Judaismum amplexatum esse aliqui asserunt, cum moriendo dubitaverit ad Christus fuerit Messias.

11. Dixit per baptismum deleri solum peccatum originale, quia asserebat, Baptismo suscepto, adhuc remanere carnis concupiscentiam, quam volebat esse peccatum. R. Quoad primum verbo: *Fulgentius*, quo ad secundum. R. Quia concupiscentiæ motus, non esse peccatum, constat ex D. Paulo, qui licèt esset Apostolus, confirmatus in gratia, tamen de se ipso dicebat: *datus est mihi stimulus carnis &c.* Vide verbo *Albanenses*, *Arcontici*. Quis autem dicat Apostolum fuisse in peccato mortali, quia experiebatur motus carnis? utique peccatum est concupiscientiæ non resistere, non autem est peccatum concupiscentiam colaphizantem experiri. Tum quia concupiscentia residet in carne, non in anima; ergo non potest esse peccatum. Tum quia quantùm est de se, non opponitur formaliter legi, aut rationi, sed tantùm causaliter. Tum quia media gratia concupiscentiæ motus sunt vincibiles. Demum contra concupiscentiam omnes Sancti usque ad extremum spiritum semper decertarunt: ergo illam semper habuerunt, & tamen mortui sunt in gratia; ergo concupiscentia quantùm est de se non est peccatum, quia ipsam contra voluntatem nostram experimur, & nullum est peccatum, nisi voluntarium.

II. BUDDAS Saracenus, Scythiani famulus, una cum Domino suo Mancetem do-

docuit; dictus est etiam Therebintus; Empedoclis hæresim secutus, gloriabatur se ex Virgine natum, & in montibus educatum. Composuit libros, quos aliqui sentiunt hæreditate à Scytiano accepisse, inscriptos *De Mysteriis*, *de Evangelio*, *de Thesauro*, multis refertos erroribus. Manetis præcursor factus, à Judæa pulsus, transiit in Persidem, & nè cognosceretur, immutato nomine, Buddæ nomen assumpsit: profugus apud viduam, dum dœmones ex tecto domus invocat, divinitus percussus, prostratus est, & extinctus. Ex Suida.

Docuit duo esse contraria principia rerum omnium, unum bonum, scilicet amicitiam; aliud malum, nempe discordiam. R. verbo *Manes*.

XVI. Budneitæ. Sectæ Budneitarum parentem, quæ in Lithuania vagabatur, constituit Lindanus: *Adamum Pastoris*. Videtur tamen probabiliùs *a Simone Budneo* originem habuisse anno 1583. siquidem commune ferè est omnibus sectis, vel ab eorum auctore, vel à speciali errore nuncupari; sed cum ex erroribus Budneitarum, eorum sequaces hoc nomen sortiri non possint, à Budneo auctore nomen habuisse credibile est.

1. Dixit Christum non esse ab æterno Deum, ad quam hæresim astruendam, centum & viginti loca Scripturæ Budneus depravaverat, R. ex D. Joanne: *In principio erat Verbum*, *& Verbum erat Deus*; ly *In principio* ab omnibus Expositoribus intelligitur *ab æterno*. Tum quia Christus Deus est, & Deus immutabilis; ergo & æternus. Tum quia si Deus est, necessariò est: ergo æternus. Tum quia incipere esse dicit imperfectionem; sed Dei esse excludit à se omnem imperfectionem, ergo est ab æterno. Vide verbo *Artemon*.

2. Spiritum sanctum Deum esse negavit: ad hoc probandum falsificavit undecim loca Scripturæ. R. verbo *Airani*.

4. Articulum *Descendit de cælis* nihil aliud significare, dixit, quàm conceptionem de Spiritu Sancto; Sanctificationem, & annunciationem voluntatis Dei, per miraculorum exhibitionem. R. Ex omnibus Scripturæ locis, ex quibus evincitur de facto Verbum Divinum in utero Virginis incarnatum, quæ loca non patiuntur aliam expositionem, secundùm Sanctos Patres, quàm litteralem: hujusmodi est illud Joannis: *Verbum caro factus est*, juxtà quod legitur in Symbolo, *Et incarnatus est de Spiritu sancto*, *natus ex Maria Virgine*, *& homo factus est*. Possibilitas incarnationis, quæ nihil aliud est, quàm unio naturæ humanæ cum Verbo in unitate suppositi, quamvis positivo argumento probari non possit; tamen sacrarum Scripturarum auctoritate apertè suadetur; & ex eo satis patet, quòd concorditer Prophetæ omnes de hoc mysterio prædixerunt. Tum quia nulla ratione naturali demonstrari potest impossibilitas Incarnationis, ut latiùs probant Theologi. Tum quia sequeretur, totiès actum mysterium Incarnationis, quotiès voluntas Divina nobis est annunciata, & miracula facta sunt; sed nemo dixerit miraculum, quo Petrus ambulavit super aquas, esse Incarnationem, sic de reliquis miraculis discurrendo; ergo falsa est Bubdneitarum interpretatio.

4. In libris novi Testamenti multos esse errores, ac falsitates asseruit. R. Quia libri Canonici, qui Spiritu sancto revelante scripti sunt, de quibus ait Christus: *Cælum*, *& terra transibunt*, *verba autem mea non præteribunt*, non possunt subesse falsitati; cæterùm dicendum foret Spiritum sanctum falsa revelasse; sed Spiritus sanctus, ut ait Christus, qui est veritas: *Docet omnem veritatem*; ergo &c. Tum quia tot Doctores, qui libros novi Testamenti interpretati sunt, nullam in ipsis deperire potuerunt falsitatem, imò miram concordiam inesse, omnes testantur.

Bugari. Vide verbo *Sodomitici*.

VI. Bugaurius de Monte Falcone oriundus, fuit à Sancio Tarraconensi Archiepiscopo publicè, & solemniter condemnatus, in Synodo Tarraconæ celebrata. Quo tempore Catalauniæ Bugaurius suos produxerit errores, incertum

tum est. A Patre Josepho de Turre Tomo 4. suarum Institutionum ad verbi Dei intelligentiam, reponitur inter hæreticos sæculi 6. Durandus dicit probabile esse, quòd post Lutherum dogmatizaverit; sed cum post Lutherum, in Synodis Tarraconensibus nulla fiat mentio de condemnatione Bugauri, multò ante Lutheri tempora, eumdem vel per se, vel per discipulos suos, promulgasse erroneam doctrinam evincitur.

Docuit nullum esse opus bonum, nisi fiat ex puro, & sincero amore, quacumque ex causa fiat, etiam spe mercedis æternæ, seu animo videndi Deum intuitivè in gloria; unde improbabat eos, qui opera misericordiæ, & charitatis exercebant, præcisè pro vita æterna consequenda; asserens nulli quantumvis justo, licere in bonis actibus suis, respicere Deum tanquam remuneratorem. R. Quia in sacris paginis sæpè hortamur ad opera bona exequenda, ut æternam gloriam mereamur; unde Propheta: *Inclinavi cor meum* (inquit) *ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem*. Et hoc innuit Apostolus prima ad Corinth.9. vers.24. *Sic currite, ut comprehendatis*. Insuper & Dominus in Euangelio: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula*. Tum quia bonum est benè operari, ut gehennam fugiamus. Vide Conc. Tridentinum de Justificatione; ergo bonum est operari ut gloriam eternam acquiramus. Tum quia actus attritionis, elicitus ex supernaturali timore gehennæ, est bonus; ergo etiam actus attritionis, elicitus ex timore ammissionis gloriæ, est bonus. Tum quia quando Deus promisit æternam mercedem pro bonis operibus, non obligavit ad elicienda bona opera ex solo motivo amoris; imò ut ad bona opera nos aliceret, proposuit gloriam: cæterùm debuisset proponere solùm Divinam bonitatem, si opera ex quocumque alio motivo, quàm amoris elicita, non fuissent bona. Tum quia Christus docuit, ad acquirendam vitam sufficere mandatorum observantiam, juxtà illud: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; Demum Conc. Trident. sess 6. Can.31. habet: *Si quis dixerit justificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis operatur, anathema sit*; & loca Scripturæ desumpta à Bugaurio, ex illo Matth.19. & alibi, non evincunt Deum præcipere, ut ex solo motivo amoris benè operemur, sed solùm, quòd nihil contra Deum mali faciamus; vel dico ex illis textibus evinci, opera propter solum Dei amorem elicita, magis esse Deo grata, quod conceditur; non autem evincitur mala esse opera bona, quæ fiunt intuitu æternæ mercedis, respectu cujus ad bona opera excitamur à Christo, sicut patet ex prælaudatis Scripturæ textibus.

XII. Bulgari alio nomine vocantur etiam Mysii; habitant inter Istrum, & amnem, multis annis in vera, & sancta Fide perseverarunt; sed cum ob locorum confinia, cum Orientalibus communicassent, in ritus Græcorum impegerunt, in quibus hucusque permanent. Vide verbo *Græci*.

XVI. Bulingerius. Tiguri in Cathedra pestilentiæ Zuinglii successit Henricus Bulingerius Helvetius, ex Presbytero Apostata uxoratus, qui longo tempore, ferè solus, dogma Zuinglianum de Eucharistia, libris editis, propugnare non erubuit. Perspicaci dotatus ingenio, vix annos undecim natus, Magisterii gradum Tholosæ obtinuit. Melanctonis scripta pervolvens, ab erronea doctrina captus, dum in Helvetia humaniores litteras edoceret, cum Zuinglio amicitia inita, ejus sensui firmiter adhæsit: sibique valde complacuit, cum dirutas in Helvetia ab hæreticis Ecclesias, & projectas Sanctorum Reliquias conspexit; acres cum Brentio sæpè habuit disputationes: ætatis annorum 71. anno 1575. morte corripitur.

1. In præfatione suarum Homiliarum in Apocalypsim, scripsit non alium Antichristum in mundum esse venturum, quàm qui jam venit in Romanis

manis Episcopis. R. verbo *Blandrista*.

2. S.Joannem Euangelistam, idololatriæ ob honoratum Angelum, accusavit. R. Iisdem rationibus, quibus ostenditur Sanctos esse honorandos. Vide verbo *Vigilantius*.

XVI. Burrelistæ. Sic dicti sunt à quodam Adamo Burrelo Zelando, qui hæbraicam, latinam, & græcam linguam callebat. Memnonitarum placita plerumque sectantur, quamvis eorum Conventibus non adsint. Strictioris vitæ genus fingentes, facultates suas distribuendis eleemosynis impendunt. Universas adversantur Ecclesias, Sacramentorum usum rejiciunt, preces publicas damnant, & exteriores quibus Deum colimus functiones condemnant; Ecclesias (quotquot Apostolos, primosque eorum successores subsecutæ sunt) ab illibata eorum doctrina defecisse contendunt; quòd infallibile Dei verbum in veteri, novoque Testamento contentum, fallibilium Doctorum commentis explicari, & corrumpi permiserint; quòd confessiones, cathechismos, liturgias, & homilias hominum opera, tanquam Divina nobis exhibeant. Solum Dei verbum, absque hominum explanatione legendum affirmant.

XVII. Burrus Joseph Franciscus Nobilis Mediolanensis, currente seculo 17., acutum fortiris ingenium; emenso Romæ Theologiæ studio, chimicæ arti applicavit, ut illa mediante, portentosas infirmorum curationes, magni nominis famam, & gloriam acquireret: sensui illecebris deditus, ex quibus in alios declinavit excessus, timore carceris in Ecclesia asylum quærens, ibique diù victitans, novus homo sanctimoniæ deditus, sed reverà hypocrita, apparere curavit. Novam sectam instituens, se novum Christum predicans, duodecim Apostolos congregavit, & quasi spiritu prophetiæ esset illustratus, ventura prædiceré contendens, cum Angelis sæpè loqui blaterabant. Romà cum suis sequacibus aufugens, Mediolanum se contulit, ubi quadriennio occultus hæreticus suam fecit mansionem; sed tandem detectus, apud Lutheranos in Germaniam confugit, deinde Amstelodamum, ubi tanquam novus Apollolus habebatur, propter prodigiosas infirmorum curationes, quas occultis remediis efficiebat; sed ibi patratis excessibus, Danimarcam, Moraviam, aliasque regiones profugus peragravit: tandem jubente Imperatore conquisitus, & detentus Romam transmittitur, ubi tanquam hæreticus damnatus, perpetuo carceri anno 1672. mancipatur, & in Castro S.Angeli pœnitens decessit. Deitatem, tertiam in Trinitate entitatem esse prædicans, mox Arianus, mox Nestorianus apparebat, suis sectatoribus amplas divitias, patrimonia, possessiones, principatus, omnesque felicitates promittens, quibus promissionibus plures allucinati, eumdem secuti, sed postmodum capti, tanquam hæretici, debitam perfidiæ pœnam luerunt.

1. Sanctam Virginem verè Deam esse docebat. R. verbo *Colliridiani*.

2. Eamdem in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, realiter esse præsentem asseverabat R. Nam ex vi verborum institutionis hujus Sacramenti, patet nullatenus corpus Virginis esse sub speciebus Eucharisticis: Christus enim, ubicumque de hoc Sacramento disseruit, nunquam de Virgine Matre mentionem fecit.

3. Mysteriorum intelligentiam per illuminationis viam se communicare posse jactabat. R. Nam Divinorum mysteriorum intelligentia est specialis Dei gratia, à Deo communicata, quibus sibi placuerit; ergo per illuminationis humanæ, & naturalis viam, communicari nequit mysteriorum supernaturalium intelligentia, de quibus loquitur Psalmista: *Tenebrosæ aquæ in nubibus aeris*, significans obscuram esse in hac vita mysteriorum Divinorum intelligentiam, ad quam nonnisi per Dei gratiam potest homo pertingere. Adde, quòd ut plurimùm contingit, ut qui per Dei gratiam habet mysteriorum intelligentiam, neque, possit eandem communicare. Sic Paulus vidit Arcana, quæ tamen non licuit homini loqui.

C

XIV.  Abasilas natione Græcus, nomine Nicolaus, scripsit contra Sanctum Thomam Aquinatem de Spiritus sancti processione à solo Patre, cui respondit Demetrius Sydonius pariter Græcus. Ex Coccio.

XVI. Cacangeli, sive pseudo Euangelici, fuere illi, qui etiam tempore Apostolorum, se in Apostolos Christi transfigurantes, cum potiùs essent dæmonis ministri, erroneam doctrinam promulgabant; sed jam hoc nomen meliùs congruit sectariis Calvinianis, & Lutheranis, qui novam, & inauditam promulgantes doctrinam, mundum Christianum suis infernalibus dogmatibus pervertere student. De quibus agit Prateolus.

XI. Cadaloitæ. De Cadaloitis mentionem facit Baronius ad annum 1061. qui utique novam sectam non invenerunt, sed sic asserit nuncupatos fuisse à Cadaloo Parmensi Episcopo, qui Antipapa electus, contra Alexandrum II., prævalente factione Henrici IV. Imperatoris, sub nomine Honorii II. salutatus fuit, qui milite stipatus Romam venit, ut urbis dominium acquireret, sed à Godefrido Etruriæ Marchione expulsus, iterùm numerosiori collecto milite, Romanæ urbis possessionem, sed incassùm tentavit; hoc malum provocante Gerardo Galesiæ Comitæ, ob sua flagitia à Nicolao Pontifice excommunicato: adeò turpem vitam ducebat cum suis similibus incontinentibus Clericis, ut qui hactenùs dicti erant ab auctore Nicolaitæ, deinceps dicendi essent à propagatore Cadaloitæ: teste Leone Hostiensi, veridico illius ætatis Scriptore. Damnatus fuit Cadalous in Concilio Germanico, præsente Rege, rursùmque in Mantuano anno 1064. præsidente Annone Archiepiscopo Coloniensi, in quo Cadalous reprobatus, & Alexander, utpotè legitimus Pontifex, receptus fuit.

XVI. Coelestes Prophetæ, Secta sunt Anabaptistæ, inter Antilutheranos recensentur à Gravina. Hosius credit istorum ducem fuisse Montaerium, circa annum 1525.

Dicebat non esse credendum verbo Dei scripto, sed illi, quod in corde hominis internus spiritus testaretur. Rep. Quia in hac sententia non esset una certa regula fidei; sed tot essent regulæ fidei, quot forent internæ inspirationes; una autem est fides, ergo una solùm certa esse debet regula fidei. Tum qui sequereter quòd unum & idem dogma, prout uni inspiratum esset bonum; & prout alteri non inspiratum esset malum, & per vias omninò contrarias, possem homines consequi salutem. Tum quia sæpè credimus bonas esse internas inspirationes, quæ de facto malæ esse perhibentur, & facilè est in his discernendis decipi; ergo homo non debet sequi, tanquam verbum Dei, internas inspirationes, sed sacram Scripturam; quia cum internæ inspirationes tunc solùm reperiantur esse bonæ, quando sunt conformes regulis fidei, quæ exhibentur in sacra Scriptura, sequitur sacram Scripturam esse habendam pro verbo Dei.

II. Caiani, Dicti etiam Caini, circa medium secundi seculi debacharunt: Caini nuncupati sunt, quia patrem suum Cain faciebant, cum impiissimis viris Caino, Core, Sodomitis, & Juda proditore cognitionem habere gloriabantur, tribuentes Judæ proditori, præ cæteris Apostolis, majorem cognitionem: idcircò dicebant Judam effecisse proditionis mysterium: sub nomine ejusdem Judæ Euangelium promulgantes. Dicebant etiam Judam tradidisse Christum, quia præcognoverat Christum voluisse doctrinam legis per-

ver-

vertere. Insuper illum tradidisse, quia sic erat prædeterminatum: proinde Judam, ac Judæos nullum peccatum commisisse in occisione Christi; imò Judam tanquam Sanctum prædicabant, propter beneficium exibitum generi humano. Promulgarunt libellum impietatibus refertum, cui erat titulus: *Ascensus Pauli*; horum hæreticorum insaniam fusiùs refert, & confutat S. Epiphanius hæresi 38., & certè quantùm spectat ad confictam sanctitatem Judæ, falsi sunt reprobati à Scriptura, quæ Judam proditorem damnatum testatur: Joannis siquidem 6. vers. 71 Judas diabolus dicitur: *Unus ex vobis diabolus est*, & Actor. 1. vers. 18. usque ad 25. agitur expressè de Judæ iniquitate, & damnatione.

1. Dicebant neminem salvari posse, nisi omnia peccata commisisset. R. ex eo, quod dixit Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, sed mandata Dei prohibent omne peccatum, ergo &c. Tum quia legimus Christum promisisse gloriam benè operantibus, & pœnam malè agentibus, quod ex sententia, quam proferet in extræma discussione, clare constat. Tum quia legimus, quòd nihil coinquinatum intrabit in regnum cælorum. Demùm ex psal. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo &c. qui ingreditur sinè macula &c.*

2. Unumquemque esse secundùm naturam, vel bonum, vel malum. R. verbo *Saturninus*.

3. Cum peccatum committebant, Angelum invocabant, in cujus opere, & actione se malè operari protestabantur. R. Quia homo liberè operatur: est siquidem liberi arbitrii, ut contra *Bardezanes* probatur; ergo non operaturmalè, in actione alterius, quia opera hominis, sive bona, sive mala, homini imputantur, quoniam actiones sunt suppositorum; Tum quia si homo malè operaretur in actione Angelorum, Angelis non hominibus imputaretur peccatum, sed Angeli dati sunt hominibus, ut eos adjuvent ad bonum, ut custodiant nos in omnibus viis, ne fortè offendamus ad lapidem; ergo &c.

VI. Chaldei Monothelitarum hæresim amplexati, eamdem sub Pauli Quinti Pontificatu publicè, ac solemniter ejurarunt. Vide *Monothelitæ*.

XVI. Calesius Calvini collega fuit, & in conventu Bernensi publicè affirmavit Christum nec esse alium, nec aliud à Patre. R. Ex omnibus Scripturæ locis, in quibus Christum Patre esse minorem asseritur, & ibi Christus homo esse perhibetur. Hinc enim esse Christum, & alium, & aliam Personam à Patre evincitur (licèt aliud à Patre dici non possit; quia ly *aliud*, juxta S.August. significat diversitatem essentiæ) Christum tamen quia homo est, aliam etiam habere naturam negari nequit, dicitur enim de Christo, non de Patre, quod sit natus, quod sit passus, mortuus; ergo &c.

IV. Cælestus Unà cum Botro, Episcopatum Cæciliano collatum ambiens, Botri errorem; & factionem promovit. Vide *Botrus*.

IV. Calistus Fuit Sabelij hæresi contaminatus, & à Silvestro Papa in Conc. Rom. damnatus: ex Bar.

XV. Calixtini. De Calixtinis mentionem facit Spondanus anno 1421. quos eosdem esse asserit, ac Pragenses, qui ferè in omnibus cum Ecclesia sentiunt, excepto quod sustinent necessarium usum Calicis, scilicet communionem sub utraque specie esse exhibendam; unde & Calixtini vocati sunt. Calixtini verò, de quibus agit Spondanus, facta collatione temporis, iidem sunt, ac Bohemi, de quibus sub nomine *Bohemi* actum. Porrò hæc hæresis juxta Gravinam innovata est circa annum 1561. à quibusdam Semilutheranis, qui in usu Calicis vitam constituentes, ubique locorum hæc verba: *Bibite ex eo omnes*, scribebant; adhærentes Luthero in usu Calicis, in reliquis ei adversantes: ex quo constat Calixtinos, de quibus agit Gravina, diversos esse ab illis, de quibus mentionem facit Spondanus, licèt posteriores priorum hæresim tantummodo innovaverint. Contra usum communionis sub utraque specie, disertè scripserunt

runt plures auctores Catholici, facili negotio solventes omnes rationes, ab hæreticis in contrarium adductas, quod novissimè præstitit Martinus Becanus in suo manuali controversiarum.

XVI. CALVINUS. Joannis Calvini vitam, scripsit Theodorus Beza ejus discipulus, sed plurimis refertam mendacijs, utpotè ab adulatore discipulo, & cum magistro iniquitatis complice exaratam. Scripsit insuper Hieronymus Bolzeri Medicus Lugdunensis, & Jacobus Saingei Doctor Sorbonicus, quam sparsim refert Spondanus, ab anno 1534. usque ad 1564. Natus est apud Novionum, olim Noviodunum in Galliis anno 1509. parentibus ignobilibus. Fratrem habuit nomine Carolum, Presbyterum, qui nocturno tempore sepultus est inter quatuor columnas furcæ publicæ. Adolescens Novioduni studuit, & ab ejus affine Gerardo, duo beneficia Ecclesiastica sibi renunciata suscepit, quæ Simoniacè vendidit. Parisiis ad Juris Prudentiæ studium animum applicuit, & inde Bituringes profectus, magnum Andream Alciatum audivit, leges explicantem, ubi eum Volmario, qui Lutheranus erat, amicitiam iniens, & hæresi Lutherana, ab eo infectus, re detectâ [alij sentiunt ob Sodomiam] exulare cogitur, & apud Angolismam divertens, ibi suppressa causa sui exilii, & nomine, literas Græcas, quas à Volmario didicerat, docuit, sub nomine *Deparchan*. Hine Germaniam post triennium peragratus, Galliam progressus, Pictavium se contulit, ubi suos cæpit disseminare errores, & præcipuè suum figmentum circa Eucharistiam. Edidit Basileæ suos libros, quos vocavit *Institutionum*; primùm Gallicè, deinde repetitis vicibus Latinè, & Gallicè pro animi levitate, sæpè ab ipso confectos, refectos, & defectos. Quot erroribus refertæ sint institutiones Calvini, quis enarrare valeat? nullam est antiquam hæresim invenire, quam ipse non refricaverit, sicut eruditè ostendit Gaulterius, qui centum ejus capita examinat, in quibus præcipuè defecit. Alii ducentos & trigintasex errores in ejus operibus signarunt, sicut videre est apud Conradum Schluserburgium Lutheranum. Franciscus Fevardentius Ordinis Minorum, mille & quadringentos Calvinistarum errores excussit, ac refellit. Primi Calvini discipuli fuerunt *Antonius Dugujus* Professor Academicus, *Philippus Verosius* sedis Procurator, *Albertus Papinotus*, & *Joannes Vernovius* Pictavienses, à Calvino dimissi ad Pictavienses, Sanctones, Angolismenses, Burdigalenses, Aquitanos, Tholosanos, ut suæ falsæ doctrinæ semina spargerent. Interim Calvinus Genevæ receptus, paulò post pellitur in exilium, & Argentoratum se recipit, ubi fit uxoratus anno 1542.

Extinctis ejus Adversariis, quorum opera fuerat à Genevensibus dimissus, Genevam revertitur, ubi scripsit contra *Interim Cæsareum*, & hortatus est Angliæ protectorem ad necem Catholicorum: nihilominus hæreticos puniendos censuit, ejusque censuram primus expertus est *Servetus*, Calvino impellente combustus. Sed & ipse Calvinus, quàm tetra morte anno 1564. decesserit, notum est omnibus, licèt occultare studuerint ejus sectatores. Certum est testimonio, non solùm Scriptorum Catholicorum, sed etiam aliorum Calviniana labe infectorum, qui tantam veritatem occultare nefas esse duxerunt; certum est inquam, Calvinum dæmones invocantem, sibi maledicentem, & intollerabilem fætorem ex ulceribus emittentem, quem adhuc vivum *Bucerus* ejus intimus amicus, canem rabidum vocabat, canis ad instar decessisse. Diversæ sectæ ab ipso denominatæ sunt, de quibus sub proprio nomine agemus. Calvinismum esse gradum ad Atheismum, & Turcismo esse conformem, non negabit, qui hujusmodi sectæ exprobandos errores considerans, eosdem cum Turcarum moribus, non parvo fædere junctos reperiet. Ut Calvinianæ doctrinæ insufficientia appareat, satis erit dicere, quòd vix est inter Calvinistas, in eadem domo invenire, eadem

dem sentientes circa Religionem; ferè quot capita, tot sententiæ. Scimus tam sectam mollium, quàm rigidorum, à Calvino originem habuisse, & toto cælo esse contrarias. Compertum habemus Calvinistas Gallos, diffidere à Zuinglianis, & Tigurinis: Constat Calvinistarum in Anglia divisionem, in Anglo-Calvinistas, & Puritanos factam. Quomodò vera ejusdem promulgatoris esse potest doctrina, quæ tot schismata patitur? Una hæc sola ratio benè à Calvinistis perpensa, sufficeret ad eosdem convincendos, & ad viam veritatis, quam profert sola Romana Ecclesia perducendos: patet ipsis hæc veritas. Audivi ego (cum Calvinistis sermone inito de vera Religione) Calvinistas, Religionem nostram tanquam unicam, veram, & bonam ad salutem obtinendam confitentes. Ipsi viderint, qui vident meliora, probantque, & deteriora sequuntur. Jam, ut nostri est instituti, brevitatis limites propositos pertransimus, breviter præcipui Calvini errores proponendi, & reprobandi occurrunt.

1. Libro Gallico de æterna Dei prædestinatione fol. 239. sic loquitur; Non recipio hoc mendacium, & delirium, quòd Deus sit sine reprehensione, quidquid faciat, propterea quòd nulli legi devinctus sit. R. lib. Num. 23. 19. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur*, Jacobi c. 1. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*; Tum quia de essentia Deitatis est, quod sit irreprehensibilis, & indefectibilis. Deus odio habet malum. Deus neminem provocat ad malum, ut visum est contra Blastum, ergo Deus est irreprehensibilis, cæterùm non esset infinitè bonus. Demùm omnia laudant, & enarrant ejus gloriam, ejus bonitatem; ergo &c. Vide verbo *Beza*, contra quem probavimus Deum esse impeccabilem.

2. Ad caput 25. Isaiæ asserit: Commentum illud de absoluta potentia Dei, quod Scholastici invexerunt, exectanda blasphemia est; simile habet ad caput 11. Job concione 45. & lib. 3. institutionum cap. 24. §. 2. R. verbo *Arnaldus Brix*: ubi probatum est Deum esse omnipotentem; & certè absoluta potentia Divina, de qua loquuntur Scholastici, præterquamquòd tot miraculis est comprobata, ut jam penè ipso naturæ lumine nota videatur, deducitur etiam apertè ex Scriptura Matth. 19. vers. 26. *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt*. Hanc absolutam potentiam, per quam Deus omnia potest, novit Job 42. vers. 2. *Scio quia omnia potes*; & Psalmo 105. 2. *Quis loquetur potentias Domini*; & Luc. 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*; ergo præter ordinariam potentiam, qua Deus ut author naturæ operatur effectus naturales, datur in Deo absoluta potentia, per quam operatur mirabilia, & supernaturalia. Vide verbo *Arnaldus Brix*: & verbo *Bassus*.

3. Lib. adversùs Valentinum gentilem, refutatione 10. ait: Patri subjectum Filium, etiam secundùm Divinitatem: Impropriam, & duram esse locutionem Symboli Nicæni: *Deum de Deo, lumen de lumine*; ex quo manifestè deducitur, negasse filium in Divinis esse consubstantialem Patri. Idem evincitur ex eo quòd scribit Calvinus ad caput 14. Gen. vers. 18. in Armonia Euangelica ad caput 22. Matth. ad illa verba: *Dixit Dominus Domino meo*, ad caput 26. Matth. vers. 64. ad cap. 18. Marc. vers. 19. ad caput 1. Joi vers. 9. ad cap. 6. vers. 55. & 57. ad cap. 17. Joi vers. 12. lib. gallico de actis Servet. impresso anno 1554. fol. 219. lib. 1. Inst. cap. 13. §. 19. & 23. epist. 2. ad Polonos, ubi asserit Christum secundùm naturam etiam Divinam, Patre minorem esse, ex quibus omnibus locis constat Calvinum negasse cum Ario consubstantialitatem Filii cum Patre: Repr. verbo *Arius*.

4. Lib. 1. Institutionum cap. 13. §. 9. 23. & 24. duas in Christo Personas confingit, quandoquidem profitetur se ibi discurrere de Christo, quatenùs est Persona Divina, & nondum loqui de Christi,

sto, quatenùs gerit Personam mediatoris. R. verbo *Nestorius*.

5. In Armonia Euangelica ad cap.3. Matt.vers.16. ad cap 9.vers.2. ad cap.21. vers.18 ad cap.24.vers.36. ad cap.2.Luc. vers.40. Christum ignorantia laborasse asserit. R. verbo *Agnoetæ*.

6. Libro 22. Institutionum cap. 16. §. 9. ad cap.30. Job, in Cathechismo edito anno 1562.negat Christum descendisse ad inferos: diversimodè interpretatur illa verba: *Descendit ad inferos*. Deinde eodem capite, Christum damnatorum pœnas, in suo ad inferos descensu, passum blasphemat. R. verbo *Augustinus Marloratus*.

7. Lib. 4. Institutionum cap.17.§.29. negat Christum clauso monumento resurrexisse, & clausis janujs ad Discipulos intrasse. R.ex aperto testimonio Matth. 28. vers.1. & Jo: 20. vers.19. Tum quia Christus majora his miracula perpetravit, utpotè resuscitare mortuos, multiplicare panem, ergo potuit ad confirmandam fidem nostram hæc miracula facere, quandoquidem similia operatus est in Sanctis suis. Deinde resurgens corpus spirituale, ut ait Apost.1. ad Cor.15. vers.44. dotibus spiritus auctum, nulla impeditur quantitate.

8. Scribens ad Polonos contra Stancharum, Christum mediatorem esse asserit, etiam secundùm Divinam naturam, ita ut natura Divina, etiam ante Incarnationem mediatricis officium exercuerit. R. Quia Scriptura testatur Christum mediatorem esse, prout èst homo: ait enim Apostolus ad Tim.2. *Unus mediator, Dei & hominum, homo Christus Jesus*: at cur Apostolus addidit vocem *homo*, nisi ut significaret Christum esse mediatorem in humana natura, quatenùs simul habet utramque in una persona? Tum quia Dei Filius, ante Incarnationem nullatenus fuit mediator inter Deum, & homines, qui nullo ex officiis, quæ mediatori propria sunt perfunctus est, tunc enim non fuit Dei Patris ad homines nuncius; tunc pro hominibus non oravit, nec orare potuit, tunc etiam non potuit se ipsum pro hominibus propitiationem offerre. Vide verbo *Concordista*.

9. Deum facit auctorem peccati, quandoquidem lib. primo Instit. cap.17. §. 11. asserit Deum imperare peccatum, & divinitus efficaciam erroris, & seductionis immitti; ita ut homines peccando, se habeant præcisè tanquam instrumentum, quod aliud facere non potest, quàm quod voluerit artifex, quam blasphemiam confirmat lib.2. Instit. cap 4. §. 5. R. Quia Deus est essentialiter Sanctus, & essentialis sanctitas est incompatibilis cum omni, vel levi macula peccati, & si Deus non esset essentialiter Sanctus non esset perfectus, neque esset Deus. R. etiam ex his, quæ dicta sunt contra *Blastum*.

10. Lib.3. Institutionum cap.23. hominis lapsum, non tantùm à Deo præscitum asserit, sed decretum, & prædestinatum à Deo esse contendit; quapropter non solùm ad damnationem, sed ad illud peccatum, quod erit causa damnationis, vult reprobos Dei ordinatione prædestinari. R. verbo *Blastus*.

11. Lib.11. Instit. cap.2. & lib. Responsionum contra Pighium, dicit in homine, etiam post Baptismum, remanere concupiscentiam, quæ est peccatum. R. Unica auctoritate Conc. Trid. sess.7. in decreto de peccato originali, ubi ait: *Manere autem in Baptizatis concupiscentiam, vel fomitem hæc Synodus fatetur, & sentit, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed utiliter per Jesu Christi gratiam repugnantibus non valet, quin immò qui legitimè certaverit, coronabitur*. Hanc autem concupiscentiam, quam Calvinus peccatum appellat, S. Synodus declarat Ecclesiam Catholicam, nunquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè, & propriè renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat; si quis autem contrarium senserit, anathema sit.

12. Lib.3.Instit. cap.13. §. 15. & 16. asserit hominem non justificari per gratiam sanctificantem; quam mediis bonis operibus Deus nobis concedit, sed per solam fidem, ideo negat necessitatem bono-

bonorum operum ad salutem. R. Ex his quæ dicta sunt contra *Antinomos*, *Aetianos*, & *Amsdorfium*.

13. In Antidoto Conc. Trid. & lib.3. Institut. cap. 2. §. 16. docet oportere eos, qui verè justificati sunt, absque dubitatione apud se ipsos statuere, se esse justificatos; Maximæ improbitatis esse asserere, quòd nemo scire fidei certitudine potest, se gratiam Dei consecutum; fidem justificantem hanc certitudinem, & securitatem involvere: neminem esse justificatum, nisi qui se justificatum crediderit. Rep. Hæc omnia quæ ad unicam propositionem reducuntur, nimirum justificationem esse certam respectu nostri. Han tamen incertam esse constat. Primò ex Scriptura, proverb. 20. *Quis potest dicere mundum est cor meum, purus sum à peccato* Ecclesiastici 9. *Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit*.

Prima ad Cor. 4. ait Paulus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*. Constat.2. ex eo quòd scire non possimus, an totam legem in qualibet materia gravi servaverimus, per ignorantiam enim vincibilem aliquando graviter sumus culpabiles, & in gravia crimina nonnumquam clausis oculis incidimus. Sæpè opera quæ nobis recta videntur Deus odit; ut Prov.14. vers.12. quia sæpe prodeunt ex aliqua occulta concupiscentia, quæ larvata videatur charitas, vide Conc.Trid. sess.6. cap.6. ubi ait, quemlibet de sua gratia formidare, & timere posse, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. Vide idem Conc. eadem sess. can. 12. 13. 14. & 15. ubi satis perspicuè hoc fidei dogma contra Calvinistas decernit. Hoc tamen notandum est, quòd certitudo de præsentia Spiritus sancti, quam Paulus nonnumquam in suis Epistolis recenset, intelligi debet, vel de certitudine morali, non metaphysica, vel de præsentia per potentiam, & per miracula, non verò per sanctificationem formalem, nisi Deus speciali privilegio revelet.

14. Lib.3. Instit. cap.2. §.11. & 12. docet fidem, & justitiam propriam esse electorum, & semel verè acceptam, nulla ratione amitti posse, & qui ab ea excidere videntur, nunquam eam verè habuisse. Insuper docet in Antidoto Conc. Trid. in Can.28. §.11.6. peccata omnia ex infidelitate manare, vel saltem ex fidei defectu. R. Primò probando fidem esse amissibilem: ex sacra Scriptura, qua docemur orasse Christum pro Petro, ut ejus fides non deficeret. Deinde ipse Dominus monuit: *Habete fidem Dei*: poterant ergo illam amittere. Justos in gravia scelera posse incidere quæ ipsos habeant à regno cælorum excludere, patet ad Rom.8. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini*. Ezech.18. Deus inquit: *Si averterit se Justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur*. Ex doctrina de inamissibilitate justitiæ sequitur, vel plures parvulos non justificari dum baptizantur, vel semel eo Sacramento justificatos, nunquam excidere ex sua justitia, quamvis postea per multos annos ita impiè vivant, ut excommunicationis pæna mulctentur; certi nimirùm de sua in bono perseverantia; quemadmodum ex eo quòd certi sint de suæ animæ immortalitate, timere non possunt, ne anima moriatur, sed hoc repugnat his Christi verbis apud Matt.10. v.28. *Timete eum qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* R. 2. altera pars quæ dicit, omnia peccata ex infidelitate manare, contra definitionem Concilii Trid. sess.6. cap.27. ubi ait: *Si quis dixerit nullum esse peccatum mortale, nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi, & enormi, præterquam infidelitatis peccato semel acceptam gratiam amitti, anathema sit*. Calvinus fundat hoc suum falsum dogma contra Tridentinum in hoc, quòd solam fidem justificare, solamque satis esse ad vitam æternam assequendam, sufficere, asserat; verùm hoc est omninò erroneum, quia hæc vox *sola* conjuncta cum fide justificante, nullibi in Scriptura reperitur; imò fidem non satis esse, ut

ut quis justificetur D Jacobus expresse asserit in sua Epist. Canon. c.2. *Videtis* (ait) *quoniam ex operibus justificatur homo*, *& non ex fide tantùm*. Vide verbo *Aetiani*, *Antinomi*.

15. Lib.2. Instit. cap.8. §.19. & alibi dicit omne peccatum esse mortale. R. verbo *Lutherus*.

16. Fidelium peccata mortem non mereri, non quia mortalia non sint, sed quia ipsis à Dei misericordia non imputantur. R. Ex his, quæ modò in superiori reprobatione diximus, ostendendo solam fidem non justificare; nec satis esse ad vitam æternam consequendam; deindè D.Jacobus in sua Epistola Can. cap.2. ait: *Quid prodest fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?* Constat igitur ex sacra Scriptura alia peccata præter infidelitatem à Deo imputari; quod si imputantur, & mortalia sunt, utique mortem merentur, juxta enim gravitatem peccati, à justo Judice infligitur pæna. Quia tamen Canonicas Epistolas Calviniani non recipiunt; recolant saltem veteris, & novi testamenti libros, in quibus nihil crebriùs, aut fortiùs commendatum, quàm benè operari.

17. Ex mandatorum observantia non pendere salutem adstruit; & in hoc differre vult legem ab Euangelio, quia Euangelium non promittit vitam sub conditione operum, sicut promittebat lex, sed ex sola fide Euangelium vitam promittere: In Antidoto contra Tridentinum Can. 20. R. Et satis constat falsitas ex eo, quòd sæpè hortamur in sac. pag. declinare à malo, & facere bonum; & in psalmo 14. expreslè legimus necessitatem bonorum operum, ut possideamus hæreditatem Domini; ex quo deducitur necessaria mandatorum observantia; ex qua si non pendet salus, ut contendit Calvinus, superfluum fuisset quòd Deus mandata sua exhiberet. Item in Euangelio legitur: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*, ex quo evincitur falsum esse, quòd ex sola fide Euangelium vitam promittat: & tàm in lege scriptà, quàm in lege Gratiæ, semper necessaria fuit mandatorum observantia ad obtinendam vitam: & certè fidem sine operibus mortuam esse, nec solam sufficere ad salutem (ut moris sui est sibi contradicens) Calvinus etiam dixit cum lib.3. Instit. cap.11. §. 19. de hac materia differens scripsit, *fides tamen qua justificat, non est sola*.

18. Confessionem peccatorum dicit non esse institutam jure Divino, ejus usum olim fuisse liberum; satisfactionem ad pœnitentiam non esse necessariam, nec Deum posse pœnis satisfactoriis placari, & satisfactiones nostras pugnare cum satisfactione, & efficacià mortis Christi, lib.3. Instit. cap.4. R. Christus Jo:20. post resurrectionem suam discipulis dixit: *Accipite Spiritum sanctum*, *quorum remiseritis peccata*, *remittuntur eis*, *quorum retinueritis*, *retenta sunt*; quibus verbis, juxta sententiam omnium sacrorum Doctorum, potestatem dedit Sacerdotibus absolvendi homines à peccatis, sed Sacerdotes non possunt peccata dimittere, nisi priùs illa cognoverint, quoniam qui sententiam de aliqua redebet dicere, oportet ut plenè rem eandem priùs cognoscat, qui enim judicat quæ non novit, Judex injustus est. Peccata autem aliorum, maximè quæ secretò, & intra cordis latebras commissa sunt, Sacerdotes non possunt agnoscere, nisi ipsimet peccatores Sacerdotibus revelent. Qui ergo Sacerdotibus potestatem remittendi peccata dedit, illis eisdem verbis, peccatoribus obligationem confitendi peccata sua injunxit. Nec valet dicere laudata Christi verba: *Accipite Spiritum sanctum &c.* intelligenda esse, de potestate prædicandi Euangelium, vel consilium innuere, non autem præceptum. Nullius roboris esse istam responsionem constat ex Conc. Trid. quod sess.14 Can.3. hæc ait: *Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate retinendi, & remittendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catho-*

Catholica ab initio semper intellexit; *detorserit autem contra institutionem istius Sacramenti ad authoritatem prædirandi Euangelium*, *anathema sit*, & Can. 6. iterum ait: *Si quis negaverit Confessionem Sacramentalem*, *vel institutam*, *vel ad salutem necessariam esse jure divino*, *aut dixerit*, *modum confitendi secretè soli Sacerdoti*, *quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit*, *& observat*, *alienum esse ab institutione*, *& mandato Christi*, *& inventum esse humanum*, *anathema sit*. Insuper R. Calvinus in eo quod dixit, satisfactionem ad pœnitentiam non esse necessariam. Euangelium Luc. 3. expressè præcipit lapsis, ut Deo per pœnitentiæ labores satisfaciant. *Facite ergo fructus dignos pænitentiæ*. Item à primis Ecclesiæ temporibus fuerunt plures Canones pœnitentiales, ad quorum normam lapsi post Baptismum debebant satisfacere: nec valet dicere, quòd si satisfactiones essent lapsis necessariæ, Christus per suam passionem plenè non satisfecisset pro peccatis nostris, contra illud, quod dicitur prima Jo: 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, *non pro nostris autem tantùm*, *sed etiam prò totius mundi*: non valet inquam; nam non ideò nostræ satisfactiones cum Dei auxilio exhibitæ requiruntur, quia non adsit satis virtutis in satisfactione exhibita à Christo; sed in tantùm requiruntur, quia Christi satisfactionis virtus, nobis non applicatur, nisi interpositis nostris satisfactionibus, quæ & procedunt ex gratia, & suam vim habent, & fortiuntur ex Christi satisfactione. Vide Conc. Trident. sess. 14. cap. 9.

19. Lib. 3. Instit. cap. 5. asserit Indulgentias esse Sanguinis Christi profanationem. R. Verbo *Lutherus*.

20. Lib. 3. Institutionum cap 5. §. 6. negat dari Purgatorium; orationes, & suffragia oblata pro mortuis, ipsis proficere. R. quoad primum, quia plures sunt animæ, quæ discedentes ab hoc seculo plurimas habent peccatorum venialium sordes, quas numquam, dum hic viverent mundaverunt, tales autem animæ non descendunt in infernum, quoniam nullus in charitate decedens, propter sola venialia perpetuò damnatur; nec ad gloriam ascendunt, quoniam ad eam gloriam non transibit pollutus, ut ait Isaias 35. cui consentit Jo: Apocalypsis 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum*, ergo oportet dari locum in quo animæ illæ recipiantur, quousque sint tanquam aurum in fornace mundatæ, ut sic possint intrare in patriam, in qua nihil coinquinatum admittitur. Quòd autem hujusmodi animæ adjuvari possint suffragiis, eleemosynis, & piis Fidelium precibus, probatur ex lib. 2. Machabæorum cap. 12. in quo dicitur, quòd *Vir fortissimus Judas duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium*, deindè concluditur: *Sancta ergo*, *& salubris est cogitatio pro defunctis exorare*, *ut à peccatis solvantur*. Rejicit quidem, Calvinus librum istum; sed adeat Concilium Florentinum: ex Euangelio, & ex Paulo Purgatorium probatur. Vide verbo *Albanenses*, contra quos probata est existentia Purgatorii.

21. Lib. 2. Instit. cap. 17. admonitione de reliquiis, ubi agit de ligno Crucis, dicit adorationem Crucis, esse rem diabolicam. Repr. verbo *Claudius Taurinensis*.

22. In armonia Euangelica ad cap. 1. Luc. vers. 34. ait: non magnoperè laborandum est, ut Mariam purgemus ab omni vitio, ex quo asserto, & sequentibus, videtur prætendere Mariam peccasse. R. verbo *Lutherus*.

23. Item loco supracit. vult Mariam non fuisse Virginem, sed cognovisse virum. R. verbo *Antimariani*.

24. Lib. 1. Institut. cap. 14. §. 8. habet. De ordinibus Angelorum qui definire audent, videant quale habeant fundamentum. R. ex sac. pag. ubi de ordinibus Angelorum fit mentio, in Testamento veteri de Angelis sermo habetur Gen. 3. vers. 24. Isaiæ 6. 1. Dan. 10. 13. sed clariùs ad Eph. 1. 20. ad Colos. 1. 16. prima Petri 3. 22. demùm in Liturgia D. Petri, D. Marci, & D. Jacobi de ordinibus Angelorum clarè disseritur.

25. Ad cap.32. Gen. verf.1. lib.1. Inftit. cap.14. §.7. ad pfalmum 90. negat unicuique deputatum effe Angelum cuftodem. R. Pfalmo 90. verf. 11. & 12. *Angelis fuis mandavit de te, ut cuftodiant te in omnibus viis tuis*. Item pfalm.33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum*. Matth. cap.18. verf.10. *Videte ne contemnatis unum ex his pufillis; dico enim vobis, quia Angeli eorum femper vident faciem Patris*, ex quo evincitur unicuique noftrum datum effe Angelum tutelarem, cui ex adductis verbis conftat quòd debemus honorem deferre. Nec dicendum quod hæc Angelorum cuftodia detrahat humanæ libertati, vel effe injuriofam Deo; nam potiùs contrarium evincitur; cuftodia enim Angelorum nobis inferuit, ad faciliùs fuperandas tentationes Dæmonis; & cum Angeli fint Dei miniftri, ad noftrum folamen etiam nos comifit Angelorum tutelæ; ex quo fequitur non effe Deo injuriofam hanc cuftodiam, imò potiùs vergit in Dei laudem, qui licèt fit primarius cuftos hominum, adhuc fibi complacuit deputare in cuftodiam noftram fingularem fuos miniftros, fcilicet Angelos, ut fpiritualem ordinem ufque ad infimum gradum per minifteria rectiffimè difponat: qui infimus gradus eft humanæ naturæ.

26. Lib. 1. Inftit. cap.14. §. 12. ad cap.24. Gen. verf.23. ad cap.2. Epift. ad Colof. negat Angelos pro nobis orare, effe adorandos, & invocandos. Repr. Gen.48. verf.16. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iftis, & invocetur fuper eos &c.* Gen.19.ver.1. *Venerunt duo Angeli &c. Adoravitque pronus in terra.* Num. item cap.22.ver.31. Jofue 5.15.lib.1.Paralyp. cap.21. ver.16. Job.5.1. Tobiæ 12.12. dixit Angelus ad Tobiam: *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino*. Angelos effe honorandos probatum eft contra *Bullingerium*. Vide etiam verbo *Vigilantius*.

27. Lib.4. Inftit. negat dæmones torquentes humana corpora poffe ab Exorciftis, & fanctis hominibus ejici. R. Matth.8. 28.*Cùm veniffent transfretum in Regionem Gerafenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia ... Et ecce clamaverunt dicentes Quid nobis, & tibi Jefu filj Dei? Venifti huc ante tempus torquere nos, &c.* Item Matth. 9. 32. Matth. 17. 14. Marci 1. 23. Luc. 11. 14. & alibi in fac. pag. exempla proferuntur, per quæ comprobatur Chriftum ejeciffe dæmonia, quam poteftatem contulit Sacerdotibus, unde legitur Matth.10. 1. *Et convocatis duodecim Difcipulis, dedit illis poteftatem fpirituum immundorum, ut ejicerent eos*. Marci 16. 17. *Signa eos, qui crediderint, hæc fequentur: In nomine meo dæmonia ejicient*. Sed & in fac. hiftoriis innumera exempla hujus authoritatis à Deo collatæ Ecclefiæ ejiciendi dæmonia proferuntur, & frequenter in Ecclefia experimur. Vide Card.Bona lib. de difcretione fpirituum cap.11. num.14.

28. Lib.3. Inftit. cap. 25. §. 6. habet. Stultum & temerarium eft inquirere in quo loco fint animæ juftorum, & an gloria fruantur, nec ne; ex quo dicendi modo, videtur eum negare fanctas animas poft difceffum ex hac vita, frui gloriâ æternâ. R. Luc.23. verf. 43. *Hodie mecum eris in Paradifo*. Joan.12.26. *Ubi fum ego, illic & minifter meus erit*. Jo: 14.2. *In domo Patris mei manfiones multæ funt, quia vado parare vobis locum*. Jo: 17.24. Secundâ ad Cor. 5. 1. & 16. evincitur Sanctos poft difceffum à corpore frui gloria; unde defiderabat Apoftolus diffolvi, & effe cum Chrifto. Demùm animas ab omni peccato purgatas, ftatim obtinere præmium, probabitur verbo *Millenarii*.

29. Lib. 1. Inftit. cap.11. §. 11. & alibi non patitur cultum exhiberi Sanctis, vel Angelis. Repr. verbo *Beza*, & *Bullingerius*.

30. Imagines Chrifti, & Sanctorum, in Ecclefiis retinendas effe, negare videtur ex eo, quod habet lib.1. Inftitut. cap.11. §.3. R. verbo *Iconoclaftæ*.

31. Sanctorum reliquias religiosè fervandas, & colendas effe negavit, in admonitione de reliquiis. R. verbo *Eudoxius*.

32. Pe-

32. Peregrinationes ad loca Sanctorum dicit esse inanes. R. 1. Regum cap. 1. vers. 3. *Et ascendebat vir ille statutis diebus ut adoraret in Silo*. Actorum 20. 16. *Festinabat Paulus, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Jerosolymis*. Sed & Christi exemplo, atque parentum ejus confirmatur, quàm sanctum sit ad loca sancta peregrinari, legitur enim Luc. 2. 41. *Et ibant Parentes Jesu per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ*; Tum quia est signum honoris, quod defertur locis sanctis ad ea peregrinari; ergo bonum, & sanctum est devotionis ergo loca sancta adire. Vide verbo *Claudius Taurin.*

33. Ad cap. 4. Luc. dicit Scripturam sacram sub Papatu obsolevisse. R. verbo *Lutherus*.

34. Calvinus, testante Beza in ejus vita, Librum Canticorum, impuram esse cantionem blasphemavit. R. Testimonio unanimi Græcorum, & Latinorum Patrum, qui hujus libri sacra mysteria per explanationes ab ipsis factas exposuerunt; inter quos erudité S. Bernardus, ab ipso Calvino commendatus, scripsit in Cantica.

35. Lib. 1. Institutionum cap. 11. §. 8. quædam quæ in Sapientiæ lib. scripta sunt, falsa esse contendit. R. verbo *Albanenses*, ubi etiam reprobatur circa alia sua figmenta, deliria, & blasphemias, quas evomit in alios Scripturæ libros, quos vel in toto, vel in parte rejicit.

36. Lib. 2. Instit. cap. 16. §. 18. dubitat an symbolum Christianæ fidei, fuerit ab Apostolis conscriptum. R. Testimonio Clementis I. epist. 1. S. Ignatii epist. ad Magnesianos, S. Irenæi lib. 1. cap. 2. & sic successivè omnium Sanctorum Patrum, qui symbolum fidei, ab Apostolis conscriptum fuisse, indubitanter asserunt.

37. Monarchicum regimen esse optimum etiam pro regenda Ecclesia negat Calvinus lib. 4. Institutionum cap. 6. §. 9. R. Jeremiæ 12. vers. 10. *Pastores multi demoliti sunt vineam meam*, quam calamitatem experta est Ecclesia, tempore quo fuerunt schismata. Item Jo: 10. 16. *Fiet unum ovile, & unus Pastor*. Tum quia sub regimine monarchio Christus constituit Ecclesiam, quandoquidem dedit claves soli Petro, ergo dicendum monarchicum regimen esse optimum, si hoc præ aliis fuit à Christo stabilitum pro regenda Ecclesia. Tum quia si in Ecclesia non esset regimen monarchicum, neque haberi posset una certa fides, plures enim in potestate pares, diversimodè sæpè sentirent in rebus fidei, & sic non posset haberi una certa fides. Tum quia regimen monarchicum inter omnes, utpote excellens, commendatur ab ipsis Gentilibus poetis, atque philosophis, imò ab ipsa natura. Tum quia ab orbe condito, usque ad annum præsentem, perpetua successione, semper fuit unus Ecclesiæ præses, & Monarcha, sicut videre est apud eos, qui ea de re catalogum texuerunt.

38. Lib. 4. Instit. cap. 6. §. 7. negat Petrum fuisse principem à Deo constitutum, sed parem, non superiorem cum reliquis Apostolis potestatem habuisse. R. verbo *Lutherus*.

39. Ad cap. 22. Jeremiæ, negat Petrum fuisse Romæ Episcopum. R. verbo *Carolus Molinæus*.

40. Lib. 4. Instit. cap. 6. scribit non esse ex Christi instituto primatum Romanæ Ecclesiæ, neque Papam posse esse totius Ecclesiæ caput. Repr. verbo *Lutherus*.

41. In Gregorium VII. dictum Hildebrandum debacchatur in scholiis, quæ scripsit in epistolam Pauli. R. Quia de ipso tanquam Sancto officium celebratur. Eumdem celebrant summis laudibus Scriptores omni exceptione majores, quorum hac de re testimonia, in unum collegit Coccius lib. 7. de Hierarchia Ecclesiæ artic. 17.

42. Lib. 4. Instit. cap. 7. §. 24. dicit Rom. Pontificem esse Antichristum. R. verbo *Lutherus*, *Bartholomeus Janovesius*, *Blandristæ*.

43. Lib. 4. Instit. cap. 4. §. 2. Episcopum parem facit Presbytero in dignitate, & jurisdictione. R. verbo *Aeriani*.

44. Lib. 4.

44. Lib. 4. Instit. cap.2. §.1., & in responsione ad Sadoletum, Ecclesiam defecisse contendit, & eodem modo esse extinctam, ac cum homo jugulatus, dicitur mortuus. R. Matth. 16. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*. Item Matth.28.20. Luc. 21.32.22. 31., & pluribi asseritur Ecclesiam Christi nunquam defecturam adeò expressis verbis, ut circa hanc veritatem non sit dubitationi locus. Tum quia cum lex Evangelica sit lex gratiæ, conveniens est legem gratiæ utpotè jugum leve, & onus suave, permanere usque ad consumationem seculi.

45. Lib.1. Instit cap.15.§.8. describens primi hominis conditionem, nullam facit mentionem supernaturalium donorum; & integritatem, quam habuit in statu innocentiæ, fuisse ipsi naturalem contendit. Repr. verbo *Lutherus*.

46. Lib.2. Instit. cap.3. §.7., & 11. negat dari liberum arbitrium. R. verbo *Bardezanes*.

47. Lib.2. Instit. cap.18. §.1. & 8. Item lib.3. Instit. cap.23. §.8. asserit, quòd ex Dei impulsu homo peccat. R. verbo *Blastus*, & *Beza*.

48. Admonitione 2. contra Westphalum contendit infantes ex fidelibus genitos sanctos esse, & Ecclesiæ membra censeri debere, etiam antequam baptizentur. R. Quia tam filios fidelium, quàm infidelium contrahere culpam originalem, constat Job. cap. 14. verf.4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* ergo per hoc, quòd quis nascatur à fideli, non remanet immunis à culpa, ergo non gignitur sanctus, ergo non potest inter Ecclesiæ membra censeri; nam Ecclesiæ membra per solum Baptismum distinguuntur. Tum quia omnes nascuntur filii iræ: dicit enim absque ulla exceptione Apostolus ad Romanos 5. *In omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*; ergo omnes nascuntur filii iræ: Unde Joann.3. legitur, necessitatem Baptismi ad omnes omninò extendi: nec valet probare peccatum non extendi ad omnes, textu Apostoli ad Rom. cap.5. verf.14. *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*: Ex quo inferunt hæretici, ergo aliqui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ; sed contra est, nam in eodem textu Apostolus asserit mortem regnasse in omnibus, etiam in lege naturæ, quamvis peccatum personale non commiserint; regnasse, inquam ratione peccati originalis, unde sequitur, textum potiùs stare contra adversarios; ex eo enim infertur, quòd etiam qui non peccant personaliter, scilicet in similitudinem Adæ prævaricationis, adhuc contrahunt peccatum originale.

49. Lib.2. Instit. cap.7. scribit. Sit extrà controversiam, impossibile esse in hac carne legis implementum. Rep. verbo *Lutherus*.

50. Negat realem existentiam corporis Christi in Eucharistia, dicendo panem, & vinum in hoc Sacramento se habere præcisè ut symbolum, revocans ad nostram notitiam passionem Christi. R. verbo *Anabaptista*, contra quos probatur realis corporis Christi existentia in Eucharistia. Tum quia, si ut ait Calvinus, ad rationem Sacramenti Eucharistici sufficeret aliquod signum revocare memoriam passionis Christi, & ejus mortem, omnes imagines repræsentantes hoc mysterium forent Sacramentum; imò species impressæ hujusmodi imaginum, remanentes in phantasia, quæ aliquando nos excitant ad memoriam passionis Christi, forent Sacramentum, & sic haberemus hoc Sacramentum in nostra phantasia.

51. Lib.3. Instit. cap.20. negat Sanctos in cælis pro nobis intercedere. R. Lib.2. Machabæorum cap. 15. Judas in visu vidit Oniam, qui fuerat summus Sacerdos *orare pro omni peccato Judæorum*. Ab eodem etiam Onia audivit: *Hic est fratrum amator, & populi Israel; hic est qui multùm orat pro populo, & universa sancta Civitate, Jeremias Propheta Dei*. Angelus Zachariæ primo speciali-

cialitèr pro Juda, & Jerusalem orat: *Domine exercituum. usquequo tu non misereberis Jerusalem, & urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est*. Tobiæ cap.12. Angelus Raphael sic Tobiam alloquitur: *Quando orabas cum lacrymis .... Ego obtuli orationem tuam Domino*. Quæ mox prolata sunt ex Scripturis, à Patribus laudantur, ut beatorum spirituum pro hominibus intercessionem afferant. Vide verbo *Albertus*, *Vigilantius*.

52. Lib.4. Instit. cap.10. negat Ecclesiam habere potestatem ferendi leges, quæ obligent in conscientia. R. Quia Ecclesia ab ipsomet Christo facultatem accepit condendi leges, quæ obligent in conscientia; nam Christus Luc.10. Apostolos, eorumque in Ecclesiastico regimine successores sic alloqutus est: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*. Apostolus 1. ad Thessalonic.4. asserit se non ex surrepta sibi temerè, sed accepta divinitus potestate, leges præscripsisse. Scribit enim: *Quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum*. Eamdem potestatem ipse Christus comprobavit, hisce verbis Apostolos alloquens Matth. 18. *Si autem Ecclesiam non audierit: sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*. Declaravit insuper Christus, se ratum habiturum in Cælis, quidquid Apostoli in terra acturi essent: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo*.

53. Lib. 4. cap. 12. Cælibatum Sacerdotum, legem tyrannicam vocat. R. Equum enim est, ut qui constituitur minister, & dispensator mysteriorum Dei, sit sanctus corpore, & spiritu: sollicitus sit quæ Domini sunt, quomodò placeat Deo: non quæ sunt mundi, & quomodò placeat uxori. Perperàm igitur sentit Calvinus, asserendo esse tyrannicam legem hanc, quam tot cordati viri; tam piè, religiosèque colunt. Vide verbo *Carlostadius*.

54. Verba, quibus Sacramentum conficitur, concionatoria solùm, non consecrativa esse contendit, idest, ad instructionem populi, non ad materiæ consecrationem proferenda esse; licèt ea necessaria ad Sacramenti confectionem videatur admittere. R. Et quidem ostendendo verba, ex institutione Christi prolata in confectione Sacramenti, non esse concionatoria, sed consecratoria; nam Paulus Apostolus prima Corinth. ait: *Non misit me Dominus baptizare, sed euangelizare*: diversa ergo munia sunt concionari, & Sacramenta conficere: quòd si diversa sunt; certè non pertinent concionatoria verba ad substantiam Sacramentorum; & aliud est concionari, aliud est consecrare. Deinde cum Dominus, Marci ultimo misit Apostolos, primùm præcepit, ut docerent: & posteà ut baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; ergo verba hæc, quæ sunt forma Baptismi, non pertinent ad doctrinam; sed post doctrinam pertinent dumtaxat ad consecrationem. Satis hæc, non enim desunt aliæ rationes à Theologis adductæ.

55. In Antidoto Conc. Trident. negat necessariam esse intentionem ministri ad conficiendum Sacramentum. R. Nam hoc posito sequeretur quòd sacerdos, etiam ipso inscio, posset consecrare. Supponamus enim sacerdotem animi gratia legere euangelium, ubi continentur verba consecrationis, si quis, sacerdote inscio apponeret panem in mensa, dum legit verba consecrationis, dicendum foret in illo casu panem esse consecratum, si non requireretur intentio: ibi enim esset materia præsens, ibi verba consecratoria prolata à sacerdote, ergo dicendum foret etiam ipso inscio, posse Sacramentum conficere, si verum esset non requiri intentionem ministri ad conficiendum Sacramentum. Nec valet objectio de baptizatis ab Athanasio puero, quos Patriarcha Alexandrinus censuit benè baptizatos; nam puer Athanasius, sicut de facto interrogatus respondit, in illa actione, licèt facta per oblectationem, intendebat facere, quod facit Ecclesia. Observandum autem in præsenti

senti quæstione non disputari, quænam requiratur intentio; scilicet an illa quæ appellatur externa sufficiat, an non; hoc enim Scholasticis relinquimus discutiendum.

56. Lib. 4. Instit. cap. 14. negat Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, sed solùm vult excitare fidem, sicut facit prædicatio verbi. R. Marci ultimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit*; ex quibus verbis constat, quòd statim post baptismum sequitur justificatio: nempè *Salvus erit*: & non interponitur alia causa excitans: ergo Sacramenta immediatè justificant; ergo immediatè conferunt gratiam. Tum quia si Sacramenta se haberent solùm tanquam concio, ad excitandam fidem, superfluum esset baptizare infantem, qui concionem non intelligit, nec posset consequentèr excitari media concione ad fidem. Tum quia ipsi hæretici infantem recenter natum, baptizatum, & mortuum; credunt esse in statu salutis; sed hoc esse non potest à fide excitata per Sacramentum, tanquam per concionem; cum infans recentèr natus sit incapax intelligendi concionem, & ab hac excitari; ergo salus infantis debet reponi in efficacia Sacramenti, quòd confert absolutè gratiam.

57. In Antidoto Conc. Trident. in Can. 9. characterem Sacramentalem habet tanquam figmentum. R. ad Ephes. 1. *In quo credentes signati estis* ad Corinth. 1. *Unxit nos Deus, & signavit nos*. Tum quia Baptismus, etiam per hæreticos, non potest iterari, quia semper manet ejus effectus, qui non alius esse potest, nisi quantùm ad characterem spectat; ergo Sacramenta, quorum semper manent effectus, dici debet quod de facto imprimant characterem indelebilem, semel enim, ac quis est ordinatus, semper manet in tali ordine suscepto constitutus.

58. Lib. 4. Instit. cap. 18. solùm admittit tria Sacramenta, Baptismum, Cœnam, & Ordinem. R. Nam ratio, propter quam negat septem Sacramenta hæc est, quia in Scripturis non habetur expressa mentio de numero septennario, sed argumentum etiam retorquetur contra hæreticos, qui duo, vel tria tantùm admittunt Sacramenta; nam neque in Scripturis habetur expressa mentio de binario, vel ternario numero; Certum autem est Ecclesiam universalem semper recepisse numerum septennarium Sacramentorum, de quibus omnibus separatim constat in Scripturis mentionem fieri. Unanimis etiam urget Sanctorum Patrum consensus: & quidem de Baptismo fit mentio Matth. ultimo, de Confirmatione Joan. 24., de Eucharistia Luc. 22. 17., de Pœnitentia Marc. 1. 14. Joan. 29. 22., de Extrema unctione Marci 16. 12., Jacobi 5. 14. de Ordine Act. 6. 5. 14. 22., de Matrimonio ad Eph. 5. Adeò certus est hic septennarius numerus, ut de ipso expressè nunquam mentionem fecerit Ecclesia in Conciliis congregata, nisi cum veritatem hanc, à temerario Novatorum ausu impugnatam audivit. Vide verbo *Bissacramentales*.

59. Fidem nostram solis Scripturis, non verò Apostolicis traditionibus niti asserit: in Antidoto Conc. Trident. ad sess. 4. R. Ex Concil. Nicæno, in quo standum esse traditionibus asseritur, & anathema dicitur non accipientibus traditiones Ecclesiæ, sive scriptis, sive consuetudine valentes. Tum quia nonnisi per traditiones Apostolicas scimus Euangelistas scripsisse, præcipiente Domino, Euangelium; ergo standum est traditionibus Apostolicis, quibus abrogatis, consequeretur etiam abrogari Euangelium. Quòd autem traditionibus Apostolicis teneamur obedire, non minus quàm verbo Dei scripto, ex eo satis patet, quòd apud omnes legales, consuetudo laudabilitèr recepta, habeat vim legis: tenemur obedire legibus, ergo & traditionibus. Vide verbo *Biblistæ*. *Brentius*.

60. Assignat tantùm duas pœnitentiæ partes, nempè mortificationem, & vivificationem, sed longè alio sensu à Luthero: nempe per mortificationem, non intelligit terrores incussos, sed mortificationem vitiorum, sive abnegationem

nem sui, & spoliationem totius veteris hominis; per vivificationem verò, non intelligit fidem, vel fiduciam ex Euangelio, aut absolutione conceptam, ut Lutherani; sed pium benè vivendi studium, atque affectum ad bona opera, quæ dicit esse non partem, sed fructus pœnitentiæ. Rep. nam vel confundit Calvinus pænitentiam cum justificatione; vel posteriorem ipsa justificatione eam esse contendit; dicit enim pœnitentiam esse fructum fidei justificantis, & per mortificationem, & vivificationem, intelligit refrænationem vitiosarum affectionum, & pium studium benè operandi, quæ in reconciliatione inchoantur, ac deindè totà vita perficiuntur. Sed Scripturæ Divinæ, docent pœnitentiam viam esse ad justificationem, & proindè priorem esse justificatione, ut constat Actorum 11. Hierem.8. quòd si pœnitentia via est ad remissionem peccatorum, & prior justificatione, multò majori ratione mortificationem illam, & vivificationem præcedet, quæ in Calvinistarum opinione, fructus est fidei justificantis, & justificationem ipsam consequitur, quare Lutherani, & Calvinistæ in extremas abeunt partes, & sicut errant Lutherani, quia pœnitentiam in his motibus constituunt, qui veram pœnitentiam antecedunt, ita quoque errant Calvinistæ, qui eam in his actionibus ponunt, quæ veram pœnitentiam consequuntur; contra quos omnes stat Catholica veritas, in Concilio Tridentino declarata sess.14. cap.3.

XVI. Calvinistæ Causarii Dicti etiam Concistoriales, inter Sacramentarios novos reponuntur. Ortum habuerunt anno 1572. à Petro Carpentario, & plus armis, quam hæresi grassari cæperunt, licèt non modò hæretici, sed Atheistæ sint nuncupandi, imò & Barbari, quatenus nedùm homines, sed Deum despiciunt. Funesta bella, non minùs quam crudelia gesserunt in Gallia anno 1572. & Lutetiæ Batavorum anno 1579. contra Christianos, quorum sanguine tingebantur; imò Sacerdotum necem Sacrificium arbitrabantur; propter eum quibusque Catholicis, non minùs essent terrori, quàm prout poterant exterminio, meritò de illis à quodam scriptum est, *qui Causarios novit, furias Infernales novit*. Hæc sunt Calvinianæ hæresis germina, ut à fructibus, qualis fuerit arbor, cognosci possit à sensato lectore. De his agit Gravina.

XVI. Calvinomasticæ. Author istorum fuit Lodovicus Alemani Italus, anno 1566. non recipiunt doctrinam Calvini circa Eucharistiam, negant siquidem Eucharistiam dari per fidem, ut vult Calvinus. Negant insuper in Eucharistia esse verum corpus Christi, & prout constat ex thesibus Lugduni promulgatis à Claudio Sanctio.

Afferunt corpus Christi dari quodam modo incomprehensibili. R. Quia modus ille incomprehensibilis, ita ab iis ponitur, ut excludendo sensum Ecclesiæ, verè negent dari in Eucharistia verum corpus Christi, quod de facto realitèr esse in Eucharistia, probatum est contra *Berengarium*; cæterùm admissa reali existentia, circa quam debemus captivare intellectum nostrum in obsequium fidei, neque nos Catholici asserimus posse comprehendi modum existendi corporis Christi in Eucharistia: ex quo patet quatenùs non absolutè, per præfatam propositionem reprobentur Calvinomastigæ, sed quia præfata propositione abutuntur, ad negandam veritatem Catholicam.

XVI. Calvinopapistæ. Vide *Anglocalviniani*, sive *Antipuritani*.

De his omnibus sectis quæ Calvini nomen præseferunt mentionem facit Spondanus agens de Calvino, & de sectis ab eo propagatis; sed & alias scissiones edidit Calviniana hæresis, de quibus sub proprio nomine agetur.

XVI. Calvinistæ liberi prodierunt anno 1570. Novis Sacramentariis adstipulantur, ideò liberi nuncupantur, quia mediant intèr Calvinistas concistoriales, & Calvinistas pacificos, cum istis cædes abhorrent, prout imperatas à concistorialibus, quia prout tales, impias reputant; renuunt siquidem parère

rère conciſtorialibus. Cæterùm etiam licitas cædes credunt, imò inferunt, dummodò à Conciſtorialibus non imperentur.

XVI. Calvinistæ Pacifici. Inter novos Sacramentarios reponuntur etiam à Gravina, & ex Reſio, tales dicuntur illi, qui dogmata Calvini ſectantur, ſed omnia illa deteſtantur, quibus publica pax turbari poteſt; ſolent appellari etiam *Jacobini*, & aliquando *Pacifici*, inſurrexerunt circa annum 1570. ex Gravina.

XVII. Cameronus. Joannes natus Glaſcocuvii in Scotia, vixit currente ſeculo 17. tam in Patria, quàm in pluribus Galliæ civitatibus, more Proteſtantium Theologiam docuit; ſed cum Calvini ſententia circa gratiam, liberum arbitrium, & prædeſtinationem ipſi non arrideret, novum ſyſtema circa gratiam invenit, & docuit opinionem, quæ Arminianorum ſententiæ conſentanea eſſe videtur. Varia ejus opera Leodii anno 1622. impreſſa fuerunt; ſicut & Genevæ anno 1632. aliæ ejuſdem elucubrationes typis mandatæ apparuerunt.

XVII. Camerionenses Presbyteriani, in Scotia, ſciſſione ad invicem facta, in duas ſe diviſerunt cohortes, quarum una ab Archiboldo Camerone nomen ſortita, qui publicæ conſcientiæ libertatem prædicabat, à Carolo Secundo Rege conceſſam. Contendebant aliqui Regem jure ſuo uti, cum ſuis ſubditis libertatem conſcientiæ concedebat. Negabant è converſo alii Regem hanc habere facultatem. Plures hac de re factæ inter Presbyterianos miniſtros diſputationes, ſed nihil concluſum. Creſcente itaque rebellione Cameronienſium, iidem contra Regem arma ſuſceperunt. Interim ad regnum aſſumpto Guillelmo III. ejus nutibus tàm quoad leges civiles, quàm Eccleſiaſticas ſe ſubmiſerunt Camerionenſes; & ſuppreſſa eſt, quæ fuerat excitata rebellio. Ex Diction: Anglic.

XVI. Campanus. Dictus Joannes, natione Germanus, patria Juliacenſis, fuit biennio Witembergæ Lutheri diſcipulus, renovavit antiquas hæreſes Sabellij, Arij, & Macedonij. Cliviæ in carcere detenſus, ſuum illinc prophetavit egreſſum, ſed pſeudo-propheta inventus eſt. Publicè docuit Witembergæ, Filium, & Spiritum ſanctum unam eſſe cum Patre perſonam. R. Verbo *Bogomilli*; contra quos oſtenſum eſt dari myſterium Ss. Trinitatis. A Campano originem habuerunt Campaniſtæ, qui à nonnullis Antilutherani vocantur, quia quamvis diſcipuli eſſent Lutheri, propugnabant tamen aliquos errores à Luthero impugnatos.

1. Verba conſecrationis: *Hoc eſt Corpus meum*, ſic interpretabatur. *Hic panis eſt creatura corporalis à me creata, propterea meum corpus appello*. R. Quia cum omnis creatura corporalis ſit à Deo creata, non minùs de pane, quàm de quacumque alia creatura potuiſſet in ſenſu Campani Chriſtus dicere: *Hoc eſt Corpus meum*; ita ut nulla facta rei immutatione, ſed ſola appellatione extrinſeca, omnis res poſſet dici Corpus Chriſti, ſive cœlum ſit, ſive terra, lapis, ignis, beſtia &c. & jam non fuiſſet inſtitutio nova Sacramenti Euchariſtici, à Chriſto facta, Prorſus ridicula fatui hominis excogitatio; & quæ vel impugnetur indigna. Conſtat in Euchariſtia eſſe verum Corpus Chriſti ex ſupra dictis contra *Calvinum*; apage ergo nugas Campani.

IV. Campates. Vocantur etiam Montenſes; inſurrexerunt circa annum 321. Fuit hæc ſecta à Donatiſtis propagata; gloriabantur ſolùm apud ipſos eſſe veram Eccleſiam.

1. Baptizabant Catholicos ad ipſos confugientes. R. verbo *Anabaptiſtæ*.

2. Dicebant in Eccleſia bonos ſolùm, non verò bonos, & malos contineri. R. verbo *Aſſuritani*.

3. Omnes qui mortem ultroneè ſubeunt, ſive ab aliis inflictam, ſive etiam ſibi ipſis infligant, dicebant tanquam Martyres eſſe habendos. Repr. verbo *Circumcelliones*.

IV. Campenses. De quibus agit D. Hieronymus Ep. 57. ad Damaſum, circa medium ſeculi quarti, erant Arianis multum affines.

Tres ſubſtantias, & tres eſſentias diverſas

versas admittebant in tribus Divinis personis; quia verò tres personas Divinas, etiam tres hypostases Catholicè dicimus, volebant cum Ecclesia Catholica communicare, æquivocatione nominia tutantes errorem, ipsi siquidem nomen hypostasis ad essentias diversas, non ad diversitatem personarum significandam extorquebant. R. Quia admissis pluribus essentiis in Divinis, necessariò plures Deos admittendos fore constat. Insuper ex his quæ dicta sunt ad ostendendam Divinitatem, & consubstantialitatem Verbi cum Patre, & Spiritus sancti, cum Patre, & Filio, constat non posse admitti tres substantias diversas in Divinis. Vide hac de re, quæ dicta sunt contra *Arium*, *Accacianos*, *Anomeos*, *& Airanos*. Cæterùm nomen hypostasis quamvis à Græcis pro substantia accipi possit, tamen non significare essentiam, sive *Ousiam*, sed personam, latè probant Thologi.

V. Candidianus erat Comes domesticorum Theodosij Junioris Imperatoris, à quo missus fuerat ad Synodum Ephesinam, ut tranquillitatem curaret, sed fautor Nestorii ibidem factus, omnia egit adversus Orthodoxos, falsisq; relationibus Imperatorem decipere studuit, cujus fraude detecta ab Imperatore exauctoratur Ex Bar.

V. Cantobabditae, sive ut aliis placet Caucobabditæ fectâ fuerunt Severiani, quia Severi hæresis in plures factiones divisa, genuit *Angelitas*, *Damianistas*, *Tetraditas*, *Petritas*, *Paulitas*, sicut & *Caucobabditas*; fortè sic dicti, ab eorum authore, sicut Damianistæ à Damiano, Tetraditæ à Tetradio, & sic de cæteris, sunt nuncupati. Sed probabiliùs est sic dictos, à quodam loco cui nomen *Cautobab*, ubi debacchabantur seculo quinto. Ex Niceph.

Præter Severi errores abominabantur Episcopos, illisque subesse renuebant. R. verbo *Beguardi*, ubi Ecclesiæ præceptis Christianos debere se submittere ostendimus, & verbo *Antidiaphoristæ*, ubi probavimus habere Episcopos jurisdictionem in Ecclesia.

XVIII. Capè. Anno 1729. in Gallia in diœcesi Xantonensi denuntiatus fuit apud Episcopum Parochus quidam, *Capè* agnomine, in accademia Burdigalensi doctor, quòd circa gratiam, falsam promulgaret doctrinam, quam Scripturæ testimoniis, perperam acceptis, sustinere conabatur; sed à Theologis, & judicibus, erroris convictus, promisit resipiscentiam: Vix dimissus, iterùm in suos errores labitur; iterumque captus, scripta sua igni subjecit: denuò ergo dimissus, statim jam tertiò ad vomitum redit suæ hæreticalis doctrinæ, quam majori nisu, e suggestu persuadere studuit in suâ paræciâ; quapropter tertiò iterum captus, carceri fuit mancipatus: *Ex hist. haretic. Francisci Van-Ranst.*

1. Docebat æqualem tàm justis, quàm peccatoribus tribui à Deo gratiam. R. nam licèt Deus nemini denegat gratiam sufficientem, dat tamen pro suo beneplacito, uni præ alio gratiam ampliorem; gratia enim gratis à Deo datur, & quod gratis datur, potest à donatore copiosiùs uni præ alio erogari, absque eo quòd possit in recipientibus habere locum justa quærimonia: quod apertè indicat parabola operariorum, de qua in Euangelio. Certè ampliorem gratiam habuisse D. Joannem Baptistam, qui fuit sanctificatus in utero, quam S. Latronem, qui in instanti suæ mortis ad Deum conversus est, nemo sanæ mentis negaverit. Quòd si æqualis gratia daretur viatoribus, tàm justis, quàm peccatoribus, omnes pari fervore deberent in observantia mandatorum Dei festinare: videmus autem diversos in legis Divinæ observantia progressus, juxta majorem, vel minorem gratiam, à Deo datam: superfluum autem esset Deum orare pro augmento gratiæ, si æqualem gratiam Deus omnibus largiretur. Verum quidem est, quòd ei, qui Divinæ gratiæ cooperatur, Deus gratiam impertitur ampliorem; quare qui desiderat augmentum gratiæ, debet Divinæ gratiæ cooperari.

2. Docebat Deum, etiam in hac vita, videri ab hominibus, licèt minùs clarè

clarè à peccatoribus. R. verbo *Eunomius*, & *Beguardi*.

IV CAPITO fuit Donatista, & unà cum collegis suis, petiit à Constantino Judices pro causà Ecclesiastica componendà, in Africa exorta, quem ideò pius Imperator redarguit, dicens: *Petis à me in seculo judicium, cum ego ipse Christi judicium expectem*, significans hac responsione, causas Ecclesiasticas, non à Principibus secularibus, sed ab Episcopis, maximè à Christi Vicario excutiendas.

XVI. CAPITO, alio nomine dictus Wolfangus Fabricius Germanus, in Alsatià natus anno 1478. professione medicus, etiam Theologiæ studuit; postmodùm linguæ Caldaicæ. Apud Buccerum, & Æcolampadium diversatus, cum iisdem amicitiam iniit, eorumque doctrinæ adhæsit, ducta in uxorem Æcolampadii Viduà, postmodùm alia muliere nomine *Agnete*, quæ litteris instructa, quandocumque vir ejus aliquo impedimento erat detentus, ejus partes concionando agebat.

XIV. CAPUCIATI sic dicti sunt quidam hæretici in Anglia, Wiclephianæ hæresis sectatores, qui ad elevationem Corporis Christi caput non detegebant. R. verbo Beguardi, ubi ostendimus Eucharistiam esse adorandam. Apostasiam *Petri Angli*, qui ab Ordine Regulari aufugerat, defendebant. Hic enim factus Apostata, in Anglia apud hos hæreticos assylum quæsierat.

2. Dicebant tantum inesse cuique simplici Sacerdoti authoritatis, quantum ipsimet Pontifici Romano, huncque errorem ad potestatem Ordinis extendentes, excludebant Episcopos; ideòque ipsi ordinabant Presbyteros, qui Sacramenta omnia ministrabant. Repr. verbo *Armeni* ubi ostendimus Papam esse totius Ecclesiæ primatem. Tum quia si omnes Præsbyteri haberent eandem authoritatem, quam habet Papa, aut Episcopi, Christifideles deberent subdi omnibus Presbyteris. Tum quia, quantùm ad potestatem Ordinis; constat Christum illam Apostolis contulisse, quos Episcopos constituit: ideoque, non nisi legitimi eorum successores, illam habent. Tum quia Episcopus quoad jurisdictionem, est supra Presbyterum, ut ostensum est contra *Airanos*; ergo &c. Vide verbo *Armacanus*.

IX. CARBEAS Manichæismum revocare studuit, & Manichæorum caput se constituit: quanta flagitia perpetrarit, refert Baronius anno 812.

XVI. CARGIUS fuit unus ex illis Lutheranis, qui specialiter a factione Lutherana delegati fuerunt disputationi Wormatiensi, habitæ inter Lutheranos, & Catholicos.

XVI. CARLOSTADIUS. Andreas natus in Oppido Carlostat in Franconià prope Herbipolim, à quo & nomen accepit, Archidiaconus Witembergensis electus, ab eodem Luthero, doctoratus laureà condecoratus, Lutheri propositiones propugnandas assumpsit, quare unà cum Luthero Lipsiæ contra Echium insignem doctorem Orthodoxum, nascentis Lutheranismi strenuum impugnatorem disputavit. Interim, cùm in taberna, unà cum Luthero luderet, & Lutherus florinum aureum amisisset, hinc facta est inter utrumque contentio, quà nunquam sedata, usque ad ultimum spiritum tanquam infesissimi hostes vixerunt, sequè invicem exagitarunt; quapropter Carlostadius aliqua Lutheranæ doctrinæ principia contrariis sensibus cœpit impugnare; & cum Witembergæ, absente Luthero, publicè suos promeret peculiares errores, tumultus excitavit, ad quos componendos, & sedandos, statim Lutherus reversus est Witembergam, ubi Carlostadius persuadebat studiosis, ut Philosophiam, & omnes scientias abiicerent, dicens fas non esse Christianis hominibus, litteris deditam actitare vitam, sed ab omnibus faciendum, quod in Genesi scriptum est. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Quod ut proprio doceret exemplo, ex Archidiacono factus est agricola, in rure Witembergensi. Librum ediderat de conjugio Sacerdotum, & de votis Monasticis rescindendis; juxtà quam doctrinam uxorem duxe-

duxerat; sed cum inscio Luthero (qui neminem patiebatur, propter superbiæ libidinem, sine suo consensu docere in materia fidei) suam promeret doctrinam, factum est inter utrumque novum dissidium; quare multum à Luthero fuit Carlostadius exagitatus, & in extremam pœnæ miseriam Lutheri persecutione redactus, cunctis factus ludibrium, donec ab omnibus se contemni videns, ad Helvetios transiit, à quibus benignè exceptus, iterùm Tiguri doctor apparuit, ubi cum diù vixisset, tandem Basileæ ad munus concionatoris evectus, in ipsa concione anno 1543. viso spectro terribili, intimo terrore exagitatus, post triduum moritur, & ab eodem spectro post mortem raptum fuisse asseritur. Primus fuit Carlostadius ex Germanæ Sacerdotibus, qui publicè, & solemnitèr uxorem duxerit, & tanta fuit Carlostadii discipulorum audacia, & impietas, ut orationes in Missa concinendas composuerint, commendantes in illis Carlostadii matrimonium.

1. Docebat scientias esse abjiciendas, excepto studio Bibliorum. R. verbo *Biblistæ*.

2. Imagines sacras à templo dejecit. R. verbo *Iconoclastæ*.

3. Laicis potestatem faciebat Eucharistiam profano ritu manibus tractandi, & absque præmissà confessione sumendi. R. Quoad primum exemplo Scripturæ, ubi legimus improvisa morte correptos illos, qui arcam fœderis manibus tangere ausi sunt, cum non essent ex ministerio Sacerdotali, quantò magis abstinere debent laici à pertractanda profanis manibus Eucharistia, in qua non virga, non manna, sicut in arca, sed corpus sacratissimum Christi realitèr continetur: ex quo à fortiori deducitur, neminem debere, absque præmissa confessione, Eucharistiam recipere, monente Apostolo: *Qui indignè manducat, judicium sibi manducat*..

4. Esum carnium diebus ab Ecclesia prohibitis permittebat. Repr. Quia Ecclesia habet auctoritatem constituendi leges, quibus Christiani tenentur parère, ut alibi probatum est; ergo si determinatis diebus Ecclesia prohibet esum carnium, non potest his diebus permitti. Quòd Ecclesia habeat auctoritatem condendi leges, constat ex auctoritate data à Christo D. Petro, ligandi, atque solvendi. Tum quia quisquis habet supremum regimen in Republica, potest condere leges, quas judicat opportunas ad bonum regimen Reipublicæ; ergo cum Pontifex habeat supremum regimen in Ecclesia potest &c. Quòd autem Christiani teneantur parère legibus, asserit D. Paulus, dum nos monet obedire Superioribus; suadent insuper ea, quæ dicta sunt contra *Albanenses* de legibus; contra *Acephalos* de obedientia præstanda Episcopis. Demùm in lege veteri Judæi abstinebant à certis cibis vetitis à lege, ergo etiam in nova debent Christiani à cibis vetitis, diebus ab Ecclesia præscriptis abstinere.

5. Sacerdotibus licitum esse uxorem ducere, asserebat. R. ex Concilio Neocesariensi celebrato sub Silvestro Papa, ex Tridentino sess.4. Can.9. Justissimè quidem, & congruentissimè lex ista inducta est; quia matrimonium est impedimento muneri Sacerdotali: multùm enim impedit orationem sacerdotio fungenti necessariam; uxorati siquidem implicantur in negotiis secularibus, debent habere anxietatem sustinendi familiam; unde cor eorum dividendum est, & cogitare tenentur, quomodò placeant uxori, juxtà doctrinam Apostoli. Tum quia si Sacerdotes essent uxorati aspernarentur à laicis, qui potissimum ratione continentiæ servatæ à Sacerdotibus, illis deferunt reverentiam. Tum quia Ecclesia novæ legis, quæ est perfectior synagoga, debet etiam habere Sacerdotes perfectiores, qui quantum possunt, summum Sacerdotem, scilicet Christum, impollutum, sanctum imitentur. Tum demum Sacerdotes in veteri lege, qui erant uxorati, quando debebant Sacrificium offerre, abstinebant à consortio cum uxore; ergo Sacerdotes novæ legis, qui quotidiè sacrificium offerunt, vel quos impediri, ne quotidie offerant non

non decet, nullam debent habere uxorem. Nec valet objicere exemplum aliquorum Apostolorum, & Episcoporum, qui uxores habuerunt; nam nullibi legitur, quòd qui erant ordinati Sacerdotes uxorem duxerint, licèt fuerint aliqui, qui duxerint eam antequàm essent initiati sacerdotio; convenientiùs autem decrevit sacra disciplina, ut neque uxorati ad sacerdotium ascenderent, ob rationes supra insinuatas; Cælibatus observantiam, etiam ab ipso Ecclesiæ exordio, inter sacros Altaris ministros laudabiliter fuisse introductam, enixè ostendunt varii auctores. Ex illis autem verbis Apostoli 1. ad Tim. cap.3. *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum*, infertur quidem, quòd bigami ordinari non possunt, non autem inferendum est, ut volunt hæretici, quòd qui debent ordinari Sacerdotes, debeant uxorem ducere: Et ubi Apostolus ad Corinth.1.cap.7. vult, quòd propter fornicationem unusquisque uxorem habeat, non loquitur de Sacerdotibus, sed de laicis, qui non possunt contineri; idem intendit per illa verba ad Corinth. 1. cap. 7. *Melius est nubere, quàm uri*. Cæterùm sicut plures laici mediâ Divinæ gratiæ assistentia, possunt contineri, hoc à fortiori debent præstare Sacerdotes, quibus Deus subministrat ad hoc efficaciora suæ gratiæ auxilia.

6. Vota Monastica improbabat. R. verbo *Confessio Augustana*.

7. Renovavit hæresim Berengarii, circa existentiam corporis Christi in Eucharistia. R. verbo *Berengarius*.

8. Hæc verba: *Hoc est corpus meum* sic exponebat: Hoc corpus meum, quod hic assidet mensæ. R. ex verbis D.Pauli 1. ad Corinth. deinde ex ipsis verbis statim subsequentibus, nempè: *Hoc facite in meam commemorationem*, nam si priora verba essent intelligenda in sensu Carlostadii, & non in sensu, in quo accipiuntur ab Ecclesia, sequeretur, quòd ad faciendam Christi commemorationem, sufficeret assidere mensæ; sed Christus non præcepit assidere mensæ in sui commemorationem, sed conficere corpus suum; ergo illa verba: *Hoc est corpus meum* non significant, hoc corpus, quod assidet mensæ; sed hoc corpus, quod habeo præ manibus sub speciebus panis, est corpus meum; Quo posito benè intelligitur, quomodò Christus statim per subsequentia verba, præceperit Sacerdotibus idem facere in sui commemorationem. Tum quia si Christus intellexisset loqui de suo corpore, pro ut assidebat mensæ, superfluum erat, quòd diceret: *Hoc est corpus meum*, jam enim sciebant, & videbant Apostoli, quòd Christus in corpore assidebat mensæ. Dixit ergo *Hoc est corpus meum*, quia loquebatur de mysterio sacrosancto, & inaudito ab Apostolis Eucharistiæ; quos, ut clarè doceret in re tanti momenti, non ampliùs locutus est in parabolis, sed apertè professus est, quòd panis Eucharisticus verè erat corpus suum. Unde & carnem suam appellavit verè cibum, & sanguinem suum verè potum. Joan.6.

XVI. Carnesechius Petrus, Clericos Florentinus, hæreticorum sui temporis consuetudine depravatus (de quo plura recenset in suis annalibus Laderchius tom. 22. continuat. annal. Bar.) sub S. Pio V. tanquam hæreticus incorrigibilis captus, capite damnatur, & Romæ comburitur, cum 34. propositiones hæreticales evomisset, quæ omnes per extensum in præfato annal. tom. referuntur, jam in hoc opere, vel implicitè, vel explicitè confutatas: quapropter hic iterum refricare non juvat. De pluribus aliis hæreticis, qui seculo 16. inter Calvinistas, aut Lutheranos celebres debaccharunt, mentionem facit præfatus annalium continuator, tom. cit. ad quem lectorem remittimus, si fortè de eorumdem patria, vita, & moribus notitiam desiderat, qui tamen cum nullum de novo errorem invexerint, sed solùm pro Calvinismo, & Lutheranismo dilatando laboraverint, ideò ab ampliori eorundem notitia abstinemus, cum Hæreticos, sivè Lutheranos, sivè Calvinistas, qui aliquem supra magistros suos propagarunt errorem, jam in

in corpore operis insertos exhibuerimus.

XVI. Carolus Molineus Parisiensis Jurisconsultus, multùm se invexit contra Concilium Tridentinum. Quòd Calvinistæ sectæ adhæserit, ex ejus scriptis videtur facilè colligi. sed cum Germaniam peragrasset, potiùs se Confessionistam, quàm Calvinistam comprobasse refertur. Si vera sunt quæ de eodem scripsit Massonus in suo elogio: Carolus Molineus in mortis articulo resipuit, & orthodoxus decessit, advocatis ad se viris Religiosis, & facta peccatorum suorum exomologesi. Errores qui ei attribuuntur sunt sequentes

1. Christum non habuisse omnem scientiam asseruit R. verbo *Agnoeta*.

2. Dixit Christum nascentem aperuisse Virginis uterum. R. ex sacra Scriptura, quæ Mariam, Virginem appellat, non modò in conceptione, sed etiam in partu. Dicit enim Isaias *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*; ergo si Virgo pariet; Christus nascendo non aperuit Virginis uterùm. Hòc refertur, quod legitur Ezechielis cap. 44. vers. 2. *Porta hac non aperietur*, quem textum interpretantur omnes Expositores sacri de integritate Mariæ in partu. Fateri semper debemus ineffabilem nobis esse veritatem illam: illiusque altitudinem credere nostrum est; non verò comprehendere. Siquidem quomodò corpus, non penetratione, sed vera nativitate è clauso utero exiverit, ille solus comprehendit, qui fecit. Hinc Beata Maria catholicè appellatur, fide solùm docente, semper Virgo, quam prærogativam non haberet, si non fuisset etiam Virgo in partu: violatur enim integritas in aliis virginibus, non modò per conceptionem, sed per partum; sed integritas Virginis Mariæ est inviolata, quemadmodùm canit Ecclesia; quæ præstereà veritatem hanc in pluribus Conciliis confirmavit, maximè in Lateranensi sub Martino V. Can. 3. Nec valet dicere, quòd Maria post partum adivit templum ut purificaretur; nam hoc fecit, ut servaret legem, sicut Christus licèt non haberet opus circumcisione, voluit tamen circumcidi. Non igitur purgatio Mariæ facta est, quia eadem opus haberet, sed ad servandam legem; ne si secùs fecisset, scandalo foret aliis; qui non noverant tantum mysterium. Vide verbo *Adamus*.

3. Docuit errare Doctores Ortodoxos, dum extollunt merita Incarnationis, & Nativitatis Christi, quæ nihil nobis prodesse asserebat, sed solam dumtaxat ejus mortem nobis profuisse, ad expianda peccata nostra, & ad æternam vitam obtinendam. R. Nam certum est, quòd Christus per opera sua nobis promeruit redemptionem, & quòd ejus opera erant, ratione unionis hypostaticæ, infinitè Deo accepta; ergo per opera, quæ fecit ante mortem, nobis promeruit. Cæterùm dicendum foret nobis inutilem fuisse circumcisionem, & alia tormenta, quæ Christus pro nobis pati dignatus est ante mortem; sed hoc non, quia Christus toto tempore vitæ suæ operatus est nostram redemptionem, propter quam venerat. Estò quòd opus nostræ redemptionis, in mortis sacrificio consumaverit; attamen Christus, etiam antequàm mortem subiret, verè operabatur nostram redemptionem, ergo ejus opera jam nobis proderant; Tum quia certum est quòd Christus propter hoc est natus, circumcisus, & passus, propter quod est mortuus, sed mortuus est propter nostram redemptionem, ergo etiam propter eandem est natus, circumcisus, & passus; ergo non solùm nobis promeruit in morte, sed etiam in nativitate, atque in circumcisione, & in passione. Tum quia Christus non est passus, & mortuus propter se, sed propter nos; ergo sicut quia mortuus est propter nos, nobis promeruit in morte, etiam quia natus est propter nos, nobis promeruit in nativitate; quòd idem dicere juvat de incarnatione, circumcisione & aliis operibus Christi, quæ omnia Christus fecit propter nostram salutem.

4. Asseruit Petrum Romæ nunquam fuisse. R. Testimonio Sybillæ, quæ longè antè prædixerat Piscatorem futurum, qui

qui Romam subjiceret. Citatur hæc prophetia Sybillæ à Francisco Petrarca lib.1. de otio Religiosorum. A Bernardino Senensi par.6. serm.1. de festo Mariæ. Ab Antonino in Chronicis par.1. tit. 3. R. Testimonio Lini, Petri successoris, de passione Petri differentis, his verbis: Ut Petrus voluit egredi portam Civitatis Romæ, vidit sibi Christum occurrere, & adorans eum ait: *Domine quo vadis?* respondit Christus: *Romam venio iterùm crucifigi*. Hujus facti veritas comprobatur monumento marmoreo, quod hodiè adhuc videtur in Ecclesia Sancti Sebastiani extrà muros, in quo Christus, ut supra, alloquens Petrum, pedum suorum sacra vestigia impressit, R. Ex epistola, quam ipse Petrus Romæ scripsit, ubi Romam ænigmaticè Babylonem vocat. Quòd Petrus Romæ fuerit, testantur ejus memoriæ, quæ ibi extant: ejus reliquiæ, de quarum translatione nullibi fit mentio. Sed si Petrus alibi mortuus esset, utique fieret mentio alicubi de translatione ejus reliquiarum; sicut scimus, quando aliorum Apostolorum reliquiæ Romam fuerunt translatæ. Nec valet dicere, quòd ex epistola ad Galatas 2. colligitur factam fuisse conventionem inter Petrum, & Paulum, ut ille prædicaret Judæis, hic verò Gentilibus; ergo solùm Paulum Romam venisse; nam non obstante hac conventione, poterant ubique prædicare, sicut de facto scimus Paulum etiam Judæis prædicasse non solùm Gentilibus; ita etiam Petrus, licèt prædicaverit primò Judæis, deinde Gentilibus, & licèt Paulus in epistolis, quas scripsit ab urbe Roma ad Galatas, & ad Ephes. nullam faciat mentionem de Petro; sicut quòd Lucas in actibus Apostolorum, quæ Romæ scripsit, non afferat Divum Petrum Romæ fuisse, ratio est, quia Paulus scripsit præfatas epistolas, & Lucas acta Apostolorum, tempore quo D. Petrus, pro bono regimine novellæ Ecclesiæ, ab urbe Roma discesserat, ut aliò se conferret ad visitandas gentes de novo conversas ad fidem, ut eas erudiret, & confirmaret in suscepto proposito. Demùm temeritas est negare assertum, in quo sustinendo conveniunt omnes Scriptores, & Carolus Molineus primus fuisse videtur, qui cœpit sentire contra hanc veritatem.

II. CARPOCRAS. Circa initium seculi 2. suas phreneses promulgavit: patria fuit Alexandrinus, Simonis Magi discipulus: Basilidem hæreticum impugnavit, non veritatis gratia, sed ut hæresim Simonis, post Basilidem ferè sopitam, iterùm excitaret: dictus fæx omnium hæreticorum, & fæx totius incontinentiæ. Fuit Carpocrati filius, nomine Epiphanius, paternæ impietatis hæres, qui licèt juvenis, in malitia tamen consumatus, septemdecim annorum decessit. In Cæphalonia, unde ex matre, nomine Alexandra, erat oriundus, tumulatus, divinos ab hæreticis obtinuit honores. Consueverunt ejus discipuli posteriorem auris partem perforare, ut sic ab aliis dignoscerentur: imaginibus Gentilium cultum impendentes, inter eas collocarunt Christi imaginem, quam dicebant à Pilato factam, unde meritò Carpocratianos idololatras esse dixeris. Nec ommittendum quod S. Irenæus adeò horrenda de Carpocratianis se accepisse scribit, ut ad ea credenda, vix induci posset. Carpocratiani, etiam Agnostici dici voluerunt. Renovarunt Adamitæ Carpocratis impudicitias, cujus errores sunt sequentes, quos quædam mulier ex Carpocratis secta, sub Aniceto Papa, Romæ propagavit.

1. Dicebat Christum à Joseph esse natum, & solùm in hoc à cæteris hominibus differre, quòd habuerit animam virtute insignem. R. Et quidem Christum operante Spiritu sancto in utero Mariæ Virginis incarnatum, docet symbolum Apostolorum, Nicænum, & plura alia Concilia huic veritati subscripserunt. Sed apertè ex Scriptura confunditur Carpocras; legimus enim, quòd cum Joseph compererit Mariam concepisse, voluit dimittere eam, & Angelus ei adstitit dicens: *Quod in ea est, de Spiritu sancto est*, adeò clarum est hoc Scripturæ testimonium, ut majoris reprobationis non egeat Carpocratis blasphemia. Convin-

vincitur enim ex omnibus etiam Scripturæ locis ex quibus Mariæ Virginitas manifestatur.

2. Omnia irreligiosa, omnia impudica, licita esse asserebant Carpocratiani. Hinc est, quòd ad cœnam convenientes viri, & mulieres, amoto lumine, turpiter commiscebantur. Reprobatione non indiget tam turpis sensus, quem nulla natio non detestatur.

3. Dicebant Mundum non esse creatum à Deo, sed ab Angelis, unde volebant Deum esse creatorem rerum spiritualium, & Angelos rerum materialium. R. verbo *Arnaldus Brixiensis*.

4. Docebant transmigrationem animarum, donec omnia vitiorum genera complevissent. R. verbo *Albigenses*.

5. Nullum esse peccatum natura sua malum effingebant, sed peccatum omne in sola opinione consistere. R. Quia à pluribus peccatis natura ipsa abhorret, ex quo satis constat, dari aliquas actiones, quas esse malas, & execrandas lumen ipsum naturæ significat: certum est, quòd licèt plura sint mala, quia prohibita, negari tamen non potest, quòd plura sunt prohibita, quia mala; quis enim negat odium Dei esse formalitèr malum? ergo falsum est nullum esse peccatum natura sua malum. Tum quia si peccatum in sola opinione consisteret, ex sola opinione, omnis homo esset bonus, vel malus, quòd nemo cui insit rationis crepusculum, certè audeat asserere.

6. Vetus testamentum rejiciebant. R. verbo *Albanenses*.

7. Negabant resurrectionem mortuorum. R. verbo *Basilidiani*.

8. Negabant infantes contrahere culpam originalem. R verbo *Pelagius*.

IV. CARPONAS unus ex primariis collegis Arii, professione Diaconus, qui ejusdem epistolam ad Alexandrum Episcopum Alexandrinum missam subscripsit, in qua Arii impietas profitebatur; fuit etiam Romam Legatus ad Julium Papam à Gregorio Ariano, Episcopo Alexandrino.

II. CASSIANUS. Julius, Valentini hæresiarchæ discipulus, conspiravit in eamdem sententiam cum Tatiano, damnans nuptias. Princeps fuit hæresis Docitarum, qui docebant Christum corpus sumpsisse phantasticum. Scripsit librum de continentia, ut probaret Tatiani dogma: perperam interpretatus est Genesim, & ad roborandos suos errores, utebatur pseudo euangelio. Vide verbo *Docitæ*.

II. CATA-ASCHINEM Ipso sectæ Montani exordio, ejus asseclæ inter se dividi cœperunt, & unusquisque suo nomine sectam confecit. Sic Æschines sectam instituit, quæ ex ejus nomine, superaddito verbo Græco, *Cata*, dicta est *Cataæschinem*: qui erant ex hac secta, præter errorem Montani, peculiarem habebant blasphemiam.

Dicebant Christum esse Filium, & Patrem. R. ex pluribus Scripturæ locis, ubi Christus Patrem alloquitur, tamquam personam distinctam. Tum quia si Christus esset Filius & Pater, esset generans & genitus, quod impossibile est stante oppositione relativa.

XVI. CATABAPTISTÆ quasi Baptismum oppugnantes, iidem sunt ac Anabaptistæ, qui vel sibi, vel aliis in adultà ætate reiterant Baptismum. Vide *Anabaptistæ*.

III. CATHARISTÆ. Manetis discipuli, aut sectatores, in plures sectas dividebantur; quidam nomen authoris retinentes, dicebantur *Manichæi*, alii *Macharii*, alii verò *Catharistæ*, hoc est *mundatores*, sive *purificatores* à purificationibus quas faciebant, & ii sunt, qui propriè constituunt Catharistarum sectam; cæterùm Cathari dicti sunt etiam alii plures hæretici, ut infrà videbimus, ex quo fit ut ab aliquibus confundantur; hoc enim nomine sunt etiam distincti *Novatiani*, *Albigenses*, *Albanenses*, qui propriè non constituunt Catharorum sectam, licèt hoc nomen assumpserint, quod puritatem significat, quia proprium est vitiis, virtutis nomine se tegere. Igitur de Catharorum secta (quatenùs ab aliis hæreticis, qui etiam Cathari sunt dicti, distinguitur) quoad propria eorum

eorum dogmata hic agimus: Cathari dicti ab aliis *Catharioli*, vel *Catharistæ*, sunt quidam Manichæi, qui ut magis reformati à cæteris Manichæis existimarentur Catharidarum sibi nomen usurparunt, quasi inter omnes Manichæos puriores, ac reformati essent, qui præter Manichæorum insanias, adhuc sequentes profitebantur.

1. Nusquam Christianis, etiam jubente Judice, licere jurare, asserebant. Repr. ex pluribus Conciliis, quæ exigerunt juramenta, ut firmarent inter controvertentes, quos composuerunt, dissidia, sic Constantiense sess. 20. Tum quia constat ex Constantiensi, quòd juramentum validè factum est observandum; qua de re extant Canones; sic in Concilio Toletano 4. Can. 27. declaratur juramentum fidelitatis factum erga Principes esse inviolabiliter observandum. Itidem ex Sac. Scripturis jurare per Deum, tanquam actus Religionis frequenter commendatur. Atqui Christianis maximè commendabiles sunt actus Religionis; ergo &c. ex quo deducitur apertè juramentum non esse illicitum. Insuper sæpè Paulus Deum vocat in Testimonium veritatis, quam prædicabat, ut patet ex Epist. ad Rom. 2. vers. 9. & alibi; ergo &c. Tum quia juramentum ostendit fidem, quàm jurans habet in Deum, tanquam infallibilem rerum omnium cognitorem, ergo est licitum. Esto, quòd ex mala intentione jurantis, sive ex defectu necessitatis, justitiæ, aut veritatis, aliquando sit malum, hoc tamen non efficit, quòd sit malum in se. Ubi ergo ex intentione jurantis, vel alio defectu non vitietur, bonum est juramentum, quod confirmat veritatem; & ex locis Scripturæ, quæ in contrarium adducuntur ab hæreticis, non evincitur prohiberi juramentum, sed perjurium, vel juramentum factum per cælum, ac terram, aut alias creaturas, nam cum jurans veneretur id, per quod jurat tanquam Deum; in solo Dei nomine licet jurare; & ob hanc rationem prohibetur in sacris pag. juramentum per creaturas; nullibi autem prohibetur juramentum per Deum, cum debita cautela factum. Vide verbo *Apostolici*.

2. Nullum hominem posse citrà peccatum vinum bibere effutiebant. Rep. verbo *Encratitæ*.

3. Asserebant nullo pacto ex pane, aqua, & igne confecto posse confici Corpus Christi, eo quod panem creaturam diaboli esse crederent, undè, inquiebant, ut ex pane conficiatur Eucharistia rejicienda est aqua, & apponendum est semen humanum, ut farina purificetur, sitque propria, ac debita materia ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum; quare D. Augustinus propter has ciborum execrandas purificationes, eos non *Catharos*, quod latinè sonat mundos, sed potiùs *Catharistas*, hoc est purificatores vocat, credebant siquidem solùm semen humanum esse mundum, & ipso semine cætera esse purganda. R. Ab ipsa natura, quæ abhorret audire, non modò facere adeò execranda, impura, & sacrilega. Sed & Job hominem dicit de immundo conceptum semine. Præter dictos errores, per quos à Manichæis distinguuntur, omnes Manichæorum hæreses unà simul profitebantur.

III. Cathari. Hoc nomine, quod munditiem significat, voluerunt Novatiani appellari, qui se nunquam lapsos gloriabundi, neque cum lapsis consortium habere patiebantur, candidisque vestibus ornati incedere solebant, ex quo Cathari sunt dicti. Vide *Novatiani*.

XII. Cathari dicti fuerunt Albigenses, alia etiam nomina sortiti, utpotè *Pathareni*, *Publicani*, de quibus suo loco agetur.

XIII. Cathari. Diversi sunt Cathari de quibus hic agimus, ab illis de quibus supra. Sunt autem hi Cathari Valdensium germen; vocantur etiam ab aliquibus *Gazari*; in tres sectas sunt divisi, nempè in Albanenses, Concorrezenses, & Bagnolenses, de quibus suo loco. Vocabantur autem *Cathari* in Germania, *Piphles* in Flandria, & *Tixerantes* in Gallia; discernebantur verò Cathari puri ab Albanensibus, & aliis, in hoc

in hoc, quòd Manichæorum impuritatibus tenaciùs adhærerent.

1. Quatuor tantùm admittebant Sacramenta, nempe manus impositionem, benedictionem panis, Pœnitentiam, & Ordinem. R. verbo *Calvinus*, contra quem probatum est septem esse Sacramenta.

2. Quatuor asserebant esse Ordines, scilicet Episcoporum, filiorum majorum, filiorum minorum, & Diaconatum, reliquos omnes, Christianos vocabant. R. Nam septem esse Ordines constat ex Concilio Carthaginensi 4. in quo omnes Ordinis gradus describuntur, & modus quo illorum ordinatio facienda est, declaratur. Hoc autem Concilium, in quo agitur de ordinatione Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolyti, Exorcistæ, Lectoris, ac Ostiarii, celebratum est cum interventu ducentorum quatuordecim Episcoporum, inter quos erant plures Sancti, & præ cæteris D. Augustinus. Insuper Conc. Trid. sess.23. Can.2. dicit anathema negantibus in Ecclesia esse Ordines majores, & minores supra recensitos; ergo de facto dantur septem Ordines, non quatuor; Tum quia de filiis majoribus, vel minoribus nullibi fit mentio; ergo &c. Ad majorem hujusmodi Catharorum notitiam, non erit abs re consulere, quæ de iisdem scribit Natalis Alexander seculo undecimo.

XVI. Cathari. Anno 1540. nova Catharorum turma apparuit, qui secta erant Anabaptistæ, & inter Antilutheranos apponuntur, tam à Lindano, quàm à Gravina: vocat autem Lindanus hos Catharos etiam *Sanctulos*, quia

1. Sinè peccato se esse gloriabantur, quare recitando orationem Dominicam, omittebant clausulam: *Dimitte nobis debita nostra*. R. ex eo quod legitur *septies in die cadit justus*; Tum quia nemo scit an sit odio, an amore dignus; Tum quia gloriari se esse sinè peccato, est actus vanæ gloriæ, & consequentèr est peccatum. Tum quia majores Sancti se confitebantur peccatores; Tum quia sinè speciali revelatione, nemo scire potest certò se esse in gratia; ergo &c.

2. Infantes, sinè peccato nasci dicebant. R. verbo *Pelagius*.

3. Orationes nihil pendebant. Rep. verbo *Celestius*.

4. In materià Eucharistiæ Luthero adhærebant. R. verbo *Lutherus*.

III. Cataphrygi sic dicti fuerunt, quòd auctores hujus hæresis ex Phrygia ortum habuerint, ejusque sectatores maximè in Phrygia versarentur. Fuit autem primipilus hujus hæresis Montanus. Cathaphrygi igitur, solùm quoad nomen sortitum a Regione, differunt à Montanistis, verbo *Montanus* reprobandi. Porrò Cathaphrygi omnes à Zephirino Papa fuerunt excommunicati, quorum occasione orta est quæstio de iterando Baptismo hæreticorum, eorumque causa rursum tractata, & discussa in Conc. Nicæno. Refert insuper Philastrius, quòd baptizabant mortuos, qui absque Baptismo decessissent.

III. Cathaprocli. Hæc pariter secta fuit Montanistarum, à Proclo propagata, de quo sub nomine *Proclus* fusior notitia dabitur: distinguebantur Cathaprocli à simplicibus Montanistis per sequentes errores.

1. Mentiebantur doctrinam suam, non ab homine, sed à Paracleto, qui descendisset in homines, se accepisse.

2. Jejunia austeriora, instinctu spiritus servanda dicebant. R. verbo *Aeriani*, ubi jejunia ab Ecclesia præcepta servanda esse ostendimus; Tum quia, cum difficile sit rectam habere discretionem proprii spiritus, ideò satiùs est in observantia jejuniorum se accomodare præceptis Ecclesiæ, quàm sequi proprium spiritum, qui aliquando errat; ut sæpè compertum est, nam non semper est spiritus bonus, qui loquitur in nobis, sed aliquando spiritus malus, sub specie boni, tentationibus nos urget. De discretione spirituum consule Cardinal Bona, qui præ cæteris eruditum in hac materia tractatum edidit, ab omnibus commendatissimum. Bonum est jejunare ex devotionis instinctu, sed jejunia ab Ecclesia præcepta, debent jejuniis ex devotio-

votionis instinctu assumptis, præferri. Vide verbo *Aeriani*, *Agapetæ*. Consule etiam librum *de discretione perfectionis* Coloniæ impressum anno 1737. pag. 106. ubi ex professo agitur de modo discernendi bonas inspirationes à falsis.

3. Tempore Martyrii non licere fugam arripere asserebant. R. ex Scriptura: *Cum persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam*; quod confirmatum est exemplo S.Pauli primi Eremitæ, S.Athanasii, & plurium aliorum SS. ut constat ex historiis Ecclesiasticis, quod certè non fecissent tot Sancti, si tempore martyrii non liceret fugam arripere. Martyrium subire utique sanctum est, sicuti probavimus contra Adamitas; sed qui timet se exponere periculo, & potest fugere, licitè hoc facit; non enim Christus præcepit nos ultroneè martyrium subire; nec semper licet se ultrò offerre.

VII. CAZINZARII à nomine Cazus; quod in Armenia crucem significat; dicti sunt Cazinzarii, qui seculo 7. originem habuerunt. Ridiculum planè est, quod de eis refertur. Jejunium statutis diebus servabant, ad deplorabilem memoriam excitandam cujusdam canis, cujus nomen erat *Arzibuti*, sic dicti à suo hæro *Sergio*; qui Sergius fuit Cazariorum pseudo-propheta, & quoties ad suos adibat, Araiburum canem suum, tanquam Prodromum præmittebat. Dicti sunt etiam Cazinzarii *Staurolatræ*, hoc est crucis adoratores, ex Nicæph.l.18.

1. Nullam imaginem, excepta cruce, adorabant. R. verbo *Iconoclastæ*.

2. Duas in Christo admittebant personas. R. verbo *Nestorius*.

XIV. CECCUS. Franciscus Asculanus in Italia, Caroli Ducis Calabriæ Astrologus, damnatus de hæresi ab Inquisitore Florentiæ, crematur Bononiæ, ubi ediderat tractatum in Sphæram, pluribus refertum erroribus; dicitur tamen post damnatum Bononiæ librum, suos abjurasse errores anno 1327. ex Spond.

1. Scripsit in superioribus cælis malignos spiritus generari, qui per incantationes constringi poterant ad mirabilia facienda. R. Quia maligni spiritus sunt Angeli rebelles, à Deo damnati, qui non generantur, sed creati fuerunt sunt puri spiritus, ergo non possunt generari; nam vel generarentur ad invicem, vel à corpore; non à corpore, quia corpus spiritum generare nequit, neque ab invicem, quia purus spiritus non habet potentiam generativam. Quòd non possint constringi per incantationes ad mirabilia facienda, constat Exod.22. Levit. 19. & 20. Deuteron.18. Ezechielis 14. ubi reprobantur à Deo recurrentes ad dæmones, qui sinè Dei permissione nihil agere possunt, & sæpè in his quæ agunt decipiunt homines, qui illis se fidunt, sicut multoties experientia comprobavit.

2. Dicebat stellarum influxibus hominem subdi, & necessitari ab illis ad agendum quæ agit; hinc deducebat Christum incarnatum, conformante se Deo cum stellarum influxu, & ex stellarum influxu evenisse, quòd natus sit pauper, in cruce sit mortuus, & Antichristum ex stellarum influxu nasciturum divitem, & potentem. R. Quia stellæ propter hominem, non homo propter stellas factus est. Tum quia si omnia evenirent ex stellarum influxu, tolleretur Dei providentia, & liberum hominis arbitrium. Hominem esse liberi arbitrii, & non esse fato, & stellis subjectum, probatum est verbo *Bardezanes*. De Christo autem, quòd voluntarie sit passus, constat Joan. 10. vers. 18. *Nemo tollit animam à me. sed ego pono eam à meipso*; ergo etiam voluntariè passus est; sic etiam ex suavi Dei dispositione cætera evenire, abundè probant Theologi, conciliantes Dei providentiam cum libero hominis arbitrio, ubi agitur de actionibus humanis. Circa illa verò, quæ à libero hominis arbitrio non dependent, solum Deum auctorem, provisorem, & dispositorem cognoscendum, satis constat ex eo, quòd omnia debent à primo principio esse, & regulari; sed Deus solus est principium, & causa rerum omnium; ergo omnia in suo esse dependent à Deo.

III. CE-

III. Caecilius tempore Zephirini Papæ vivebat, fama eloquentiæ rethoricæ insignis: religione autem gentilem fuisse probabile est, quantùm liquet ex disputationibus conjectari, quas contra ipsum instituit Minutius Fælix, Romæ insignis Causidicus, à quo tandem convictum fuisse, & in Christum credidisse arbitratur Spondanus in sua Epitome ad annum 209. & hunc Cæcilium eumdem fuisse censet, qui Cyprianum Carthaginensem edocuit. Certum est Cæcilium objecisse Octavio secum disputanti, quòd Christiani in primitiva Ecclesia nullas aras, nulla templa habuerint; sed falsitatis manifestè convincitur, quandoquidem ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ Christianos templa habuisse, sive domos in Ecclesias consecratas, in quibus Sacerdotes vero Deo sacrificium incruentum offerebant, & Eucharistiam distribuebant, constat ex irrefragabili Historicorum, qui omni exceptione majores sunt, testimonio. Quod etiam deducitur ex D. Pauli ep. 1. ad Cor. c. 11. *Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare &c.* Domum S.Pudentianæ Romæ sitam in vico Patritio à S.Pio Papa consecratam fuisse in Ecclesiam, constat ex antiquis monumentis; profitentur, & probant plures Historici; hoc autem contigit circa medium secundi seculi. In dicta Ecclesia S.Pudentianæ asservatur etiam altare super quod S. Petrus Sacra faciebat. De Cæcilio mentionem etiam facit Hieronymus disserens de Scriptoribus Ecclesiasticis ad Minutium. Caterùm Cæcilius, si ex Gentili factus est Christianus, non erat in hoc Catalogo recensendus, sed ratione objectionis factæ, de qua suprà, ut aliqua apponeretur eidem reprobatio, de eodem fuit agendum, cum eandem objectionem successu temporis, ab aliis hæreticis contra Catholicos factam, & ipsius Cæcilii testimonio reprobatam compererim.

V. Caelestius. Sunt, qui asserant Cælestium patria fuisse Britannum. Nobilibus certum est natum parentibus, à natura eunuchum, ardenti, & sublimi spiritu dotatum, unà cum magistro suo Pelagio Romam venit, deinde Africam reversus, Siciliam pertransiit, ubi Presbyter ordinari voluit, ut majorem suis erroribus, quos disseminare meditabatur, adderet auctoritatem; & de facto Presbyter ordinatus, majori cum audacia cœpit, fætido suarum hæresum halitu, Siciliam infectare; unde factum est ut Pelagiani à Cælestio etiam Cælestiani nuncuparentur. Fuit Cælestius primarius Pelagii discipulus; quinimò Pelagii armiger, magister, & ductor totius impietatis, à S. Hieronymo nominatus. Cum fuisset Carthagine judicio Episcopali, scilicet ab Aurelio damnatus, appellavit ad Innocentium Romanum Pontificem: deinde in Concilio Carthaginensi convictus, mox à Zosimo Papa universali decreto anathematizatus, ab Honorio Imperatore cum omnibus suis sectatoribus proscribitur; sed rursum in urbem se inferens, iterùm pellitur à Constantino Imperatore. Nec omittendum quòd Cælestius, ut se ab hæresi excusaret, dixit hæreses à se editas assertiones fuisse quæstionum, non verò hæreses; sed hoc veterrimum fuit Pelagii consilium, qui ut suas pravas opiniones faciliùs introduceret, nec tamen de hæresi damnari posset, ita subdolè agere consuevit, & quasi per quæstiones veritatem inquireret, falsitatem disseminabat. Cælestium Carthagine oppugnavit Paulinus Diaconus Mediolanensis, qui contra eundem disceptans, ab eo quærens, cujus esset doctrina, quam profitebatur, respondit, se à Ruffino Presbytero Aquilejensi didicisse, ex quo factum est Ruffinum Pelagianæ hæresis primipilum, tunc fuisse detectum, qui in suo occultando veneno, summa usus dexteritate, orthodoxus videbatur. Visus autem est Cælestius Romæ in Basilica S.Clementis recantare palinodiam, cum urbem accessisset, causam suam acturus apud Innocentium. Sed quia tergiversationes nunquam destitit quærere Cælestius, studuit etiam processu temporis fallere, sed frustra, ipsum Summum Pontificem Zosimum, Innocen-

centii successorem, à quo licèt auditus, non tamen absolutus fuit, imò tandem damnatus, & jubente Imperatore Constantino, non modò Roma, sed ab Italia proscriptus. Errores Cælestii iidem sunt ac errores Pelagii, eosque recenset D. Augustinus lib. de heresi 88. qui egregiè, rogante Hilario Episcopo Siracusano, Cælestii errores confutavit, & quantùm ex diversis Auctoribus colligere potui sunt sequentes

1. Dicebat Christum Dominum consecutum fuisse Divinitatem in resurrectione, & hoc meritis suæ passionis. R. Quia in Christo ab instanti quo fuit conceptus, fuit facta unio Divinitatis cum humanitate in unitate suppositi; de Cristo enim adhuc in utero Virginis existente dixit Angelus: *Concipies filium, hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur*, sicut vivens inter mortales vocatus fuit; ergo Christus non est consecutus Divinitatem in resurrectione. Tum quia de Christo, ut Deo, pluribi loquitur Scriptura, antequàm pateretur, & resurgeret; ergo &c. Tum quia Verbum est incarnatum in utero Virginis; ergo Christus non est consecutus Divinitatem meritis suæ passionis in resurrectione.

2. Asseruit Adamum fuisse creatum à Deo mortalem, & moriturum, etiamsi non peccasset. Repr. Gen. 2. vers. 17. *In quocunque die comederis, morte morieris*, ex quo evidentèr deducitur Adamum non fuisse mortuum ex prima conditione naturæ, cui immortalitatis privilegium fuerat concessum; sed ex culpæ demerito: hùc spectat, quod legitur Sapient. cap. 12. vers. 24. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum*: sed & Apost. ad Rom. 8. vers. 10. apertè innuit mortem corporalem subire homines propter peccatum: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum*. Insuper in paradiso erat lignum vitæ, de quo quisquis comedisset, non erat moriturus; ergo si Adam perseverasset in paradiso, à quo fuit ejectus propter peccatum, non fuisset mortuus; hinc legitur Genes. 3. vers. 22. *Ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum &c.* Nec valet dicere, quòd Adam adhuc fuisset mortuus ex conditione naturæ; quia mori, & corrumpi absolutam conditionem naturæ, quæ quantùm est de se, semper tendit ad conservationem sui. Cum autem in statu innocentiæ nihil fuerit adversi, quod posset timere homo, quia Deus ita custodisset, ut nec feræ, nec alii casus potuissent illi mortem inferre, evasisset proculdubio immortalis sub cura Dei.

3. Docuit, quòd neque per mortem Adæ omne genus humanum moritur, quia neque per mortem Christi, omne genus humanum resurrexit. R. quoad primum verbo *Pelagius*, ubi ostenditur peccatum Adæ lædere totum genus humanum: quoad secundum verò. R. verbo *Bassus*.

4. Asseruit oblivionem, & ignorantiam, etiam vincibilem, non subjacere peccato, quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed secundùm necessitatem. R. Quia sæpè contingit oblivionem provenire ex parte nostra, quia scilicet debitum examen non adhibemus opportuno tempore circa ea, quæ exercere debemus; in quo casu constat, quòd qui sic dat motivum oblivioni, peccat, dum non agit, quæ agere deberet; & juxtà gravitatem negligentiæ adhibitæ, commensuratur peccatum, sicut etiam gravitas peccati, in tali casu, commensuratur à gravitate præcepti, quòd transgreditur per oblivionem. Sic etiam plures ignorant, quia negligunt discere, quæ adhibita necessaria diligentia, tenentur scire, & scire possent, si vellent, in quo casu ignorantia est vincibilis, & non excusat à peccato, & hi sunt, qui nolunt intelligere, ut benè agant, & de quibus legitur: *Ingnorans ignorabitur*; idem enim est vincibiliter ignorare, ac velle ignorare; ergo sicut imputatur culpæ, si quis velit legem ignorare, ne obediat, ita etiam quando quis vincibilitèr ignorat, quæ scire tenetur, à culpa non excusatur.

5. Dicebat ignorantiam, & difficultatem, sinè quibus nullus homo nascitur, non supplicia esse peccati, sed naturæ primordia. R. Quia Deus creavit homi-

hominem in statu innocentiæ tot tantisque donis gratiæ munitum, ut per eadem facilè, & absque difficultate posset bonum operari; Creaverat siquidem cum justitia originali, quæ reddebat naturam humanam expeditam ad operandum bonum, sed justitiam originalem homo amisit propter peccatum; & ex amissione justitiæ originalis, certum est provenire difficultatem, quam nunc experimur; ergo difficultas, & ignorantia, cum qua homo nascitur, non sunt naturæ primordia, sed supplicia: undè Ecclesiastici 7. legitur: *Deus ab initio fecit hominem rectum*, idest dederat ei scientiam infusam, & Justitiam originalem, cum quibus donis, nullam patiebatur ignorantiam, & difficultatem. Tum quia licèt natura humana quantùm est de se, non exigat illa dona, cum quibus creata fuit ab initio, attamen certum est quòd quantùm est de se, non exigit naturaliter subjacere ignorantiæ, & difficultati in operando; ergo dici nequit quòd ignorantia, & difficultas, cum quibus homo nascitur, sint naturæ primordia, sed quidem peccati supplicia; indebitis enim donis meruit carere, cum iisdem benè uti recusaverit.

6. Juramentum penitùs damnabat. R. verbo *Catharistæ*.

7. Negabat orationem esse bonam, & utilem, vel habere aliquam virtutem. R. Quia Christus, non modò nos monet orare, sed etiam nos docet quomodò debeamus orare, ut constat Luc. 18. *Oportet semper orare*, & in cænaculo, & in horto Christus oravit, & monuit Apostolos ut orarent, quod certè non fecisset, nisi utilitatem orationis cognovisset, quæ sæpè commendatur in sac. pag. sic psalm. 119. vers. 1. *Ad Dominum cum tribularer clamavi, & exaudivit me?* Jacobi epist. Canonica cap. 5. vers. 13. *Tristatur aliquis vestrum? oret? Æquo animo est psallat. Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum*, ex quo textu constat bonum esse orare, non modò pro se, sed etiam pro aliis: item Matt. 21. vers. 22. Luc. 11. vers. 10. orationis efficacia commendatur; & vix est qui in seipso non experiatur quantæ sit utilitatis oratio, ex qua interna pax oritur, mens purificatur. De efficacia orationis de modo orandi cum fructu consulè librum de discretione perfectionis impressum Coloniæ anno 1737. c. 29. Sed in tantùm Cælestius dixit orationem esse inutilem, quia volebat solum arbitrium, sinè gratia valere ad salutem consequendam, circa quòd. R. verbo *Pelagius*. Alios Cælestii errores de quibus mentionem facit D. Augustinus hær. 81. & D. Hieronymus adversus Pelagium verbo *Pelagius* reprobantur.

V. Coelicolæ. Hoc nomine primùm nuncupati fuerunt aliqui Judæi, circa annum 60. eo quòd astra colerent. Sic Hieronymus exponens illa verba ad Colos. 2. *Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione Angelorum*, exponit enim Hieronymus, requisitus super hæc verba; quòd Paulus sugillare voluerit eos, qui erant ex circumcisione, colentes astra Cæli, atque Angelos, qui error est & in posteros propagatus. Cælicolæ siquidem dicti fuerunt quidam hæretici in Theodosiano, & Justiniani Codice proscripti, circa initium seculi quinti, quia colebant cæleste Idolum Carthagine erectum; sed quantùm colligere fas est ex Honorii Imperatoris sanctione, apparet illos dictos esse Cælicolas, qui ex Christiana fide transierunt ad Judaismum: noluerunt autem Judæi nuncupari, sed Cælicolæ, siquidem novam sectam introducere conabantur, quam repressit Honorius Imperator; in qua secta præter Judæorum errores, etiam astrorum cultum profitebantur. R. psal. 101. vers. 26. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli; ipsi peribunt, tu autem permanes*, dein millies in Scriptura sacra reprobantur adorantes, erigentes altaria, & sacrificantes *Militiæ Cæli*, idest astris. Ergo Cæli, & astra non sunt adoranda tanquam Deus, cum sint opus Dei. Vide verbo *Polytchismus*. Quoad legem Judaicam, quam revocabant in usum. Vide verbo *Apollinaris*.

II. Celsus à S. Epiphanio hær. 51. repo-

reponitur inter Philosophos Græcos, qui subversionem Euangelicæ tractationis moliebantur; quare idem Epiphanius scripsit contra hæresim, quæ non suscipit Euangelium, de qua sub hær.51. agit; & vocabatur hæresis *dementium*, & *brutorum*. Celsus itaque secta Epicureus, edidit adversùs Christianam, & Judaicam Religionem commentarium, quod inscripsit: *Veri sermo*, ubi plura ex his, quæ in Euangelio scripta sunt sugillare, ac blasphemiis impetere videtur. Fuit autem egregiè confutatus ab Origene, rogante quodam pio viro, cui nomen erat Ambrosius. Obiiciebat præcipuè Celsus Christianis multitudinem hæresum, quæ erant in Ecclesia; sed satis soluta est objectio à Divo Paulo dicente I. ad Corint. XI. *Oportet & hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*. Permittit Deus Ecclesiam ab hæresibus agitari, cum magno Christianæ veritatis emolumento, quæ inter hæresum nebulas lucidior splendet, & inconcussa triumphat. Cæterum nulla est objectio Celsi dicentis: In Ecclesia plures esse hæreses, cum hæretici non sint intra Ecclesiam; quisquis enim cum Ecclesia non sentit, est extra Ecclesiam; ideò Paulus epist. ad Tim. 3. eumdem monet, ut hæreticum hominem devitet. Tum quia qui vult esse de corpore, debet habere unionem cum corpore, sed hæretici non uniuntur cum corpore Ecclesiæ;ergo &c.Ergo malè obiiciebat Celsus in Ecclesia plures esse hæreses. Calumniabatur etiam Celsus Christianos dicens

Christum non præscivisse quæ passurus erat. R. Luc. 18. *Assumpsit Jesus duodecim, & ait illis, ecce ascendimus Jerosolymam, & consumabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis; tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellaverint, occident eum, & tertia die resurget.* Dicebat etiam Celsus, quòd terræmotus, Christianorum culpà contingerent, cum potiùs eorundem precibus sedatos deberet profiteri.

II. Cenones vocabantur quidam apud Montanistas in dignitate Ecclesiastica ab ipsis constituti, qui erant sub Patriarchis, & præcedebant Episcopos; sed de hac dignitate, in veræ Ecclesiæ Hierarchia nullibi fit mentio. Tum quia Episcopi cum sint Apostolorum successores, nullum supra se agnoscunt, quoad jurisdictionem, nisi solum Pontificem Romanum.

XVI. Censores reponuntur à Gravina inter Antichristianos liberæ fidei, & illi sunt, qui singulis articulis reformatæ religionis suas affigunt censuras, in quibus decernunt quid credendum sit, quid respuendum; ita tamen ut unicuique liberum sit, vel acceptare, vel respuere quid sit credendum; quo admisso unusquisque esset sibi auctor fidei, nec una esset fides.

XVI. Centuriatores illi sunt, qui quidquid in Centuriis legitur, pro puro Dei verbo recipiendum putant. Centuriæ autem compositæ fuerunt à ministris Magdeburgensibus, quorum Princeps erat Illyricus, qui historiam suam Ecclesiasticam, sub Centuriarum nomine edere cœpit, & eamdem Elisabethæ Reginæ Angliæ dicavit. Scopus hujus operis fuit Augustanam confessionem reddere probabilem, ostendendo mediis Centuriis, continentibus historiam Ecclesiasticam, sed pluribus refertam mendaciis, primitivam Ecclesiam in suis dogmatibus conformem fuisse confessioni Augustanæ. Cum tamen reperirent Centuriatores facilè antiquorum Patrum testimonio convinci mendacii, & falsa esse, atque aliena à vera fide, quæ in confessione Augustana profitebantur, eludebant testimonia Patrum contra illos adducta, dicendo sanctorum Patruum codices fuisse corruptos. Sed nullam esse hanc responsionem, constat ex scripturis originalibus aliquorum Patrum, quæ usque in præsens asservantur, cum quibus facta collatione, facilè est convincere mendacii Centuriatores, ideoque cum repererint hoc modo non posse effugere vim legitimarum auctoritatum sanctorum Patrum, quæ contra illos adducuntur, ut aliâ viâ eluderent diffi-

culta-

cultatis pondus, ausi sunt asserere SS.PP. in his adstruendis quæ contraria sunt confessioni Augustanæ lapsos fuisse, & hoc quantùm spectat ad SS. PP. qui à Christo nato usque ad 5. seculum inclusivè scripsere; nam illos, qui posteriori tempore fuerunt, penitùs rejiciunt. Illyrico in Centuriarum continuatione, præcipuæ adjutores fuerunt Jo: Wigandus Mansphelдiensis, Matthæus Judex, & Basilius Faber, qui subscripti reperiuntur in Epistola dedicatoria. Continentur Centuriæ in tredecim voluminibus, ad quas perficiendas prædicti ministri Magdeburgenses socios laboris, sive potiùs impietatis habuerunt Nicolaum Gallum Saxonem, Scelestinum Hutevum, Gasparem Nidrupium Consiliarium Cæsareum, & Joannem Baptistam Hiencelium Augustanum. Confutavit Centurias Alanus Coppus Anglus. Fuerunt autem Centuriæ in tredecim libros divisæ; cum enim compactæ sint ad formam historiæ Ecclesiasticæ, usque ad 13. seculum inclusivè deductæ, unusquisque liber uni seculo correspondet; unaquæque Centuria in sexdecim capita est partita; in quorum primo habetur summarium eorum omnium, quæ in libro differuntur; Secundum agit de loco, & extensione Ecclesiæ. Tertium de Persecutionibus. Quartum de Doctrina. Quintum de Hæresibus. Sextum de Cæremoniis, & ritibus. Septimum de Regimine. Octavum de Schismatibus. Nonum de Conciliis. Decimum de Vitis conspicuorum Prælatorum. Undecimum de Hæreticis. Duodecimum de Martyribus. Decimumtertium de Miraculis. Decimumquartum de spectantibus ad Judæos. Decimumquintum de Religionibus ab Ecclesia separatis. Decimumsextum de Mutatione, ac politicà regnorum. Hoc opus nonnisi mutilata, depravata, ac mendax historia potest nuncupari, utpotè ab hæreticis compactum contra Romanam Ecclesiam, ad stabiliendam prætensam reformatam Synagogam; in qua tantùm abest, quòd sit una Religio, & consensus in articulis credendis, ut fermè quot capita, tot sint sententiæ: Quot enim sunt civitates hæresi contaminatæ in Germania, tot scimus esse diversas confessionis formulas, de quibus sub proprio nomine agemus; quæ diversæ confessionis formulæ toties confectæ, defectæ, & refectæ sunt, ut hoc sit validius argumentum, ad probandam insubsistentiam Religionis prætensæ reformatæ, & ad constituendam infallibilitatem fidei, quam Ecclesia Catholica Romana profitetur; quandoquidem à prædicatione Christi, usque ad hoc momentum, semper una, & eadem fides inconcussa, apud Orthodoxos profitetur.

II. Cephalenii. Populi sunt, qui Epiphanem in urbe Cephalenia sepultum, Carpocratis filium, tanquam Deum adorabant; recurrente nova luna ipsi sacrificantes. Epiphanes licèt junior decesserit, in multa tamen malitià consumatus, & in paternà hæresi sustinendà pertinacissimus fuit. Cephalenios, Carpocratianos errores professos esse probabile est, præter quos.

Dicebant uxores debere esse communes. R. verbo *Adamitæ*.

II. Cerdon fuit tempore Antonini Pii Magister Marcionis, & Simonis discipulus: à Syria digressus, Romam profectus, sub Hyginio Papa cœpit docere errores, quos jam in Syria promulgaverat. Sæpè, sed fictè pœnitens, de resipiscentia dedit indicia; ideò priùsquàm Romà discederet, sub Hyginio Papa abjuravit: sed vix ab urbe secesserat, cum iterùm ad impietatem accessit. Romam secundò reversus sub Aniceto Papa, pro sui animi inconstantià, non religionis zelo, iterùm palinodiam recantat; post quæ pertinacior factus, non destitit promulgare suos errores. Strenuè pugnavit contra hunc hæreticum S. Apollonius Corinthiorum Episcopus, & in Orientali Synodo eum damnavit.

1. Duo introduxit principia, unum dicens esse Deum Patrem Christi, non cognitum Prophetis, aliud esse Deum universi effectorem, & Legislatorem, hunc justum, & severum, illum mitem, & bonum prædicabat. R. ex Evangelio

gelio Joannis, in quo unus creator omnium asseritur. Ex Symbolo Nicæno, ubi Deus Pater Jesu Christi, omnipotens creator cæli, & terræ confitetur. Convincitur ex principiis bonæ philosophiæ, quæ omnia necessariò reducit ad unum principium, propter implicantias, quæ deteguntur, admissis duobus principiis. Fusiùs reprobatur verbo *Manes*.

2. Dixit Christum veram carnem non assumpsisse, sed solùm apparentèr, & omnia phantasticè fecisse. R. verbo *Albanenses*, & *Agareni*.

3. Resurrectionem animæ concedit, negans resurrectionem corporum. R. verbo *Basilidiani*.

4. Testamentum vetus repudiat, utpotè à Moyse, & Prophetis traditum, & tanquam à Deo alienum. R. Quia Deus ipse, se locutum fuisse per Moysen ad populum, & per os Sanctorum, & Prophetarum, testatur in sacris paginis; neque esse potest à Deo alienum, quod Deus ipse promulgari præcepit. Vide verbo *Albanenses*.

5. Solùm Euangelium Lucæ, nec tamen totum recipit, reliquum Scripturæ repudiat. R. verbo *Albanenses*.

6. Dicebat Christum descendisse è cælo ab ignoto Patre, ut everteret imperium ac tyrannidem, quam exercebat conditor mundi. R. nam Christi Patrem non esse ignotum comprobant, quæ Christus ipse de suo Patre docuit Apostolos, cum ipsis per sæpè de Patre æterno sermone instituto, quem Deum esse novit Christus; noverunt illi, quibus ipse revelavit, & per quos universali Ecclesiæ facta est revelatio. Confitemur itaque Filium Dei unigenitum descendisse de cælo à Deo, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, quem mundi hujus conditorem esse scimus, & credimus, & consequentèr nullum Imperium tyrannicum exercuisse, imò in solà misericordià, & gratiarum abundantià, mundum gubernari à Deo quotidiè experimur.

I. Cerinthus Simonis magi discipulus, prædicationi suæ initium dedit Antiochiæ in Syria; fuit circumcisus, & ex ipsà circumcisione occasionem desumpsit excitandi turbas contra Orthodoxos; unus ex illis est, qui restiterunt S. Petro, eo quòd baptizasset Cornelium. Insuper inter illos connumeratur, qui turbationem operati sunt, quando D. Jacobus scripsit in Antiochia his verbis: *Novimus quosdam ad vos venisse, ac turbasse vos sermonibus, quos non narravimus*. Cerinthus ille est, qui seditionem excitavit Jerosolymis, quando Paulus rediit cum Tito. Magna fuit inter Cerinthum, & Ebionem necessitudo, ideò cum ambo semel in balneo existere, S. Joann. Euangelista compertum habuisset, statim è balneo tanquam ab eorum impietate contaminato, egredi voluit. Cum mortuo Domitiano, S. Joannes ab Urbe Ephesina reversus esset Jerosolymam, exorantibus Christifidelibus suum scripsit Euangelium, ad convellendos errores Cerinthi, qui Redemptoris Divinitatem negabat, tùm Antiochiæ, cum Jerosolymis dissidiis excitatis, eo quòd circumcisionis necessitatem sustinere contenderet. Aliqui ex Cerinthianis, referente S. Epiphanio, resurrectionem negantes, etiam Christum nondùm resurrexisse effutiebant. Philastrius asserit Cerinthianos Judam in honore habuisse, & inimicos illorum se probasse, qui sustinebant martyrium. Apocalypsim scripsit Cerinthus, quàm cum Apocalypsi Joannis quidam volueruot confundere. Somniatæ revelationes, quas Cerinthus in sua scripserat Apocalypsi, unicum erant fundamentum errorum, quos propugnabant ejus sectatores; tandem in ætate decrepita obiit, cum docuisset.

1. Hominem posse salvari sinè Baptismo: insuper pro defuncto sinè Baptismo vivum baptizans, voluit sufficere in tali casu Baptismum à vivo vice defuncti susceptum. R. verbo *Bucerus*. Tanta autem stultitia est vivum pro defuncto baptizare, quanta esset medicinam vivo, ut defunctus resurgeret, exhibere. Hujus erroris meminit S. Paulus 1. Cor. 15. 29. redarguens ad hominem eosdem resurrectionem negantes.

2. Ma-

2. Mariæ Virginitatem oppugnavit. R. verbo *Antimariani*.

3. Unum quidem esse Deum universorum, non tamen eundem esse conditorem mundi, sed ab incognitis potestatibus mundum fuisse conditum asserebat. R. ex Gen. cap. 1. ex Euang. Joann. ex Symbolo Nicæno, & Apostolorum. Tum quia si Deus non esset conditor mundi, neque unus esset Deus universorum; conditor enim mundi necessariò Deus est, cum solus Deus possit creare; sicut contra Arnaldum Brixiensem ostendimus.

4. Dixit Christum in Jesum jam adultum descendisse, in cujus virtute Jesus operatus est miracula, & quando Jesus est passus, Jesum in terra remansisse; Christum autem ascendisse in cælum, undè Christum facit alium à Jesu. R. verbo *Nestorius*. Item in Euangelio Matth. legitur: *Jesu filii David &c. Paries Filium, & vocabis Jesum*, & de eodem *Filius Altissimi vocabitur*. Ex quibus verbis evincitur Christum non esse alium à Jesu. Item legitur: *Liber generationis Jesu Christi*; sed si Christus esset alius à Jesu, Euangelista non dixisset *Liber generationis Jesu Christi*, sed solùm *generationis Jesu*; Demum ex S. Joanne cap. 20. *Ut credatis quoniam Jesus est Christus Filius Dei*.

5. Somniavit Regnum Christi futurum post judicium universale in oblectamentis venereis, & ventris. R. ex ipso Christo dicente: *Regnum meum non est de hoc mundo*. Matt. 22. *In resurrectione, neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei*; Tum quia Christus semper redarguit oblectamenta carnis, ergo in his oblectamentis non potest Regnum Christi constitui. Tum quia Christus promisit Apostolis se iturum parare Regnum in cælo; ergo &c. Vide verbo *Chiliastæ*.

6. Christum non esse Deum, sed purum hominem pronunciavit. R. Luc. cap. 1. *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur*; *quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei*; Insuper Magi Christum, non ut purum hominem, sed etiam ut Deum adoraverunt. Tum quia Euangelium à D. Paulo vocatur ad Roman. 1. vers. 1. *Euangelium Dei*; Joannis cap. 10. vers. 3. *Ego, & Pater unum sumus*, ergo Christus qui est unum cum Patre, non potest esse purus homo, sed Deus homo: siquidem quà Deus, est unum cum Patre; Tum quia Christus instituit Sacramenta, hæc à Divo Paulo, prima ad Cor. cap. 4. vers. 1. vocantur mysteria Dei, ergo Christus est Deus. Nec valet dicere Messiam in sac. pag. promitti ut purum hominem; nam sacræ paginæ aliquando loquuntur de Christo ut Deo: aliquando de Christo ut homine: aliquando de Christo: ut Deo, & homine; ideò ex eo quod alicubi sac. pag. loquantur solùm de Christo ut homine, non potest inferri, quòd Christus non sit Deus. Vide verbo *Artemon*, *Budneitæ*.

7. Asseruit legem Mosaycam cum Euangelio fore servandam, ut salutem consequamur; ideò circumcisionem, æquè ac Baptismum, necessariam esse dicebat. R. verbo *Ærarius*. Tum quia si lex vetus, unà simul cum nova foret servanda ad salutem, gravior esset hominum conditio post Incarnationem, quàm ante, sed post Incarnationem homines vivunt in lege Gratiæ, quæ respectivè ad legem Mosayeam, dicitur jugum leve, & onus suave; ergo lex vetus quoad legalia non debet ampliùs servari, undè Apost. ad Heb. cap. 7. vers. 12. habet: *Translato enim Sacerdotio, necessè est ut legis translatio fiat*; & ad Galatas 5. *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*.

8. Sustinuit errorem Millenariorum, idest solùm mille annis electos futuros gloriosos, & hanc gloriam, & gaudium reponebat in oblectamentis carnis. R. ex his quæ supra dicta sunt in reprobatione quinti erroris; Item regnum Dei in sac. pag. dicitur æternum, Matth. 24. legitur Christum vocaturum electos, ut possideant regnum paratum à constitutione mundi, *& ibunt in vitam æternam*. Definitum est ab Ecclesia, *cujus regni non erit finis*, ergo falsum est electorum gaudium, solùm duraturum mille annis, &re-

& regnum paratum Electis, consistere in oblectamentis carnis. Diversus est autem error Cærinthi, ab eo, de quo agemus verbo *Millenarii*.

9. Rejecit plures Scripturæ libros, & maximè Epistolas D. Pauli, & Genealogiam, quæ continetur in Euangelio Matt. R. verbo *Albanenses*.

10. Petro, & Apostolis, hoc est Papæ, & Episcopis, dixit fore resistendum. R. verbo *Accefali*.

VI. Chavarigtes. *Charazi* lingua Arabica, idem significat ac *rebellis*, ex hoc itaque nomine, quod in plurali dicitur *Chavarigtes*, dicti sunt aliqui hæretici, secta Mahometani, qui.

1. Negant Deum aliquando misisse Prophetam, qui esset infallibilis, & auctoritatem haberet inter homines condendi novam legem: quòd si necessè aliquandò erit mittere Prophetas, hoc munere, dicebant, posse fungi quemcumque hominem justum, & fidelem. R. quia *Prophetia est Divina revelatio alicui homini facta, rerum eventus immobili veritate denuncians*, sed plures fuerunt, qui denunciarunt immobili veritate ventura, quæ ipsis fuerunt Divinitùs revelata, ut constat ex Scripturà, ubi legimus Prophetias factas de venturo Messia, de Virgine nascituro tali tempore, tali loco &c. ergo de facto Deus misit Prophetas, qui fuerunt infallibiles; quod negare non poterit, nisi qui universam Scripturarum seriem, velit rejicere. Tum quia non implicat Deum alicui revelare ventura, & hunc revelata exprimere; ergo nulla est implicantia quòd Deus possit mittere Prophetas. Verum autem est, quod solus Deus potest esse legifer noster; potest tamen per Prophetas legem suam promulgare; sicut fecit per Moysen in lege scriptà; & tandem per seipsum in carne assumpta, voluit explicare legem Gratiæ: est autem falsum, quòd omnis homo justus possit esse Propheta, nam cum Prophetia sit donum gratis datum, potest homo sanctus esse, & non habere spiritum Prophetiæ; quòd si sufficeret justitia, & sanctitas ad habendum spiritum Propheticum, omnis qui esset in gratia, deberet prophetare. Cæterùm Chavarigtes Mahometo adhærentes, necessè est, ut aut magistrum destruant, aut Prophetas admittant, quippè qui, licèt perperam, Mahometem Prophetam fuisse gloriantur. Vide Morer. in dict.

III. Chiliastæ *Chille* est vox græca, quæ latinè significat *mille*; ex errore itaque, quem profitebantur, dicti sunt Chiliastæ, qui in loco quodam Ægypti *Arsenoites* nuncupato, cœperunt disseminare sequentem ineptiam, dicentes Christum post diem judicii mille annis cum Beatis in hoc mundo temporalitèr regnaturum, constituentes beatitudinem in deliciis corporis, qui itaque hunc profitebantur errorem, non modò *Chiliastæ*, sed etiam *Millenarii* sunt dicti. Advertendum tamen, hos Chiliastas, sive Millenarios confundendos non esse cum Millenariis, de quibus sub tali nomine agemus, diversus siquidem error est Millenariorum, de quibus infra acturi, ab errore præsentium Chiliastarum, de quibus hic disserimus: Porrò Millenarii, de quibus verbo *Millenarii* sermo instituitur, quorum auctor creditur Papias Hieropolytanus, non constituebant Christi regnum in deliciis corporalibus, sed dicebant animas justas, non introducendas ad Dei visionem, nisi post resurrectionem universalem, quando simul cum corpore glorificabuntur, & hæc necessariò erat præmittenda notitia, ut discernerentur Millenarii, de quibus infra, ab illis de quibus hic agimus, quorum primipilus creditur Cerinthus deindè quidam Episcopus Ægyptius nomine *Nepos*, postremò hujus hæreticalis doctrinæ princeps fuit *Coracion*. Hanc hæresim confutavit egregiè Dionysius Episcopus Alexandrinus, qui triduò contra Millenarios disputans, eosdem cum eorum principe ad sanum Ecclesiæ sensum restituit. R. igitur Chiliastæ circa hoc quod dicebant, regnum Christi cum Beatis futurum mille annis in hoc mundo in deliciis corporalibus, tum ex his quæ dicta sunt verbo *Cerinthus*: tum quia re-

regnum Christi erit æternum, legitur enim in Symbolo: *Cujus regni non erit finis*. Credimus insuper vitam æternam, ergo regnum Christi non erit millenarium. Tum quia pœna est æterna, ergo præmium debet esse æternum, non millenarium. Non autem potest Christi regnum consistere in deliciis corporalibus hujus mundi, quia Christus dixit quod Beati regnaturi erunt cum ipso, ubi ipse est; *Volo Pater, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus*, sed Christus est in cælis, ubi sedet ad dexteram Patris, ergo cum Christo in cælo regnaturi sunt Beati. Tum quia Apostolus ad Rom. 14. ait, quòd *Regnum Dei non est esca, & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto*, ergo non potest consistere in deliciis corporalibus. Tum quia Christus Matth. 26. promittit electis vitam æternam, sed vita æterna non habetur in hoc mundo. Nec quia alicubi Christus invitat Beatos ad cœnam, deducendum est Regnum Christi consistere in deliciis corporalibus, nam ibi Christus metaphoricè locutus est, sicut ipse metaphoricè vocatur agnus, ideò ad cœnam agni dicit invitandos esse Beatos. Quod autem legitur Apocalypseos 20. vers. 4. *& regnaverunt cum Christo mille annis*, non probat regnum Christi futurum millenarium, nam *mille* in sac. Script. sæpè accipitur pro numero indefinito, idem itaque est mille annis, ac in æternum.

2. Dixerunt resurrectionem hominum non futuram pro eodem tempore, sed pro diversis, ac distinctis temporibus homines resurrecturos, ita ut primùm resurrecturi sint Electi, & postquàm ipsi regnaverint mille annis, sint resurrecturi & cæteri omnes. R. ex Scriptura Matth. cap. 25. vers. 31. *Cum venerit filius hominis in majestate sua, congregabuntur ante eum omnes gentes*, ergò si omnes debent congregari in universali judiciò, omnes simul resurgent, non autem fiet primùm resurrectio Justorum, deindè peccatorum: quòd fortiùs suadetur etiam ex illis verbis, quæ rursùs leguntur loco mox citato: *Separabit eos ad invicem, sicut Pastor segregat oves ab hædis, & statuet oves quidem à dextris, hædos autem à sinistris*, ergò si Deus separabit Justos à peccatoribus in extremo judicio, tam justi, quàm peccatores, ab invicem discernendi resurgent. Tum quia sicut in judicio universali Deus vult præmiare merita, æquum est ut simul, & semel castiget demerita. Tum quia scimus Christum dicturum Justis in illa die: *Venite Benedicti*, & reprobis: *Ite maledicti in ignem æternum*, ergò jam Electi, quàm Reprobi comparebunt, & resurgent simul. Demùm prima ad Cor. cap. 15. vers. 51. & 52. *Omnes quidem resurgemus: In momento, in ictu oculi*, nec valet dicere in Apoc. cap. 20. vers. 4. mentionem fieri de duabus resurrectionibus, nam Apostolus ibi loquitur de resurrectione animæ post mortem, quæ, si piè homo moritur, statim ascendit ad gloriam, vel post expiatas in purgatorio sordes transfertur ad cælum, qui ascensus utique est quædam species resurrectionis, & post hanc resurrectionem, quam S. Apostolus vocat primam, regnabunt sic resurgentes in Christo mille annis, idest usque ad diem Judicii, & tunc unientur Animæ cum corporibus, & iterùm resurgent: & hæc secunda est resurrectio, de quà sermonem habet idem Apostolus: ex quo dicendi modo nihil potest inferri in favorem Chiliastarum ut patet; non enim dicit S. Apostolus quòd primò resurgent Justi, & post mille annos resurrecturi sint reprobi, ut volunt Chiliastæ; sed dicit animam primò resurrecturam post mortem, quandoquidem resurget anima justi ad gloriam, injusti verò, morietur ad pœnam ipsi debitam, deindè in die Judicii, unà cum corpore, omnes animæ resurgent, & hæc erit resurrectio universalis, à qua nemo excipitur.

IV. Chrestologi dicebantur illi, qui cum benè loquerentur, malè agebant, de his mentionem facit Baron.

XVI. Christianus Francus sectà Lutheranus, qui vixit circa medium seculi 16. lib. contra Trinitatem Cracoviæ edito,

edito, Trinitatem Personarum adorare, dicit esse idem, ac adorare multitudinem Deorum. R. Joan.5.7. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*. In Trinitate itaque Personarum, unitatem essentiæ Divinæ adoramus, non autem multiplicitatem Deorum. Item ex liturgia Jacobi; constat in Trinitate nos unum Deum adorare, ibi enim sic legitur: *Semper, & perpetuò glorificemus te solum viventem, & verum Deum nostrum, sanctam, & consubstantialem Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum*.

2. In eodem libro contra Trinitatem, negat Filium in Divinis esse ab æterno. R. verbo *Arius*, *Agelanes*, *Anomei*, *Assuritani*, *Accaciani*, *Achillas*.

3. In eodem libro negat dari tertiam personam in Divinis, nempè Spiritum sanctum, & hunc esse Deum, & à Patre, Filioque procedere. R. verbo *Airas*, *Duitæ*.

XVI. CHRISTIANUS RODINGUS secta Calvinista, qui vixit post medium seculi 16. invehitur contra Beatissimam Virginem, negat in cælo pro nobis orare, apud Filium patrocinari, rectè à nobis invocari. R. ex liturgia D. Petri Apostoli, ex qua constat Mariam Virginem, statim in cælo assumptam, fuisse etiam ab Apostolis, & à Christifidelibus invocatam, ut ab omnibus malis, ejus intercessionibus liberarentur. Item, idem constat ex liturgia D. Jacobi Apostoli. Vide verbo *Beza*, *Lutherus*.

XVI. CHRISTIFAMILIA, alio nomine dicta *Familia amoris*, institutorem habuit anno 1579. Hermanum Nicolai. Sequitur Pelagianismum; alias rejiciendum: negat Christum esse hominem. Repr. ex Euangelio, ubi Christus se nominat *Filium hominis*. Insuper ex Christi operationibus, Christum fuisse hominem comprobatur; habet corpus, quod de facto tradidit crucifigendum, quod palparunt Apostoli, habet animam, ut ipse protestatur Jo.10. v. 17. *Ego pono animam meam*; ergo verè est homo. Vide verbo *Albanenses*, *Anglus innominatus*.

VI. CHRISTOLITAE. Ex eorum hæresi sortiti sunt hoc nomen, qui sexto currente seculo somniarunt Christum apud inferos corpus, & animam reliquisse, & sola Divinitate cælos ascendisse. R. ex Scriptura in psal. 15. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Tum quia Verbum, quod semel assumpsit nunquam dimisit; ergo si Divinitate ascendit in cælum, etiam corpore, & anima. Tum quia Christi corpus, & animam non remansisse in inferno, constat ex testimonio Scripturæ, pluribi asserentis Christum resurrexisse à mortuis, & post resurrectionem sæpè in corpore redivivum apparuisse discipulis, quibus videntibus elevatus est, & ascendit in cælum; ergo non ascendit sola Divinitate, quia Divinitas nequit videri oculo corporeo; ergo si videntibus discipulis Christus ascendit in cælum, non ascendit sola Divinitate, sed corpore, & anima. Vide verbo *Augustiniani*. De Christolitis agit Sanctus Damascenus.

XVI. CHRISTINI reponuntur à Gravina inter Antichristianos Semiatheos. Refert Resciua sic esse dictos quosdam viros anno 1593. Londini, sequaces cujusdam Lutherani, qui se Christum esse jactabat, & Apostolos suos destinabat ad prædicandam novam fidem, qui omnes, Hattovi Cancellarii Regis Anglicani opera, fuerunt supplicio addicti, quòd pertinaciter subierunt, asserentes Euangelium esse suam prædicationem. Sunt qui referunt hos dæmonis Apostolos, jam propè centum mille homines sequaces habuisse in Anglia.

V. CHRISIPPUS erat eunuchus, Theodosii Junioris cubiculi præfectus, & multæ auctoritatis in aula, Flaviano Episcopo Constantinopolitano infensus, suscepit defensionem Euthichetis: tandem abdicatus fuit, & occisus.

VIII. CHRISTIANOCATHEGORICI. Notat S.Joannes Damascenus sub hoc nomine quosdam hæreticos, qui octavo currente seculo imagines sacras, Christi, B. V., Angelorum, & Sanctorum, numinis

minis ad instar adorabant: dicti etiam Christianorum accusatores, quia Christiani in cultu imaginum cum ipsis non consentiebant. R. Quia imagines sacræ, licèt sint adorandæ, non tamen adorantur per se præcisè, sed respectivè ad id, quod representant; per se enim absolutè considerata, sunt opera manuum hominum; neque prout tales sunt adorandæ, sed ipsis exhibemus venerationem, prout excitant ad cultum Dei, & Sanctorum, non tanquam idola. In imaginibus non adoratur à fidelibus *medium quod*, hoc enim est adorare sculptile, quòd Deus prohibuit Exod. 20. verf.4. sed imagines sunt *medium quo* fideles, adorant Deum, & Sanctos ejus; ideòque non debent adorari tanquam numen, sed prout representant Deum, & Sanctos ejus, quibus debetur honor, & in quorum honorem exponuntur.

XVI. Christodini. Inter illos Antichristianos à Gravina reponuntur, qui præcipua gratiæ oppugnant mysteria, Auctorem habuerunt Martinum Marloratum anno 1560. qui Salvatorem nostrum, non Jesum, sed Christum tantummodò appellandum fore dicebat, ideò ejus sequaces dicti sunt Christodini. R. Luc.1. *Pariet filium, & vocabis nomen ejus Jesum*. Ex Symbolo, *Et in Jesum Christum filium ejus*. Vide *Cerinthus*.

XVII. Christophorus Sandius nobilis Polonus, Electoris Brandeburgensis Consiliarius, à cujus aula ejectus, quia Arianismum profitebatur, vixit circa medium seculi xvii. filium habuit, cui cum nomine etiam hæresis communis fuit, ut Arii hæresim sustineret librum edidit, cui titulus: *Nucleus Historiæ Ecclesiasticæ*, qui liber potiùs Arianorum historiam complectitur. Collegit insuper plures auctoritates Scripturæ, per quas Arii hæresim comprobari (sed ab ipso perperàm intellectas) opinabatur. Auctor fuit Bibliothecæ Antitrinitariorum, in qua Socinianorum opera expendit, decessit Amstelodami, ætatis suæ annorum 36. currente anno 1680.

XVI. Christophorus Scaplerus sectа Lutheranus, unus ex primariis ducibus belli rusticorum, quorum exercitum ad centum millia congregaverat Montzerus, ferro, & igne omnia sibi obvia devastans, de quo actum verbo *Anabaptistæ*, & iterùm agetur verbo *Montzerius*. Scripsit 12. articulos de Christiana libertate, in quibus docebat nullam Magistratibus præstandam obedientiam, & solvendum tributum. R. Exemplo Christi dicentis: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*. Tum quia Magistratus à Deo constituti sunt, dicente Scriptura: *Per me Reges regnant*, ergo ipsis præstanda est obedientia, undè Apostolus: *Obedite præpositis vestris*. Tum quia si subditus non tenetur obedire Magistratui, non posset exerceri justitia, ad quam ministrandam Deus Magistratus constituit. Vide verbo *Anabaptistæ*.

IV. Circumcelliones. Sub Donato hæresiarca orta est Circumcellionum secta, Donatistarum germen; vocabantur etiam Circelliones à Donato *Agonistici*, *duces Sanctorum*, quoniam jactabant se esse publicæ justitiæ vindices; sed potiùs justitiæ subversores dicendi, quantùm liquet ex eorum operibus argumentari: Cum itaque Circumcelliones ubique vagarentur in Africa, ex qua discursione nomen sortiti sunt; nulli licuit, iisdem debacchantibus, in propriis possessionibus securum esse. Illorum judicio mutabatur conditio servi in dominum, & domini in servum; creditores per minas gratis dimittere debitoribus obstringebant, itaut nullus creditor tunc temporis habuerit libertatem exigendi. Sancto Augustino sæpè molliti sunt necem. Quàm acritèr sævierint in Christianos refert idem S. Doctor contra litteras Pettiliani, & epist. 68. suamque persecutionem in Ecclesiam iterum inflammarunt anno 410. 412. quando Macrobius Episcopus Donatista, Circumcellionum stipatus exercitu, quot, quantaque mala fecerit deplorat S. Augustinus ep.127. & 128. Dicti sunt etiam *Scotopitæ*. Primi Circumcellionum duces fuerunt *Maxidus*, & *Faserus*. Unusquisque ex hac secta baculum deferebat, quod Israelitarum

Repr. verbo *Ærarius*, *Apollinaris*, & *Cerinthus*.

XVI. Clancularii progeniti sunt decimo sexto currente seculo, dicti sunt etiam: *Fratres hortenses*, quia in hortis conveniunt, & *Clancularii* quia secretè docent. Illorum sequaces sensum circa Scripturam amplectuntur, quem ex veteri testamento Pater familias, & è novo Mater familias exponunt. Ex Anabaptistis progeniti, à Lindano inter Antilutheranos reponuntur; à Staphilo inter Anabaptistas Lutheranos, quorum pater fuit *Bernardus Rotmannus*; homo laicus, & indoctus, à quo plures Anabaptistarum sectæ prodierunt, quas in sua tabula analitica recenset Staphilus. Clancularii, cum in hortis, vel in abditis doceant, Ecclesias non introeunt: multùm dilatata est hæc secta, ex qua plures ità vivunt secreti, ut *Occulti occultorum* nominentur.

Dicunt sufficere unicuique scire quid credat, non autem teneri, si interrogetur, respondere quid credat, imò posse contrarium asserere; ideò si Clancularii interrogentur an sint Anabaptistæ, tales se esse liberè negant, cum de facto Anabaptistis adhæreant. R. Nam si sufficeret ad fidem habendam, scire unicuique quid intra se credat, tot essent fides, quot diversi diversa crederent, sed una tantùm est fides, quam ubi se exhibeat opportunitas, debemus etiam palàm profiteri, non autem negare possumus; hinc Christus: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo*; & D. Paulus: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Tum quia cum fides, quantùm est de se, sit invisibilis, manifestatur solùm per professionem externam, quam unusquisque tenetur emittere, cum urget occasio. Est autem Ecclesia Christi congregatio visibilis, à qua qui docet licitum esse occultare fidem, manifestè recedit. Demum non licet mentiri, ergo neque aliud intus credere, aliud exteriùs profiteri.

IX. Claudius Taurinensis Hagiomacus, natione Hispanus, alii dicunt fuisse Anglum, & certè cognomen Hispanum non est, fuit discipulus Felicis Urgelitani, in Conc. Francfordiensi damnati. Hunc Claudium cum Lodovicus Imperator, in cujus aula aliquandiù presbyter vixerat orthodoxum crederet, ad Episcopatum Taurinensem promoveri curavit, ut ibi evangelicam explanaret doctrinam; cum autem non esset orthodoxus, sed Arii, Nestorii, Vigilantii, & Eustatii erroribus imbutus, propinavit pro medicina venenum. Scripsit Apologeticum adversus Theodomirum Abbatem, qui Claudium ad sanam frugem reducere studuerat, eundemque confutavit Jonas Aurelianensis Episcopus in tribus libris, quos eruditè adversus Claudium conscripsit, qui præter Nestorii errores, referente Baronio.

1. Nullum adorationis signum S.Cruci deferendum esse prædicabat. Repr. Quia in ara Crucis Christus operatus est nostram redemptionem, unde quòd psalm 98. vers.5. legitur: *Adorate scabellum pedum ejus: quoniam sanctum est*, & psal.131. vers.7. *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus*, à pluribus Expositoribus interpretatur de Cruce, quam esse adorandam constat ex traditione Ecclesiæ. Hanc Andreas Apostolus, hanc Constantinus Imperator adoraverunt. Plura miracula per virtutem Crucis Deus operatur: ad ejus præsentiam contremiscunt dæmones; est ergo singulari titulo adoranda, ut statim exponam, idque profitentur omnes SS. PP. Profectò Crux summam excellentiam obtinuit à Christo, qui opus redemptionis nostræ in ea consumavit; unde non consideratur tanquam instrumentum mortis, quando adoratur; sed tanquam instrumentum redemptionis. Nec valet dicere quòd si deberent adorari omnes Cruces, quia Crux fuit instrumentum redemptionis, etiam deberent adorari omnes clavi, lanceæ, funes, flagella, ut enim probè docuit S.Thom.2.2. q.103.art.4. ad 3., & 3. p.q.25. art.4. Crux propria Christi adoratur adoratione latriæ, non solùm ex contactu, & sanguine; sed quia ipsum Christum repræsentat; aliæ autem Cru-

ces, quæ sunt illius Crucis imagines, adorantur eadem adoratione, in quantùm repræsentant Christum tantùm. Sed alia passionis instrumenta, eum non repræsentent Christum, adorantur solùm ratione contactus; ut ipse docet 3.p. q.25. ar.3. Unde instrumenta eis similia, vel ipsa repræsentantia, non adorantur; quia nec Christum repræsentant, nec contactu ejus sunt nobilitata. Ideò propter illam repræsentationem, omnis Crux benè colitur, & solùm clavi, & lancea adorantur propter contactum, quem habuerunt cum corpore Christi. Cum autem, ut dixi, non omnes clavi, & lanceæ tetigerint corpus Christi; illi soli clavi, & illa lancea adorantur, quæ Christum tetigerunt. Neque est actus idololatriæ adoratio Crucis, sed actus justitiæ, & religionis; nam Crucem adoramus respectivè ad Christum, quatenùs in ea Christus vita nostra pependit, & quia quotiès Crucem videmus, totiès de mysterio redemptionis nostræ, in Cruce à Christo oblato recordamur, ideò omnes Cruces veneramur; non quatenùs sunt ex ligno, vel auro, vel argento, vel ære, sed quatenùs repræsentant nobis Dei filium, pro nostra salute patientem; hinc est, quòd cum Apostolo gloriamur in Cruce Domini nostri.

2. Sanctas Imagines ejecit è templo. R. verbo *Iconoclasta*.

3. Peregrinationes ad loca sancta damnabat. R. Quia peregrinorum cura plurimùm commendatur in sac. Script. ut patet Exod.23.ver.9.Levit.23.ver.22. Deuter.14. vers.21. Ergò si peregrinorum cura adeò commendatur, hinc evidentèr colligitur bonum esse ad loca sancta peregrinari; circa quod legimus Deuter.16. Deum instituisse ut omnes filii Israel ad templum Domini peregrinarentur., quod ipsum Christum fecisse legimus Luc.2. Neque est tollere honorem Deo, peregrinari ad invisendas Sanctorum reliquias, ut asserunt hæretici, quia omnis peregrinatio primò fit in honorem Dei, quem mirabilem prædicamus in Sanctis suis; ad quorum reliquias invisendas peregrinamur, ut earum præsentiâ magis excitetur fides, & devotio. Vide verbo *Calvinus*.

4. Baptismum censebat irritum, ac nullum, nisi fronti signum Crucis imprimeretur. R. Quia Christus non præcepit ut in Baptismo fieret Crucis signum in fronte baptizati; esto laudabiliter fuerit ab Ecclesia institutum ut in baptizato Crucis signum exprimeretur, non tamen essentia Baptismi consistit in signo Crucis, sed in materia, & forma, à Christo præcepta; & in materia Sacramenti, quoad essentiam spectat, standum est Christi institutioni.

XVI. Claudius Guiliandus Patriâ Bellouacensis, hæreticus Lutheranus, in commentario ab ipso edito super ultimum caput Epistolæ 2. ad Tim. docet eum Luthero hominem teneri credere se esse in gratia. R. verbo *Lutherus*.

XVII. Claudius Calvinista minister Carentoniensis; qui vixit initio seculi 17. ut ad religionem Calvinianam profitendam ignaros alliceret, ostendere nisus est, quòd Calvinistæ circa fidem sentiunt hoc ipsum, quod Orientalis sentit Ecclesia, quod quàm falsum sit, evincit Synodus Bethlemitica, habita sub Dositheo Jerosolymorum Patriarcha adversùs Calvinistas anno 1672. impressa Parisiis, anno 1676., in qua videre est, quàm longè à doctrina Græcæ Ecclesiæ recedunt; immò hodie Angli quidam in Syria errores Calvini disseminare student, magna etiam schismaticorum contradictione, & illarum gentium turbatione. Contra Claudium doctissimè scripsit Benignus Bossuet Episcopus Meldensis, sicut & alii Catholici viri.

V. Claudianistæ. Quidam nomine Claudius fuit auctor sectæ Claudianistarum, quæ à Donatistis propagata est; Siquidem cum primò Donatistæ ab Ecclesia sunt separati, inter seipsos, plures in factiones scissi, ab auctoribus scissionum nomen sortiti sunt; sic à Claudio dicti sunt Claudianistæ. In quo autem Claudianistæ à Donatistis differrent perspectum non habetur; probabile est in erroribus convenisse, & in solo schismate fuis-

te fuisse differentiam, quatenùs Claudianistæ, Claudium ducem sequebantur, Donatistæ Donatum; sic de aliis scissionibus, inter Donatistas factis, discurrendo.

VIII. Clemens Scotus, sic dictus quià ex Scotiâ oriundus pseudo episcopus, unà cum Aldeberto fuit damnatus à Zacharia Pontifice, repetitis vicibus in Concilio Germanico, & Romano proscriptus. Erroneæ doctrinæ Clementis Scoti restitit fortitèr Bonifacius Episcopus Moguntinus, cujus ope in Concilio Germanico damnatus fuit, & à Summo Pontifice exauctoratus.

1. Abnegavit Canones sacros, expositiones SS. Patrum, ac Concilia Synodalia. R. Quia his omnibus præstandam esse fidem, constat ex his quæ dicta sunt contra Brentium, & contra Acefalos.

2. Affirmavit post plures filios ex adulterio susceptos se posse esse legis Christianæ Episcopum, impudicitiam jungens cum Sacerdotio. R. ex Epist. 2. ad Titum, ubi D. Paulus asserit Episcopum debere esse pudicum, castum, continentem.

3. Judaismum ex parte introducebat, asserendo justum esse Christiano viduam fratris defuncti accipere uxorem. R. verbo *Apollinaris*, *& Cerinthus*, item ex eo, quòd Herodem redarguit S.Joannes Baptista, improbans impudicitiam Herodis cum uxore fratris sui. Qua autem ratione possit super hoc à Pontifice Romano dispensari, nostri instituti non est. Vide eruditum opusculum Joannis Roffensis pro validitate matrimonii Henrici VIII.

4. Asseruit Christum resurgentem ab inferis nullum ibi reliquisse, sed omnes liberasse. R. verbo *Aldebertus*.

5. Dixit in lege Gratiæ nullum amplius existere infernum. R. ex Euangelio, ubi Christus in die judicii minitatur infernum peccatoribus, cujus æternitas probata est verbo *Ampullianus*.

I. Cleobius, à quo Cleobiani, fuit unus ex primis hæreticis, qui Ecclesiam sub impio magisterio Simonis Magi turbarunt. R. verbo *Simon Magus*.

V. Cnapheus Petrus à primâ arte dictus Fullo, sectà Eutychianus, instigante Simplicio Papa exilio damnatus à Leone Imperatore, fugà sibi consuluit, & mortuo Leone Antiochiam revertitur. Sub protectione Zenonis Imperatoris vehementèr turbavit Antiochenam Ecclesiam; condemnatus fuit in Synodo Constantinopolitana, contrà ipsum ab Accacio Patriarcha congregata, & iterùm Romæ sub Felice Pontifice, anno 484. sed magis, ac magis furens in Ecclesiam, nec à suis erroribus resipiscens, Xenaiam virum plebeium auctorem Iconoclastarum, etiam sine prævio Baptismo, ordinavit Episcopum Hierapolitanum; tandem anno 486. moritur, cui successit Palladius, eàdem hæretica pravitate infectus.

1. Corrupit sacrum Trisagion execrando additamento, quo asserebat tres Personas SS. Trinitatis fuisse crucifixas. Est autem Trisagion Canticum illud, quod ex Isaiæ cap. 6. & Apocalypsi 4. frequentat Ecclesia in honorem SS. Trinitatis, scilicet: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus &c.* Inde Trisagion, idest, ter Sanctus, nomen habet, cui Cnapheus addidit versiculum, quo significabat Trinitatem crucifixam esse pro nobis. R. Quia solùm Christum crucifixum, non autem SS. Trinitatem constat ex Euangelio, cujus veritatis protestatio facta etiam fuit in Symbolo Niceno; Tum quia Trinitas non est incarnata, ergo neque crucifixa; Tum quia legimus de Patre quòd tradiderit Filium suum crucifigendum, non autem quòd unà simul cum Filio, sit Pater crucifixus; demùm Trinitas est impassibilis; ergo &c.

2. Dixit ordinationem Episcopalem posse supplere pro Baptismo. R. Quia si posset ordinatio supplere pro Baptismo, non essent absolute vera illa verba: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Tum quia constat Apostolos priùs fuisse baptizatos, antequàm ordinarentur Episcopi; nec ullibì legitur aliquem fuisse ordinatum, nisi præmisso Baptismo; & cum per solum Baptismum homo fiat de corpore Ecclesiæ, non potest constitui ad re-

regendam Ecclesiam, & consequentèr non potest quis ordinari Episcopus, nisi præmisso Baptismo. Demùm Baptismus est janua Sacramentorum omnium.

XVII. COCCEJANI, à Joanne Coccejo Voetii antagonistà originem habent: vigent etiam nunc temporis in Hollandia utriusque sectæ professores Voetiani scilicet, & Coccejani; ministri enim hinc indè divisi, alii cum Voetio rigidum Calvinismum profitentur; alii cum Coccejo Calvini doctrinam in pluribus temperant. Fuit Coccejus natione Germanus; patrià Bremensis, primò Bremæ, mox Francheti in Frisia Theologiæ professor, anno 1669. decessit, circà quæ tempora paulò ante Voetius hominem exuerat.

1. Asseruit, quòd fideles veteris testamenti fuerunt omnes impuri, habuerunt non redempti peccatum, propter sacrificii expiatorii dilationem. R. Nam plures Sanctos Patriarchas veteris testamenti mortuos fuisse in gratia constat ex ipsà Scripturà, justificabantur autem, & purgabantur à peccatis, per fidem mediatoris venturi, quà propter mors Christi, illis qui vixerunt secundùm legem scriptam, etiam profuit per fidem, quam habebant in futurum Redemptorem.

2. Tria sunt testamenta æternum, vetus, & novum. Rep. si rigorosam ille tripartitionem intelligat, quia unicum testamentum Christus suo signavit sanguine, ut morte intercedente repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Æternum itaque est testamentum, sive ratione æternæ Dei præordinationis, sive ratione signatæ hæreditatis, quæ in æternum durabit. Dicitur autem vetus, & novum, quia Deus partem hujus testamenti manifestavit ante suum adventum, partem verò post suum adventum: plura etiam, quæ sunt in testamento voluit adimpleri tantùm, & observari ante suum adventum, plura post suam mortem voluit executioni mandari; hinc est, quòd testamentum bifariam dividitur, in vetus & novum, quod unicum est, & æternum, ut supra explicavimus; sicut etiam unicum dicitur confecisse testamentum testator, qui plura vult executioni mandari solùm pro aliquo tempore, alia verò perpetuis temporibus vult observari.

II. CODIANI iidem fuerunt ac Gnostici, quos diversis nominibus appellatos fuisse testatur Epiphanius, & inter alia nomina, Codianos dictos esse significat.

II. COLARBASIUS, qui & *Colorbasius* vocatur ab Epiphanio, *Colobrasius* ab Augustino, *Colobrosus* ab Eusebio, fuit discipulus Valentini. Philastrius censet hunc Colobrasium eundem fuisse, ac *Bassum*, de quo sub tali nomine actum; sed alium à Basso fuisse videntur asserere Augustinus de hæresi cap. 14. & Theodoretus hæretic. fabul. lib. 1. Fortè quia in eandem hæresim consenserunt Bassus, & Colarbasius, de qua hæresi actum sub nomine *Bassus*, eosdem non distinxit Philastrius quantùm ad hæresim; perspicuum tamen est, distinctos fuisse quoad personam, licèt ambo fuerint Valentini discipuli; Cum verò plures Scriptores distinctos fuisse autument, iisdem subscribendum censeo, quibus adstipulatur & Damascænus; immò inter Bassum, & Colarbasium tanta est nominis differentia, ut coincidere nequeant. Itaque Colarbasius non modò Bassi, sed & Marci fuit condiscipulus, à quo prodierunt Marcitæ, & unà cum Marco (ut refert Tertullianus) novam hæresim ex Græcorum alphabeto composuit, infrà adducendam; sed processu temporis à Marco divisus, deteriora coagmentavit deliria, quæ refert S. Epiphanius hær. 35. Certè in hæresibus suis, sive potiùs fabulis componendis, & proponendis, adeò magnam inanium verborum cavillationem prætexuit, ut satis appareat Colarbasium nec sui compotem fuisse quid vellet, quid diceret, quid sentiret; sed per confusam inanis discursus cavillationem, studuisse aliquid novi proponere, ut posset inter hæresiarchas adstipulari. Vera esse, quæ hic de Colarbasio asseruntur facilè judicabit lector, si quæ D. Epiphanius hær. 35. de Colarbasio, ejusque somniis enarrat, velit percurrere. Errores autem Colarbasii ex

ex Epiph. Irenæo, Augustino, & ex Syrmondo hær. 15. collecti, sunt sequentes

1. Negabat veritatem sinè Græcorum litteris posse inveniri, sed totam plenitudinem, & perfectionem veritatis in primà, & ultimà littera Alphabeti Græci contineri dispositam asserebat, & ob id Christum Alpha, & Omega esse pronunciatum in Divinà Scripturà autumabat. R. Nam Christus est, qui veritas est, ut de seipso loquitur *Ego sum veritas:* dictus Alpha, & Omega exemplariter, scilicet principium & finis, sunt enim istæ litteræ, primæ, & ultimæ in Alphabeto Græcorum, quia omnia ab ipso principium habent, & in ipso finem habere debent: Cæterùm perspicuum est non in litteris veritatem constituendam, sed litteras esse veritatis expressivas, quatenus ad veritatem exprimendam assumptas.

2. Vitam omnem hominum in septem stellis positam asserebat, & has esse septem Ecclesias, & septem Candelabra aurea conabatur adstruere. R. circa hunc errorem à S. Theodoro de Pergamo Episcopo, qui habita Synodo septem Episcoporum, eundem anathematizavit, docens unam esse veram Ecclesiam à septiformi munere Spiritus consecratam, nec septem esse Ecclesias distinctas, quasi septem sint fides diversæ, sed una fides, una Ecclesia, unus Deus. Quòd autem vita hominum ex sideribus non dependeat, constat ex his, quæ dicta sunt contra *Caccum*, *& Albanenses*.

3. Docuit Christum non fuisse verum hominem, & Salvatorem. R. verbo *Christifamilia*.

4. Docuit Baptismum non esse conferendum in nomine Trinitatis, sed in suo nomine baptizandos quotquot salutem consequi volunt. R. Quia in materià Sacramentorum standum est Christi institutioni; Christus autem docuit baptizare in nomine SS. Trinitatis. Marc. cap. ultimo.

5. Dixit dari duo principia contraria. R. verbo *Manes*.

IV. COLLIRIDIANI. A quibusdam mulieribus in Arabia in partibus Thraciæ originem habuit hæc hæresis, de quà sic loquitur Epiphanius. Quædam mulieres currum quemdam, sive cellam quadratam ornantes, expanso super ipsum linteo, in quadam illustri die anni, per aliquot dies panem proponunt (sive Collirídem, idest placentam, ex quo Colliridiani sunt dicti) & offerunt Collirídem in nomine Mariæ; omnes autem de pane participant. Habuerunt istæ muliercula sectatores, qui *Colliridiani* ex pane oblato sunt dicti, quorum errores sunt sequentes.

1. Credebant Mariam non habuisse humanam naturam, sed divinæ naturæ fuisse consortem, undè tanquam Deum Mariam adorabant, & illi sacrificabant. R. Quia Mariam ex humanis parentibus, quorum nomina ad nos majores nostri transmiserunt; Joachim scilicet, & Anna progenitam fuisse, constat ex Scriptura secundùm quam debuit Christus nasci ex progenie David, debuitque M. V. habere humanam naturam, quandoquidem in ipsà Verbum humanam naturam assumpsit, alioquin non potuisset in ipsà fieri Incarnatio, sive ex eà carnis assumptio. Tum quia Maria se ancillam Domini esse dixit, ergo non habuit Divinam, sed humanam naturam. Demùm ex omnibus Mariæ operationibus constat eandem de facto fuisse sicut cæteri homines, humanæ naturæ participem, ex quo sequitur non esse tanquam Deum adorandam, licèt excellentiori cultu, ratione Maternitatis adoretur, non tamen tanquam Deus, qui unus tantùm est, cui se submissam Mariam semper ostendit: propterea non debet ei sacrificium offerri, nec in nomine ejus; id est, neque ad instar Numinis invocari, ut hæretici illi faciebant, quia sacrificium est cultus soli Deo debitus: Quando autem celebratur Missa de Sancto, Ecclesia non offert Sacrificium in nomine Sancti, illum tamquam Numen invocando (Vide Trident. sess. 22. c. 3.) sed in nomine Dei, & in commemorationem, atque honorem Sancti, de quo agitur commemoratio: Sacrificium enim est actus Religionis, qui in nomine solius Dei offerri debet, atque elici.

elici. Nec valet dicere, quòd cum Sacrificium offeratur Filio, debet etiam offerri Matri, extèrùm fieret injuria Matri; nam Maria licèt sit Mater Dei, non est tamen Deus; & licèt Filius, qui est purus homo, non sit naturâ dignior parentibus, Christus tamen cum non sit purus homo, sed homo Deus, ideò est laude dignior matre; quia æqualis est Patri Deo; in eadem natura subsistens, nec fit injuria Matri, si Filiua plus honoretur quam Mater, quæ tamen plus debet honorari, quàm cæteri Sancti, quia sanctitas Mariæ est eminentior sanctitate aliorum Sanctorum, ideò ipsi datur cultus hyperduliæ; motivum enim cultus est sanctitas rei, quæ colitur; & cum sanctitas Christi sit infinita, sanctitas Mariæ sit finita, sed longè eminentior sanctitate aliorum Sanctorum, ideò inter cultum Christi, Mariæ, & Sanctorum distinguimus. Christum quidem cultu latriæ, Mariam hyperduliæ, sanctos cultu duliæ honorando. Vide S. Thom. 2. 2. q.103. art.4. ad 2. & 3. p. q. 25. art.5. & item 2. 2. q.84. art.1. ad 1. Errabant etiam Colliridiani in hoc, quòd sacrificium offerri patiebantur à mulieribus, quas D. Paulus nec patitur concionari; ergo multò minùs possunt Sacrificium offerre. Minister enim Sacrificii est ille solùm qui ritè ad Sacerdotium est promotus, mulieres non possunt ad illud promoveri, quia sunt incapaces, ergo non possunt sacrificium offerre. Quòd autem sint incapaces, constat ex Christi institutione, qui nullam mulierem in sacerdotissam ordinavit, imò nec in lege veteri mulieres poterant sacrificium offerre; ergo à fortiori, neque in novo Testamento. Ratio autem congrua est; quia caput mulieris est vir, summum autem ministerium non erat committendum, nisi capiti: & certè si mulieres possent sacrificium offerre, Maria Virgo, quam hæretici isti parem filio in Divinitate credebant, hoc præstitisset; sed solos Apostolos, & ab ipsis ordinatos in Sacerdotes, legimus Sacrificium obtulisse; ex institutione summi Sacerdotis Christi; nunquam autem legitur hoc Mariam, aut aliam mulierem præstitisse; ergo &c. Nec valet dicere, quòd efficacia Sacramenti non nititur qualitati personæ, ergo etiam mulieres possunt offerre sacrificium; nam aliud est essentia, aliud efficacia: essentia quidem Sacramenti non salvatur sine vero ministro, & ideò virilis sexus pertinet ad essentiam Sacrificii, sive hujus Sacramenti; salvis verò essentialibus, verum est quòd qualitas ministri non refert ad Sacramenti veritatem; non enim hæc nititur in accidentalibus.

XVI. Collini Fratres. Cum essent in Gallià ex principum sanguine progeniti, quorum uni erat nomen Franciscus, alteri Gaspar, plurimos proprio exemplo, auctoritate, atque hortationibus corrumpentes, ad Calvinianam hæresim, quam profitebantur, induxerunt.

VII. Colman. Scoti in celebratione Paschæ per centum quinquaginta annos adhæserunt Quartadecimanis, sed hunc errorem fuisse illis venialem ostenditur, quòd non ex contumacia, & schismate esset exortus, sed ex inscitia Paschalis computi. Facta autem est hac de re contentio inter Colman, & Agilbertum, qui ambo erant Episcopi, coram Rege; prævaluit Agilbertus, qui Romæ edoctus fuerat; cui tamen Colman non acquievit, ideòque relicto Northumbrorum Episcopatu in patriam suam reversus est, in suo errore circa celebrationem Paschatis persistens; ideò Colman ab errore non est excusandus.

XVI. Colloquistæ. Inter Antichristianos à Luthero propagatos, qui vocantur liberæ fidei, reponuntur à Gravina; insurrexerunt anno 1535. Isti dum agitur de Religione, emergente super eam aliqua dubitatione, colloquium instituunt, & nihil resolventes, ad aliud colloquium se remittunt, & sic deinceps, ita ut liberæ fidei sint nuncupandi; quippè qui nihil in colloquiis resolventes, interim sine certa lege vagantur: aut si quid resolvant, ipsum colloquium habent pro decretoria auctoritate, scilicet Synagogam Sathanæ.

XVI. Col-

XVI. Colludentes. Inter Semilutheranos reponuntur à Gravina in sua Tabula Analitica. Refcius refert colludentes illos fic dici, qui quafi ludere videbantur in articulis Religionis acceptandis; minutiora obfervant, & graviora fpernunt; fic pfalmos cantari, candelas accendi, & fimilia permittunt. Volunt autem Sacerdotes debere effe uxoratos. Repr. verbo *Confeffio Auguftana*.

Communionem fub utraque fpecie laicis effe exhibendam. R. verbo *Bohemi*.

IV. Collutus Presbyter Alexandrinus, natione Ægyptius, uni ex Ecclefiis ejusdem civitatis præpofitus; licèt non effet confecratus Epifcopus, cœpit Epifcopum agere, & ordinare Presbyteros. Damnatus fuit in Concilio Alexandrino coram Ofio Apoftolicæ Sedis Legato. Taxatur ab Alexandro Epifc. Alexandrino Colluti ambitio; ejus fequaces dicti funt Collutiani: ambitio erigendi fuam Ecclefiam in Epifcopatum, caufa fuit prævaricationis Colluti. Cæterùm fubfcripfit in Concilio Alexandrino habito anno 321. damnationi Arii, non tanquam Epifcopus, fed tanquam Presbyter Ecclefiæ Alexandrinæ. Paucis annis invaluit Colluti hærefis, quare ejus fectatores Arianis fe conjunxerunt, atque Meletianis adversùs Catholicos: ejus error præcipuus fuit, quòd

Dicebat Deum non effe malorum Creatorem, & quamvis hoc verum fit, tamen fenfus ejus pravus erat, intelligebat fiquidem malum pœnæ non effe à Deo. R. Quia Deus Judex juftus præparavit pœnas peccatoribus: Deus eft, de quo dicitur, quòd vivificat, & mortificat. Deus eft, qui ut fuperbiam Davidis profterneret, peftilentiam mifit in populum Ifraeliticum. Deus eft, qui Sodomam igne confumpfit; ergo &c. Item Deut. cap. 32. *Congregabo fuper eos mala*, & licèt Deus fit fummè bonus, non officit ejus bonitati, quòd etiam ut fummè juftus malum pœnæ immittat, quia juftitia eft quafi tutela bonitatis; ideò dum Deus punit, non poteft dici malus, fed juftus. Sirmundus lib. 1. de hærefi cap. 65. dicit: Collutum afferuiffe Deum effe Creatorem malorum, defumpta occafione ex illis verbis Ifaiæ 45. 7. malè intellectis: *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum*, ac fi mala aliquid effent, aut Deus effet, qui malum culpæ committeret: fed Deum effe impeccabilem, fatis conftat ex his quæ dicta funt verbo *Blaftus*. Nec ibi ommittendum, quòd Arius confuevit vocare fodales fuos Collucianiftas, ut notat Baron. anno 318.

IV. Collutus junior, fuit alius à Colluto de quo fupra, ille enim nominatur Epifcopus, hic Presbyter; porrò hic Collutus fuit fecta Arianus, Sancto Athanafio infenfus, qui, ut accufationes contra Athanafium ab Ifchyria productas corroboraret, curavit apud Imperatorem, ut Ifchyrias Epifcopus eligeretur, ipfique Ecclefia ædificaretur in quodam pago propè Alexandriam, in quo pauci admodùm erant habitatores, & nunquam Epifcopus, imò ne quidem Corepifcopus habitaverat.

XVI. Communia habentes, fecta funt Anabaptiftæ, & inter Antilutheranos, qui in multis à Luthero difcordant, reponuntur à Gravina; non modò bona temporalia, fed etiam uxores faciebant communes. R. verbo *Adamitæ*.

XVI. Commutatores. Ortum habuerunt anno 1565., ex fchola Lutheri progeniti, & illi funt, qui fupplicem libellum Maximiliano Imperatori obtulerunt, in quo exponebant fe in omnibus, & per omnia Romano Pontifici parituros, fi trium articulorum commutatio fieret, ideft fi in tribus fequentibus articulis, eorum doctrinæ Catholici adhæfiffent, quorum primus erat, ut Catholici in materia juftificationis doctrinam fequerentur ab Auguftana confeffione propofitam; fecundus, ut Sacerdotes poffent uxores ducere; tertius, ut laicis daretur Communio fub utraque fpecie. De his erroribus aliàs egimus.

Concordenses. Vide *Bagnolenfes*.

XVI. Concordistæ. Ad plenam fectæ Concordiftarum intelligentiam, fciendum tantam fuiffe, & effe inter Lutheri alumnos, imò vivente ipfo Luthero, inter

ter ipsum & suos opinionum varietatem, & discordiam, ut quibus standum esset, neque ipsi hæretici compertum haberent; ideò sæpè nonnulli contenderunt, sed frustrà, modum aliquem invenire, quo possent omnes in unam doctrinam esse concordes; ad hunc finem obtinendum primò Lantgravius anno 1529. id sollicitè curavit, ut Lutherus, & Zuinglius invicem se viderent, & colloquerentur Morpongi, Lutherum comitantibus Melanctone, Osiandro, Brentio cum aliquibus aliis, Zuinglium verò Decolampadio, Bucero, & Gaspare Hedione, unà paritèr cum aliquibus aliis. Convenerunt itaque, & facta per triduum disputatione, maximè de cœna Domini, nihil conclusum; sed hinc inde in sua respectivè opinione obdurati perstiterunt; Ne tamen in hoc conventu nihil actum videretur, capita 14. de aliis quæstionibus divulganda censuerunt, utriusque partis subscriptione firmata, & fuit hoc primum genus concordiæ discordis. Sed cum pessimè audirent Lutherani, & Zuingliani esse inter utrosque discordiam, maximè in materia Eucharistiæ, missi sunt denuò anno 1536. Witembergam hinc inde ministri, qui cum Luthero ibi degente concordiam aliquam circa dogma Eucharistiæ stabilirent. Factus est congressus, sed nulla inde secuta est conclusio; congregati enim fortiter in sua respectivè sententia persistentes, emendicata excusatione dixerunt, nihil se posse concludere, eò quòd pauci convenissent ad tractandam rem summi ponderis; ubi verò in majori numero indictus esset congressus, omnes libenter subscripturos confessioni Augustanæ, quantùm spectabat ad articulum Eucharistiæ; quarè iterùm anno 1562. Luneburdi conventu facto Principum, & ordinum imperii Circuli inferioris Saxoniæ, iterùm tentata concordia, sed frustrà, quam cum summoperè desiderarent Principes protestantes, eorum industria celebratum est in Germania anno 1564. colloquium propè Spiram, cui præter multos selectos hinc inde, scilicet tam ex parte Lutheri, quàm ex parte Zuinglii Theologos, interfuerunt Dux Witembergius, & Elector Palatinus.

Res grandi apparatu, & grandiori expectatione instituta, abiit in fumum, quo sese invicem denigrarunt; colloquium enim, quod causa concordiæ institutum fuerat, majori dissidio occasionem præbuit. Non dispar fuit exitus concordiæ tentatæ anno 1586., quando Monbelgradi convenerunt hinc inde hæretici Lutherani, & Calviniani, disputantibus Andrea Schmidelino, tunc temporis Lutheranorum principe, & Theodoro Beza Calvinistarum calipha, in nullo enim articulo ex propositis convenire valentes, acerbiùs irritatæ ad invicem partes recesserunt, quàm fuissent congregatæ. Demùm anno 1580. editus fuit in lucem, in Germania liber specioso titulo *Concordiæ*, cujus libri doctrinam profitentes, dicti sunt *Concordistæ*. Præcipui hujus libri concinnatores fuerunt Lucas Osiander, & Balthasar Bidembachius doctores Witembergenses. Compilatum fuit hoc opus ex Augustana confessione, & articulis Smalchaldicis, in quo abdicabantur interpretationes mollium Witembergensium, & Cyprensium. Oblatum deinde Augusto Electori Saxoniæ, & approbatum à Jacobo Andrea Schmidelino, Martino Kemnizio, Nicolao Selnechero, & quibusdam aliis, qui inter Lutheranos erant præcipui nominis. Interim circumcursante Schmidelino, hujus libri approbationem ab octo mille hominibus, partim suasionibus, præsentationibus, circumventionibus, dolis, ac versutiis obtinuit, qui tamen subscripti, ut plurimùm erant indocti, artifices, seu fabri, & nullius momenti viri, ex quo factum est, ut liber concordiæ vocaretur verbo Germanico *Pappenbuch*. Testatur autem ipse Osiander unus ex libri concordiæ concinnatoribus, à pluribus fuisse librum rejectum, plerosque tam Lutheranos, quàm Calvinistas contra eundem calamum perstrinxisse, ita ut facta sit ipsis Lutheranis odiosa Concordistarum secta, cujus præcipua dogmata erant.

1. Christus secundùm quod Deus obe-

obediens fuit Patri. R. Nam dicere, quòd Christus secundùm quòd Deus obediens fuit Patri, idem est ac dicere, quòd Deus obediens fuerit Deo; Christus enim quà Deus, eamdem omninò voluntatem indivisibilem habet cum Patre, & operatur eadem actione, qua vult Pater; ergo Christus qua Deus non potest dici quòd fuerit obediens Patri. Deinde obedire, inferioris personæ est: Trinitatem autem Divinam ita profitemur æqualem, ut nulla persona minor alia sit.

2. Christus etiam secundùm Divinam naturam fuit mediator. Rep. hæc propositio, quia ratio mediatoris importat utriusque naturæ in una persona copulationem: & sicut medius est Christus inter Deum, & hominem, quatenùs habet utramque naturam: ita exercet, quatenùs utramque habet, mediatoris officium, dignificando opera hominis, & valorem illis tribuendo; quia simul est Deus: & operando meritoriè, & satisfactoriè, quia simul est homo. Unde si consideretur aliqua ex duabus naturis seorsim à modo subsistendi simul cum alia, non potest intelligi ratio mediatoris. Ideò est falsa propositio illa; quia cum dicit, *secundùm quòd Deus*, naturam humanam, sive ejus simultatem in Divino supposito cum Divina, à propria mediatoris notione excludit. Vide verbo *Calvinus*.

3. Humana natura Christi verè, & realiter est ubique. R. verbo *Brentius*.

4. Humanæ naturæ Christi collata sunt omnia Divina attributa, in qua collatione unio hypostatica consistit. Repr. Nam attributa Divina, & attributa humana in Christo remanere impermixta certum est; quandoquidem dici nequit de humana natura, quòd sit beans, quòd sit infinita, quòd sit omnipotens; & licèt in Christo detur communicatio idiomatum; hæc tamen datur, & exprimitur per nomina concreta, importantia suppositum; non verò per nomina à ratione subsistendi abstracta, sicut dici non potest humanitas est Divinitas licèt dicatur de Christo, quòd sit homo Deus. Insuper certum est, quòd unio hypostatica, non est facta in unitate naturæ, sed in unitate personæ, quare sequitur, quòd ex unione hypostatica non possint probare hæretici in suo sensu communicationem idiomatum realem respectu naturarum, quam illi prætendunt. Quod unio hypostatica non possit esse facta in unione naturæ, constat quia nec natura humana conversa est in Divinam, nec Divina in humanam; neque facta est quædam tertia natura ex duabus unitis; sed unum ex tribus debuisset sequi, quando unio hypostatica facta fuisset in unitate naturæ; ergo dicendum unionem hypostaticam factam esse in unitate personæ, impermixtis remanentibus naturà humanà, & Divinà, & consequenter humanæ naturæ Christi non potuerunt conferri Divina attributa, neque consentaneè dici potest, quòd in hac collatione attributorum, consistat unio hypostatica. Demùm non possunt finitæ naturæ communicari attributa infinita, cæterùm idem jam esset finitum, & infinitum; ergo &c.

5. Totus Christus Deus, & homo descendit ad inferos. R. Nam si totus Christus Deus, & homo descendisset ad inferos, sequeretur quòd etiam descendisset cum corpore, nec remansisset usque ad resurrectionem in monumento. Descendit quidem anima unita Verbo; sed anima non est homo.

6. Tres Christi ascensiones fingunt, unam in conceptione, alteram in morte, & tertiam cum visus est ab Apostolis ascendere, licèt non ascenderit. R. verbo *Augustiniani*, ubi Christum de facto in corpore & anima ascendisse in cælum, quando nubes suscepit eum ab oculis Apostolorum, probatum est. Alias duas ascensiones, quas fingunt de Christo, non indigere reprobatione constat; quis enim dicat ascensionem Christi, fuisse conceptionem? cum potiùs tunc filius Dei descenderit de cælis, ut legitur in Symbolo: *Propter nostram salutem descendit de cælis*. Similitèr mortem Christi ascensionem non esse, satis per se patet. Præter hos sex speciales errores, qui in libro concordiæ notantur,

continet præfatus liber confusionem dogmatum Luthero Calvinismi, quem librum impugnarunt Lindanus in commentario inscripto *Concordia discors*, & Bellarminus in judicio, quod de illo edidit, apud quos auctores videri fusiùs poterunt libri concordiæ discordantiæ, & deliramenta.

Concoretii, sive Concorezenses. Vide *Bagnolenses*.

XVI. Condormientes sunt Antilutherani, sectà Anabaptistæ. Emerserunt anno 1544. quorum doctrinam præcipuè in Bohemia, & Brabantia multi sunt amplexati: Mulieres, & viros in eodem conclavi promiscuè se commiscere docebant. R. verbo *Adamitæ*. De his agit Prateolus.

XVI. Confoederati inter Antichristianos, qui vocantur politici, reponuntur à Gravina. Anno 1576. originem habuerunt, qui volentes impunè debacchari.

1. Dicebant Hæreticos nulla de causa posse vocari in judicium, neque ab ullà potestate puniri. R. Deuter. 13. Deus jubet falsos prophetas debere absque ulla commiseratione occidi, & c. 17. legitur: *Qui autem superbierit volens obedire Sacerdotis imperio, decreto judicis morietur*. Simile habetur 2. Regum cap. 18. quarto Regum cap. 10. Item actorum 13. legitur quòd Paulus falsum prophetam, conversionem Proconsulis impedire conantem, cæcitate percussit. Tum quia si hæretici non possent puniri, grave damnum oriretur Christianæ Reipublicæ. Tum quia Ecclesia habet jus supra omnes baptizatos, ergò potest jus suum exercere supra hæreticos, qui sunt baptizati, & illos punire. Nec valet objicere, quòd legitur prima ad Cor. 11. *Oportet hæreses esse*: ad inferendum hæreticos non posse puniri; nam Apostolus solùm intendit exprimere, quòd Ecclesia semper vexabitur ab hæreticis, non autem prohibet, quin possit hæreticos punire. Quod autem legitur Matth. 13. de zizania & tritico: *Sinite utraque crescere*, significat zizaniam, idest hæreticos commonendos esse ut convertantur, dandum illis esse tempus pœnitentiæ, si velint resipiscere, non verò significat non posse puniri, nam si perseverent obdurati, tunc alligandi sunt in fasciculos, ut ait Christus. Hæreticos esse puniendos, asseruit etiam Calvinus, quod & comprobavit sua decretorià sententià, cum Servetum propter hæresim à Gebenensi magistratu igni adjudicandum censuit.

2. Principibus parendum esse asserebant, si libertatem conscientiæ permittant, nec ullas pœnas in criminosos decernant. R. Nam auctoritas data Magistratibus in subditos, non est data cum hac conditione, quòd permittant libertatem conscientiæ, imò Principes, quos constituit Dominus, ut faciant judicium, debent zelari, ut lex Dei observetur. Suo Principi unumquemque respectivè subditum teneri obedire, sæpè legitur in sacris paginis; Deus enim est, qui constituit Reges super terram, per quem Reges regnant, & Principes imperant. Obedire dominis, subditos esse potestatibus, docet etiam D. Paulus. Demùm si Principibus permittentibus libertatem conscientiæ solùm esset obtemperandum, sequeretur unumquemque pro libito posse Religionem profiteri, sed hoc fieri nequit, ut ostensum est verbo *Bifidi*; ergo &c.

XVI. Confessio Saxonica, sivè à Saxoniæ hæreticis exhibita Concilio Trid. improbat olei, & Chrismatis benedictionem, & eorum usum in Baptismo, Ordinatione, Confirmatione &c. Rep. Exemplo testamenti veteris, ubi Exod. 30. vers. 30. primo Regum 10. primo Regum 16. legimus Deum præcepisse, ut certæ personæ sibi specialitèr dicatæ oleo ungerentur: usum olei in Baptismo, Ordinatione, Confirmatione, & extrema Unctione colligimus ex Constitutionibus Apostolicis, ut videre est lib. 3. cap. 16. 17. lib. 7. cap. 23. lib. 8. cap. 29. De usu Olei sancti mentionem faciunt Patres primi seculi, Clemens Romanus, Dionysius in Ecclesiastica Hierarchia, & successivè cæteri SS. PP.

XVI. Confessionistæ Augustani. Cum

Cum Imperator Carolus V. Augustæ Windelicorum indixisset generalia comitia: Lutherus à Joanne Electore Saxonico, protestantium capite rogatus, septemdecim condidit articulos, in quibus velut in synopsi summam doctrinæ suæ brevitèr complexus est, in comitiis proponendam, ex quà synopsi Melancton composuit confessionem fusiùs tractatam, & meliori stylo exaratam, quam idem Lutherus approbavit, & fuit exhibita in comitiis Imperatori, anno 1530. ab Electore Saxonico, qui eidem confessioni subscripserat unà cum Marchione Brandeburgensi, Ducibus Luneburgi, & Assiæ Lantgravio, atque aliis Principibus; & hæc est celebris illa Lutheranæ doctrinæ confessio, à loco ubi primùm Imperatori oblata est, *Augustana* dicta; à qua Melanctonis sectatores, qui potiorem partem in ejusdem confessionis exaratione posuerat, *Confessionistæ* sunt dicti. Hæc autem confessio pluries fuit à Melanctone confecta, defecta, refecta, qui pro animi sui levitate, mox duo, mox tria Sacramenta tantùm suscipienda proponebat, sic de cæteris articulis discurrendo, ita ut quæ fuerit, & sit tam Melanctonis, quàm Confessionistarum fides, vix unquam dignosci potuerit. Ab anno 1530. usque ad 1540. tria exemplaria hujus confessionis, ita variata apparuerunt, ut vix in uno articulo cum prothotypo Cæsari oblato concordarent. Anno 1552. confessioni Augustanæ additi fuerunt Articuli Smalchaldici, ab hæreticis Protestantibus paritèr conscripti, qui aliud non continebant, quàm deliberationem de his, quæ Protestantes in materia fidei defendere contendebant, sed adeò patebat omnibus diversitas, & confusio doctrinæ, in confessione Augustana sæpiùs refectà, propositæ, ut publicè non *confessio*, sed *confusio* vocaretur. Ipsi Protestantes vocabant confessionem Augustanam *Cothurnum*; calceamenti scilicet genus, utrique pedi aptum: alii vocabant Isidem magnam matrem, tot diversorum filiorum procreatricem. Zuingliani verò, & Calviniani illam Sphingem appellare consueverunt, proindè secti sunt confessionistæ in tres partes Mollium, Rigidorum, & Extravagantium. Deindè istæ partes in alias factiones sunt subdivisæ, de quibus omnibus sub proprio nomine, quod sortitæ sunt hujusmodi sectæ divisæ, & subdivisæ agitur in hoc opere. Sed ut ad confessionem primam Augustanam recurrat sermo, & quales contineret errores perspectum habeatur. Sciendum hanc confessionem in duas partes fuisse divisam, quarum prima continebat, centum supraviginti articulos, anno 1530. Augustæ Vindelicorum in comitiis Imperatori propositos: secundam partem verò componunt septem Articuli Smalcaldici anno 1552. confessioni Augustanæ à Protestantibus adjuncti. Sed pro majori horum articulorum intelligentia: notandum hanc confessionem ita fuisse à Protestantibus concinnatam, ut in aliquibus articulis dolosè exprimat hæreticorum sensum, qui sub talibus verbis conceptus, potest apparenter in sensu Catholico accipi. Quare advertendum, ex dictis articulis, aliquos verè esse Catholicos, in aliis, ut vulgò dicitur: latet anguis in herba; aliqui enim sunt omninò hæretici; alii continent doctrinam mixtam ex quibusdam veritatibus, quas annexi errores deformant, alii ita sunt expressi, ut difficilè sit cognoscere an in hæreticum, vel in Catholicum sensum declinent.

Proponuntur Articuli primæ partis Augustanæ Confessionis.

1. Articulus concedebat id, quod in quatuor Conciliis generalibus circa mysterium SS. Trinitatis continebatur.

2. Dicebat peccatum originale aliud non esse, quàm concupiscentiam. Rep. Quia S. Jacobus in Epistola Catholica discernit concupiscentiam à peccato his verbis: *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus*. Deindè *concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum*. Tum quia concupiscentia remanet in Baptizatis, unde Apostolus ad

ad Rom. 7. *Sentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ*; ergo concupiscentia non potest esse ipsum peccatum originale; quandoquidem remanet post Baptismum. Tum quia concupiscentia est appetitus delectationis sensitivæ, ut rectè D. Thom. 1. 2. q. 30. art. 1., qui appetitus est naturalis homini, & fuit in homine etiam in statu integritatis: quo amisso non fuit denuò inducta, sed tantùm deordinata, id est, non subjecta rationi; ergò in ipsa constitui nequit essentia peccati originalis. Nec valet dicere concupiscentiam aliquando vocari peccatum, ergò non posse habere aliam rationem, quàm peccati originalis; nam vocatur peccatum causalitèr, in quantùm deordinatio ejus est effectus peccati; non verò vocatur peccatum formaliter. Nec valet reponere illud ad Roman. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*; nam ibi Paulus non dicit concupiscentiam esse peccatum, sed asserit esse peccatum obedire concupiscentiæ, undè subdit loco citato, *ut obediatis concupiscentiis*. Neque ex eo quod concupiscentia inducat ad peccatum dici potest, quòd sit peccatum formalitèr, cæterùm omnis occasio esset peccatum formalitèr: concupiscentia ergo quantum est de se, non est peccatum, sed potiùs nobis deservit ad meritum, si legitimè contra illam decertaverimus. Vide S. Thom. 1. 2. q. 80. art. 3. ad 3.

3. Continebat id, quod est in Symbolo Apostolorum concernens Incarnationem, vitam, passionem, mortem, resurrectionem, & ascensionem Jesu Christi.

4. Sustinebat contrà Pelagianos hominem non posse propriis viribus justificari; sed asserebat contra Catholicos, justificationem fieri per solam fidem, ad exclusionem bonorum operum. R. verbo *Aetiani*, ubi ostenditur solam fidem non justificare.

5. Asserebat Spiritum sanctum per solam fidem in nobis operari. R. Quia internæ motiones, per quas excitatur infidelis ad suscipiendam fidem, sunt opus, quod operatur Spiritus sanctus in infideli, & tamen hoc dici nequit opus fidei, cum talis infidelis sic excitatus, nondum habeat fidem. Tum quia in omnibus operibus bonis, nobiscum operatur gratia Spiritus sancti; unde clamabat Apostolus *Gratia Dei mecum*. Quòd si non operaretur gratia Spiritus sancti nobiscum in bonis operibus, quæ elicimus, sequeretur jam nos posse aliquid ex nobis, quod est falsum; non enim sinè gratia potest peccator converti ad Deum, licèt habeat fidem: pariter non potest homo elicere sinè gratià actus meritorios vitæ æternæ, licèt fide non careat; non enim possumus aliquid ex nobis. De gratiæ verò necessitate ad benè operandum, non modò ad credendum, agetur verbo *Pelagius*.

6. Concedebat fidem debere esse bonorum operum productivam; præcisè ut obediremus Deo bona opera præcipienti, non autem ut mereremur justificationem: ex quo patet excludere necessitatem bonorum operum ad justificationem. R. ex his quæ dicta sunt contra articulum quartum, & verbo *Aetius*.

7. Dicebat in Ecclesia solos justos contineri. R. verbo *Assuritani*.

8. Dicebat Sacramenta, licèt à peccatore, & hypocrita administrata, eandem habere efficaciam. Verum quidem est, loquendo de ipsa Sacramenti essentia, & virtute; sed alio sensu, quem involvere potest articulus iste. R. Nam licèt verum sit quoad efficaciam ex opere operato, Sacramenta etiam à peccatore administrata, eandem habere efficaciam; falsum tamen est in alio sensu, qui exprimitur in octavo Artic., nam quoad efficaciam, quam habere possunt Sacramenta ex opere operantis, certum est Sacramenta ab impio administrata, nullam efficaciam ex opere operantis sortiti.

9. Ostendebat contra Anabaptistas necessitatem Baptismi pro infantibus, ideò nihil continebat contra sanum Ecclesiæ sensum.

10. Asserebat S. Eucharistiæ Sacramentum in solo usu consistere, & sub utraque specie exhibendum. R. quoad secun-

fecundum verbo *Bohemi*. Rep. quoad primum verbo *Bucerus*.

11. Concedebat necessitatem absolutionis in Sacramento Pœnitentiæ, sed negabat pœnitentem teneri exprimere sua peccata in specie. R. Quia Sacerdotes sunt Judices peccatorum, sed judicium ferri non potest nisi audito reo, ergo peccator in Sacramento Pœnitentiæ, ut absolutionem obtineat, debet culpam suam in specie proferre; sententia enim ferri non potest, nisi circa rem cognitam. Peccata autem maximè occulta, non possunt cognosci à Sacerdote Judice, nisi peccator ipsa revelet, ergò peccator qui vult beneficium absolutionis, debet peccata sua revelare. Tum quia Christus dedit potestatem Sacerdotibus, ut absolverent peccatores, ergo etiam obligavit peccatores ad petendam absolutionem; cæterùm potestas data Sacerdotibus esset superflua: sed qui vult absolvi à culpa, debet exprimere culpam, à qua vult absolvi; sententia enim Judicis non potest cadere suprà rem incertam, ergo peccator, qui vult absolvi, debet culpam suam Sacerdoti, qui habet potestatem absolvendi, exprimere. Nec valet dicere confessionem esse solùm de consilio; Sacerdotes enim habent potestatem, non modò absolvendi, sed etiam retinendi peccata; ergò ex hac potestate data à Christo Sacerdotibus, sequitur necessariò Christum obligasse peccatores, ut se submitterent judicio Sacerdotum; Cæterùm si confessio esset solùm de consilio, non possent Sacerdotes retinere peccata: Tum quia certum est Christum remisisse peccatores ad judicium Sacerdotum; quandoquidem dixit: *Quorum remiseritis peccata dimissa sunt eis; quorum retinueritis retenta sunt eis*; ergò peccator tenetur se submittere judicio Sacerdotum; alioquin quomodo Sacerdos discernet inter peccata remittenda, & retinenda? Neque ex præcepto confitendi peccata, sequitur duriorem esse legem Euangelicam, quam Mosaycam: imo contrarium evincitur; nam in lege Mosaycâ necessaria erat contritio, quæ difficilitèr elicitur; in Euangelica verò dempta est hæc difficultas, quandoquidem pœnitens in Sacramento Pœnitentiæ ex attrito fit contritus, & majorem certitudinem habet obtentæ remissionis, quam in lege veteri. Deindè juvatur à charitate Confessarii ad remedium animæ procurandum: quod est magnum argumentum suavitatis, qua lex Euangelica fideles ordinat ad salutem.

12. Condemnabat Anabatistas dicentes, semel justificatum non posse ampliùs ammittere gratiam justificantem; & Novatianos, qui nullum beneficium absolutionis impendebant peccatoribus post Baptismum; negabat verò contra fidem Catholicam, peccatorem posse mereri per actus pœnitentiæ, quos informat gratia, remissionem peccatorum, vel utilitatem ejusmodi actuum in illis, qui ad gratiam disponuntur. R. Nam in omni lege pœnitentiam fuisse non modò utilem, sed etiam necessariam ad consequendam remissionem peccatorum, constat ex Scriptura evidenter. Hinc Propheta pœnitentiam Ninivitis prædicavit, ut redderent Deum placabilem; qui in cinere, & cilicio humiliati, averterunt imminens flagellum Dei. David per pœnitentiam obtinuit peccatorum remissionem, & audire meruit: *Transtulit à te Deus peccatum tuum*; nec aliâ de causâ Apostolus ad Coloss. c. 3. vers. 5. peccatores hortatur ad mortificationem *Mortificate membra vestra*. Tum quia scimus omnes viros Sanctos voluntariam pœnitentiam assumpsisse, sed ad quid tot carnis maccrationibus se affligere, nisi perspectam habuissent pœnitentiæ necessitatem, pro obtinenda peccatorum remissione? Veritatem hanc confirmat Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. Insuper Deus in pluribus Script. locis pœnitentiam præcipit, & D. Petrus epist. 2. cap. 1. v. 10. *Satagite ut per bona opera, certam vestram vocationem, & electionem faciatis, hæc enim facientes, non peccabitis aliquando*. Experientià constat hominem, qui mortificat corpus suum, abstinere se à peccatis, & vehementiorem dolorem concipere de præteritis, ergò pœ-

pœnitentia est necessaria ad obtinendam peccatorum remissionem. Demùm Christus nos hortatur ad tollendam crucem cum ipso, si cum eodem congaudere volumus, unde legimus. *Si quis vult post me venire, tollat crucem suam*; quæ crux in nobis importat pœnam ex pœnitentia assumptam, vel voluntariè toleratam.

13. In usu Sacramentorum fidem actualem exigebat. R. Nam admittunt parvulos posse baptizari, sed parvuli non habent fidem actualem, ergò in usu Sacramentorum non exigitur actualis fides, nec eorum veritas dependet à fide suscipientis. Tum quia baptizantur amentes, unguntur infirmi, qui cognitionem non habent, & tamen suscipiunt Sacramentum, ergò in usu Sacramentorum, non exigitur actualis fides: cæterùm si exigeretur actualis fides, sequeretur realitatem Sacramenti dependere à fide suscipientis, non à Christi institutione, & à debita prolatione formæ super materiam; ut enim habeatur Sacramentum, sufficit à legitimo ministro proferri debitam formam supra debitam materiam, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; sed si in usu Sacramentorum exigeretur fides actualis hoc non esset, maximè cum omnia Sacramenta, excepto Eucharistiæ Sacramento; consistant in usu; ergo &c.

14. Defendebat neminem posse publicè in Ecclesia docere, vel Sacramenta administrare, absque speciali vocatione. R. Nam si per specialem vocationem intelligebant quamdam internam motionem sensibilem (alioquin quomodò quis sciet, se vocatum?) hoc falsum est; nam absque ejusmodi interna motione potest minister publicè docere, & Sacramenta administrare; veritas enim doctrinæ Evangelicæ, & Sacramentorum efficacia, non dependet ab interna motione ministri; Tum quia difficile est posse discerni hanc internam, & specialem vocationem ab ipso ministro, quæ etiam nullatenus cognosci potest ab extraneo; ergò si nonnisi à specialitèr vocato possent administrari Sacramenta, sequeretur fideles semper esse in dubio, an à legitimo ministro forent administrata. Tum quia si quis fidelis, specialitèr tamen non vocatus ad Sacerdotium, consentiret nihilominus ordinari in Presbyterum, & conficeret Sacramenta, atque à legitima potestate facultatem administrandi susciperet, benè conficeret, & administraret; ergò non est necessaria specialis vocatio ad ministranda Sacramenta. Si verò pro speciali vocatione intelligebant Confessionistæ exprimere, non debere Sacramenta ministrari nisi à legitimo ministro, jam nulla est inter ipsos, & Ecclesiam Catholicam dissensio. Catholicè enim credimus neminem, nisi legitimè ordinatum, & legitima jurisdictione auctum, posse ministrare Sacramenta in Ecclesia. Quam jurisdictionem pro Sacramento Baptismi, omnes habent in casu necessitatis; sicut & administrandi in tali casu Sacramentum Pœnitentiæ habent omnes Sacerdotes.

15. Festorum, & cæremoniarum Ecclesiæ observantiam admittebat.

16. Approbabat Magistratus, proprietatem bonorum, & matrimonium.

17. Confitebatur resurrectionem, generale judicium, Paradisum, Infernum, & condemnabat duos Anabaptistarum errores, in quorum uno dicebant, damnatorum pœnas non esse æternas, & in alio mille annis ante resurrectionem Christum, cum electis regnaturum in mundo.

18. Dicebat liberum arbitrium non sufficere ad salutem.

19. Deum, licèt hominis Creatorem, & conservatorem, non posse dici causam peccatorum, quæ ab hominibus committuntur.

20. Bona opera non esse omninò inutilia. R. Nam per hunc mollem dicendi modum, significatur, vel saltem legitimè deducitur, benè operari non esse absolutè necessarium ad salutem consequendam, quod falsum est, nam opera bona esse omninò adultis necessaria, satis constat ex Scriptura, quæ nos ad bona opera hortatur. *Declina à malo, & fac bonum*. D. Petrus Epist. 2. cap. 1. vers. 10.

vers.10. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*, & Apostolus ad Gal.6. vers.9. & 10. *Bonum autem facientes, non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes; ergo dum tempus habemus operemur bonum*. Demùm Christus, ratione bonorum operum, protestatur se daturum æternam salutem, ut constat ex illo Matth.25. *Venite benedicti, possidete paratum vobis regnum, esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.* ergò bona opera, non solùm non sunt omninò inutilia, sed sunt necessaria ad salutem; quòd si absque bonis operibus posset consequi salus, frustra homo hortaretur ad eleemosynam, ad pacem &c. Vide verbo *Amsdorfiani*, *Antinomi*.

21. Spernebat invocationem Sanctorum. R. verbo *Vigilantius*.

PROPONUNTUR ARTICULI
SECUNDÆ PARTIS
CONFESSIONIS AUGUSTANÆ.

Continentis septem Articulos omninò Ecclesiæ Catholicæ sensui adversantes, quorum causa Protestantes ab Ecclesia se segregatos asserebant.

1. Exigebat communionem sub utraque specie, & SS. Sacramenti processionem improbabat. R. Quoad primum verbo *Bohemi*. Secunda verò pars hujus articuli, cum in eo fundetur, quòd (ut asserunt Lutherani) corpus Christi non sit realitèr in Sacramento, nisi in solo usu, satis reprobata erit ex his, quæ dicuntur ad probandam realem existentiam corporis Christi in Eucharistia, etiam extra usum, quo admisso (ut de facto admitti debet) corpus Christi esse realitèr in Eucharistia extra usum, non est improbanda sancti Sacramenti processio, honoris causà erga Christum instituta; nam Christum debere adorari constat ex eo, quod dixit ad tentatorem in deserto: *Dominum Deum tuum adorabis*. Ex psalm.96. vers.8. *Adorate eum omnes Angeli ejus*. Ad Hebræos 1. v.6. *Et cum iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit; & adorent eum omnes Angeli Dei*; ergo à fortiori debet adorari ab hominibus. Quod fecerunt Magi in Bethleem, & plures alii, de quibus fit mentio in Euangelio, Christum adoraverunt; ergo si Christus non recusavit, has adorationes, certum est illi fuisse debitas, & consequenter posse adorari in Sacramento, ubi realiter est humanitas, & Divinitas; & hac de causa Ecclesia instituit processionem Sacramenti; ergo non est improbanda, quatenùs in processionibus significatur unitas fidei, & unio charitatis in viatoribus. Tum quia Ecclesia, quæ sic fieri sancivit, non potest errare; ergo &c. Neque valet dicere, quòd si adoratur Sacramentum, possunt adorari etiam creaturæ omnes, quia in omnibus Deus est; nam non adorantur creaturæ, quia Deus non facit unum cum creaturis; adoratur verò totum Sacramentum, quia Christus ibi præsentialiter existens concurrit ad integrandum unum totum morale, scilicèt Sacramentum, ad cujus essentiam pertinet Christi corpus, Divinitas, & humanitas sub speciebus Eucharisticis.

2. Sacerdotum cælibatum condemnabat, & illos qui castitatem vovebant. R. Ex omnibus ferè Conciliis, tam orientalibus, quàm occidentalibus, in quibus definitum est, Clericos debere cælibes vivere. Tum quia si in lege veteri requirebatur, quòd qui manducare debebant panes propositionis, saltèm ad aliquos dies ab uxoribus abstinerent, & tamen panis propositionis erat solùm umbra panis Eucharistici; ergo Sacerdotes, qui sunt deputati, ut quotidiè ministrent Domino, & quotidiè sumunt panem Eucharisticum, à fortiori debent ab uxore abstinere. Tum quia plures sunt convenientiæ, propter quas rectissimè ab Apostolis stabilitum est debere cælibatum sacris Ordinibus adnecti; quia matrimonium plures causat in conjugatis distractiones, unde Sacerdos uxoratus non potest sedulò vacare suo officio, & delectabilia carnis valde impediunt elevationem mentis. Insuper vix posset discerni

cerni Sacerdos à laicis: nec dignitas Sacerdotalis esset in tanta æstimatione, quando Sacerdotes essent uxorati. Quod autem habet Apostolus ad Corinth. 7 *Quod si non se continent, nubant*, non est præceptum, sed consilium. Tum quia specialis Dei gratia adjuvat Sacerdotes ad continentiam servandam. Quod autem legitur ad Timot. 3. *Episcopum esse debere unius uxoris virum*, non probat Sacerdotem debere nubere; nam ibi Apostolus loquitur de Episcopis ordinatis, postquam uxorem duxerant; de quibus statim subjungit, quòd debeant esse continentes: quod ita intelligendum videtur, nempè, quòd debeant vivere cum uxore, tanquam cum sorore; nam qui solam uxorem cognoscit, licèt castè vivere dicatur, non tamen continenter; continens enim est; qui nullatenùs cum muliere rem habet. Debent ergo Sacerdotes esse cælibes, & hoc ex præcepto Ecclesiastico, non enim dicimus cælibatum esse adnexum Ordinibus sacris de jure Divino, cæterùm Ecclesia non dispensaret cum Græcis.

Quòd autem possit voveri castitas, constat exemplo Mariæ Virginis Luc. 1. *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quæ verba propter votum prolata notant SS. PP. Tum quia illud potest voveri, quod magis est Deo gratum si fiat, quàm si non fiat, hujusmodi est castitas; ergo potest rectè voveri. Minor constat ex prima ad Corinth. 7. *Igitur qui matrimonio jungit virginem suam benè facit: & qui non jungit meliùs facit.... Beatior autem erit, si sic permanserit secundùm meum consilium*. Nec valet dicere, quòd nemo potest scire an perpetuò possit servare continentiam, quæ est donum Dei; ergo quòd temerè vovetur continentia; nam etiam nemo potest scire an possit perficere peregrinationem, & alia quæcumque voventur; ergo nullatenùs licitum esset vovere, si teneret allata ratio, cum tamen Propheta dicat psal. 75. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro*. Licèt ergo nemo sciat an in perpetuum possit castè vivere; tamen benè vovetur castitas, cujus observantiam qui vovet, non reponit in propriis viribus, sed in Divino auxilio, quod Deus in hoc ab indè subministrat voventibus omnibus.

3. Oppugnant Missas privatas, & vult, quòd quando celebratur Missa, semper saltèm aliqui ex adstantibus debeant communionem accipere. R. Nam Protestantes illas vocant Missas privatas, in quibus Sacerdos non distribuit communionem, & hac de causa illas oppugnant, sed nullibi præceptum est deberi semper à Sacerdote celebrante communionem distribui; ergo &c. Tum quia ad sacrificium, prout est sacrificium, non requiritur, quòd multi, vel pauci intersint, sive quòd aliqui, vel nulli communionem recipiant; ergo ex hoc capite non potest impugnari Missa privata. Tum quia etsi adstantes non communicent de corpore reali Christi; tamen communicant de valore, & utilitate sacrificii, quod Sacerdoti consentientes offerunt pro salute animarum suarum. Vide Concilium Tridentinum sess. 22. c. 6. non autem necessè est ad sacrificium, ut semper sacramentaliter communicentur adstantes, sed satis est si communicent spiritualiter, & pro omnibus offeratur, ut explicat laudatum Tridentinum. Quòd autem Christus quando consecravit, etiam communicaverit Apostolos, non infert Sacerdotem semper debere adstantes communicare, sed quod, prout oporteat, fiat: & quidem id melius esset, ut Trident. monet, sed non semper expedit. Unde Christus hoc non præcepit, alioquin si solùm indigni adstarent, sequeretur ipsis distribuendum fore ex præcepto corpus Christi. Quòd autem Paulus prima ad Corinth. 11. redarguit eos, qui seorsim à pauperibus præsumunt in Ecclesia cœnam manducare, non loquitur de Missa, sed de quadam cœna, quæ in primitiva Ecclesia fieri solebat in communi, inter fideles, in memoriam ultimæ cœnæ. Aliqui autem fideles divites incœperant eam ad fastum convertere, & despicere pauperes; cum omnes ex charitate in eandem cœnam convenire deberent, imitatione Chri-

Christi. Unde monet eos, ut ad ejusmodi lautiorem cœnam peragendam abeant ad proprias domos, ne contemnant Ecclesiam Dei: *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? &c.*

4. Asserebat non esse necessarium exprimere in Sacramento Pœnitentiæ numerum peccatorum. R. in prima parte hujus Confessionis Augustanæ num.11.

5. Non admittebat traditiones. R. verbo *Biblistæ*.

6. Improbabat vota Monastica. R. Quia vota monastica paupertatis scilicet, obedientiæ, & castitatis commendantur in sacris paginis; sic de paupertate legimus Matth.19. *Si vis perfectus esse vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo*. Item ibidem: *Ecce nos reliquimus omnia*. De voto obedientiæ Matth.16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, de voto castitatis dictum est supra num.2. hujus secundæ partis. Tum quia horum trium votorum prærogativa est commendata in Conc. Tolet.4. cap.29. & Trid. atque aliis; in quibus votorum excellentia ostenditur: & constat satis ex eo, quòd qui vovet vitam religiosam, consecrat se Deo meliori modo quo potest, se enim submittit Deo, non solùm quantùm ad actum, sed etiam quantùm ad potestatem. Deinde voluntatem firmat contrariam tribus capitalibus hujus mundi malis, quæ sunt *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*. quo fit, ut liberiùs Deo vacare possit. Tum quia vovere non modò licitum est, sed Deo gratum; hoc enim expressè habetur in Scriptura Proverb.15. *Vota justorum placabilia*, & Eccles.5. *Si quid vovisti Deo non moreris reddere, displicet enim ei infidelis, & stulta promissio*. Psal. 65. *Vovete, & reddite Domino*. Quod autem vota non sint perniciosa libero arbitrio, dictum est contra *Apostolicos*. Quod verò votum fieri possit de re non præcepta, constat Gen. 28. ubi narratur qualiter Jacob votum Deo vovit; David etiam vovit constructionem templi, & tamen ista non erant præcepta à Deo, quo non obstante, semel ac vota facta sunt, Deus solutionem strictissimè exigit; ut patet Deuter. 23. *Cum votum voveris, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri absque peccato eris*. Demùm vovere est actus religionis, ergo vota non sunt improbanda. Quòd si vota fieri poterant in lege veteri; ergo etiam in Euangelica. Neque fit injuria Deo emittendo vota, nam hæc fiunt semper cum Divino beneplacito; placet autem Deo, non modò quòd faciamus, quæ ipse præcèpit, sed etiam quæ consuluit, si facere volumus, ideò falsum est, quòd votum fieri nequeat, nisi de re præcepta.

7. Declamabat contra auctoritatem Pontificis, & Episcoporum, asserens auctoritatem eorum præcipuè consistere in prædicatione verbi Dei, & Sacramentorum administratione. R. Nam Christus constituit Episcopos regere Ecclesiam Dei; ideò eorum auctoritas debet se extendere ad providendum circa ea omnia, quæ cooperare possunt ad bonum Ecclesiæ regimen. Tum quia Ecclesiam habere auctoritatem condendi leges constat Deuter. cap.17. vers.10. *Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te.* Item ad Romanos cap.14. ad Hebræos cap. ultimo vers.17. Demum secundà ad Thessal. cap.3. vers.14. legitur: *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur*, ex quibus, & aliis locis, satis constat Ecclesiam habere auctoritatem condendi leges. Quod autem legitur ad Cor.1. cap.7. *Nolite fieri servi hominum*, non probat fideles, non debere obedire superioribus Ecclesiæ, sed innuit nos debere hominibus obedire, non quà hominibus, nec inordinatis eorum placitis inservire, sed quà Dei ministris, quatenùs eorum jussa divinæ se conformant voluntati. Unde Luc.10. vers.16. habetur: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*.

Quia autem diximus Confessionistas in tres classes dividi, nempe in rigidos, mol-

molles, & extravagantes, ut de ipsis in communi aliqua notitia exhibeatur, quantùm colligere liquet ex Staphilo, Confessionistæ rigidi sunt illi, qui omnes Lutheri errores nullo excepto defendunt; hujusmodi sunt: *Antinomi*, *Samosatenses*, *Infernales*, *Antidæmoniacii*, *Amsdorphiani*, *Antidiaphoristæ*, *Antiosiandrini*, *AntisWenchfeldiani*, *Invisibiles*. Confessionistæ molles sunt Theologi Witembergenses, qui cum omnibus pacem habere student, & prædictis cordatiores videri contendunt. Lutheri rigida dogmata certo modo molire studentes; hujusmodi sunt *Biblistæ*, *Adiaphoristæ*, *Trisacramentales*, *Quadrisacramentales*, *Lutheroralvinistæ*, *Semiosiandrini*, *Majoristæ*, *Pœnitentiarii*, *Pelagiani novi*, *Sincretizantes*. Confessionistæ extravagantes Lutheri doctrinam in pluribus oppugnant, sed quia plures Principes confessioni Augustanæ subscripsere. runt, eorundem auctoritate permoti sequuntur, vel potiùs sequi se fingunt Augustanam confessionem. Sunt autem subdivisi, in *SWenchfeldianos*, *Osiandrinos*, *Stancarianos*, *Antistancarianos*, *Pelagianos novos*, *Manichæos novos*, *& Marcionistas*, de quibus omnibus, ut jam monitum est, sub proprio nomine agitur.

XVI. Confessionistæ rigidi, et molles. Vide verbo *Confessionistæ Augustani* in fine.

XVI. Confessionis Augustanæ æmuli. Orti sunt anno 1535. Suadebant Catholicis, ut salvo confessionis Augustanæ titulo, aliqua emendarent, & declararent circa substantialia fidei, & reliquos articulos silentio præterirent. Ex Edero p.2. tr.4.

XVI. Confessionistæ novi. Dicti etiam *Degeneres*, & *Anonymi*, reponuntur à Gravina inter Antilutheranos. Ut eorundem clarior notitia habeatur, recolendum, quòd diximus alibi, Melanctonem scilicet, sæpè confessionem Augustanam refecisse, & inter exemplaria hujus confessionis, unum extat à Melanctone mutilatum anno 1555. Ferdinando Cæsari oblatum; hoc exemplar se velle profiteri, obtestati sunt Confessionistæ novi, qui ideò vocabantur *Patroni castratæ confessionis*. In hac confessione oblata Ferdinando Cæsari, sequentes continebantur errores, quorum oppositum admittebat confessio Augustana.

1. Dicebant justas causas se habere deficiendi ab Ecclesia Romana. Repr. Nam nulla de causa licet veram abdicare fidem, quæ in sola Ecclesia Romana viget; nulla enim de causa licet recedere à veritate, & consequenter à doctrina Euangelica, quam dictavit ipsa veritas Incarnata. Veritatem, & puritatem fidei, solum contineri in doctrina, quam profitetur Romana Ecclesia, constat ex his, quæ in præparatione ad opus disseruimus.

2. Tridentinam Synodum non fore ab Electoribus, cæterisque Imperii Principibus, Augustanæque confessionis ordinibus agnoscendam. Repr. verbo *Acephali*.

3. Duo Sacramenta se recipere, non tria. R. verbo *Bissacramentales*, contra quos septem esse ostenditur.

4. Mutationem in Sacramento Eucharistiæ mysticam esse, non realem, &, substantialem. Repr. verbo *Berengarius*.

5. Orationes pro defunctis non admittebant. R. verbo *Aeriani novi*.

6. Exorcismum Baptizatorum contemnebant. R. Et primò dari in Ecclesia potestatem exorcizandi, negabit nemo, qui Euangelium admittat; quandoquidem Dominus hanc discipulis suis contulit potestatem, ut pluriès ibidem legitur: quam & ipse Dominus Jesus Christus, ad instructionem Ecclesiæ suæ exercuit. Propterea in Actibus Apostolorum etiam legitur cap.16. eadem virtute Paulum expulisse dæmonem à quadam puella. Sed quid manifestius in Ecclesia, quàm Christum, & Apostolos ejecisse dæmonia? & identidem fiunt hujusmodi prodigia in Ecclesia per ministros suos, qui energumenos liberant à dæmonibus. Exorcismus autem est invocatio Divini nominis, juxtà formam ab Ecclesia præscriptam, facta super obsessos, in cujus nominis virtute liberantur obsessi à dæmoni-

monibus; cum itaque homo nondum baptizatus, adhuc sit sub potestate diaboli, ritè ad eundem eximendum ab hac potestate, instituit Ecclesia, ut exorcizentur Catechumeni.

7. Crucis signum damnabant. Rep. verbo *Claudius Taurinensis*.

XVI. CONFESSIONISTÆ PROVINCIALES. Cum in Lutherana secta penè tot sint capita, quot sententiæ, non mirum tot diversas confessiones fidei prodiisse ex eadem secta. Hinc originem habuerunt Confessionistæ Provinciales, qui recipiunt pro verbo Dei illas confessiones, quæ à ministris singularum Provinciarum somniatæ fuerunt, ab ipsis ministris Provincialibus, suæ respectivè Provinciæ propositæ. Istæ confessiones ita variant inter se, ut penè tot sint fides, quot voluntates, & nonnisi confusionem opinionum in illis est invenire; & sicut ædificatores Babyloniæ Turris, inducta, ex Dei providentia, confusione linguarum, neque ad invicem loquentes percipi poterant, sic dixeris renovatum hoc portentum Dei permissione ad confusionem Protestantium, qui dum se erigere contendunt supra scientiam Sanctorum, propriam confiteri coguntur ignorantiam, dum neque sibi conscii sunt, quid sentiant. Confessiones Provinciales triginta quatuor numerantur, scilicet

Augustana prima
Augustana quattuor Civitatum
Augustana Castrata
Augustana Jenensis
Augustana Basileensis
Augustana Antuerpiensis
Augustana Lipsiensis
Genevensis
Cracoviensis
Petricoviensis
Transylvanensis
Posnaniensis
Constantiensis
Heildebergensis
Smalcaldensis
Tubingensis
Nordiliensis
Bernensis
Witembergensis
Luneburgensis
Lubecensis
Bremensis
Rosthoclinensis
Hamburgensis
Brantuicensis
Mansfeldensis
Duorum Ordinum Austriæ
Anglicana
Megapolitana
Rupellana
Saxonica
Ecclesiarum Scoticarum
Danicarum
Svetiearum

Errores, in quibus Confessiones Provinciales conveniunt sunt sequentes

1. Ecclesiam Romanam esse sedem Antichristi. R. Quia Antichristus dicet se esse Deum, & Christum fuisse purum hominem; sed nemo est qui has proferat blasphemias in Ecclesia Romana: ergo hæc non est sedes Antichristi. Tum quia Antichristus erit adversarius Petri, & destructor Euangelii, sed in Ecclesia Romana Petrus honoratur, & Euangelii propagatio promovetur. Tum quia Antichristus nondum venit, ut ostensum est contra *Bartholomæum Janovesium*. Tum quia signa, quæ debent præcedere Antichristum, indicata ab Euangelio, nondum præcesserunt, ergo &c. Immò fidenter dico ipsos Protestantes, seu quocumque alio nomine hæreticos, esse præcursores Antichristi, qui contra Christi fidem, quam supra firmam petram Romana Ecclesia custodit, debacchantur.

2. Sanctum Sacrificium Missæ esse abominationem. R. Quia Christus præcepit hoc fieri, scilicet hoc sacrificium offerri in sui commemorationem; hoc est illud sacrificium laudis, de quo ait Psalmista: *Immola Deo sacrificium laudis*. Insuper probatur Missam esse verum sacrificium, & consequenter non esse abominationem. Sic Malach. cap. 3. ubi prophetans de adventu Messiæ, ait: *Et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia*. Ad Hebræos 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro homi-*

 nibus

nibus constituitur in iis , quæ sunt ad Deum , ut offerat dona , & sacrificia pro peccatis ; sed aliud sacrificium non offertur à Pontificibus, ex hominibus assumptis, quàm sacrificium Missæ ; ergo Missa est sacrificium . Insuper Christus est Sacerdos in æternum, ergo debet dari sacrificium , quod Christus offerat per ministros suos, sed hoc aliud esse nequit, quàm sacrificium Missæ , ergo &c. Tum quia ex conjunctione regni , & sacerdotii, quæ facta est à Christo in populo Christiano , deducitur populum Christianum debere habere aliquod Sacrificium ; hoc autem aliud esse nequit, quàm Missa. Tum quia in Missa sunt omnia, quæ requiruntur ad verum sacrificium, ergo &c. Demùm Missam esse sacrificium constanter asserunt omnes Sancti Patres . Nec valet dicere , quòd in Missa nulla fit Hostiæ occisio , ergo Missa non est sacrificium ; quia ad rationem sacrificii non est semper necessaria Hostiæ occisio , sed sufficit Hostiæ Christum continentis consumptio , sicut in figura olim prænuntiatum fuit. Nam Melchisedech , qui obtulit panem,& vinum, non potuit utrumque inanime occidere , sed solùm consumere , & consumenda distribuere .

XVI. Confesstonistæ Recalcitrantes, recensentur à Gravina inter Lutheranos mixtos , illos scilicet , qui neque cum mollibus, neque cum rigidis sentientes , suam particularem sectam constituunt , sed partim ex mollibus , partim ex rigidis dogmata suffurantes . Tales sunt *SWenchfeldiani* , *Osiandrini* , *& Stancariani* , quorum errores sub his respectivè nominibus recensentur , & reprobantur .

XVI. Confessionistæ quattuor Civitatum, quos Gravina reponit inter Lutheranos , Rescius asserit esse Zuinglianos . Isti sunt cives Argentoratenses , Constantienses , Leidaviæ , & Meningæ, qui recusarunt subscribere , & recipere confessionem Augustanam ; aliamque confessionem à Bucero exaratam , in comitiis Cæsari obtulerunt , sed neque unanimes sunt in eadem confessione istæ quattuor Civitates : alitèr enim sentiunt Academici , alitèr Theologi , alitèr Nobiles , alitèr Artifiæ , & solùm conveniunt in oppugnanda Ecclesia Romana .

XVI. Confessores gloriæ Christi. Iidem sunt ac SWenchfeldiani , sic dicti , quia Gaspar SWenchfeldius gloriabatur se præcipuè assertorem esse gloriæ carnis Christi in glorificatione , quam Lutherani aut negligunt , aut impugnant.

VI. Cononitæ. Cononitarum secta, Severianorum , Theodosianorum , & Triteitarum errores propagavit , Duce quodam Conone Alexandrino Episcopo, per annos 48. Joannis Philopponi discipulo . Porrò Cononitæ , cum primùm Joannis Philopponi Alexandrini grammatici scripta , ab ipso contra Ethnicos composita comprobassent , postremò & auctorem , & elucubrationes ejus rejecerunt , quas anathemate confixerunt . Ex Nicæph.

1. Negantes tres Deitates admittendas in Divinis, contendebant tres Divinas personas esse tres substantias , & naturas per omnia similes . R. Nam concedere tres personas Divinas esse tres substantias , & naturas distinctas , licèt similes , est idem , ac dicere dari tres Deos , sed Deus aut est unus , aut nullus ; non secundum , ergò primum , ergò tres Divinæ personæ non sunt tres Divinæ substantiæ , & tres naturæ similes . Tum quia Joa. 1. cap. 5. legitur . *Tres sunt , qui testimonium dant in cælo : Pater , Verbum , & Spiritus sanctus , & hi tres unum sunt*; Tum quia si tres Divinæ personæ essent tres substantiæ , & naturæ diversæ , essent tres infiniti , sed hoc dicit contradictionem . Insuper ex rationibus , quibus evincitur Filium esse consubstantialem Patri , & Spiritum sanctum esse consubstantialem Patri , & Filio , confunduntur Cononitæ . Tum quia Deus est ens simplicissimum , ergo nequeunt esse in Divinis tres substantiæ diversæ . Nec valet dicere , quòd si una esset substantia in Divinis personis,etiam Pater , & Spiritus sanctus essent incarnati , nam unio inter humanitatem , & Divinitatem , non est facta inter substantiam Divinam , & humanitatem , sed facta

facta est inter personalitatem Filii, & humanitatem, quatenùs persona Filii supplet in Christo id, quod præstaret personalitas creata si esset; cum autem personalitas Filii sit realiter distincta, à personalitate Patris, & Spiritus sancti, ideò dici nequit, quòd tres personæ Divinæ sint incarnatæ, licèt una indivisibilis substantia sit in Divinis.

XVI. Conniventes. Inter Antilutheranos politicos etiam à Gravina reponuntur, tales vocantur à Rescio quidam Lutherani, qui afferebant.

1. Nec possibile, nec necessarium esse unitatem Religionis ubique conservari. R. Et quidem loquendo de possibili, scimus ex Euangelio, quòd *Fiet unum ovile*, *& unus Pastor* ergo potest unitas Religionis ubique conservari; maximè si Deus vellet, posset facere, ut omnes in vera fide stabiles permanerent, nihil enim Deo impossibile est, qui tamen ob sua imperscrutabilia judicia permittit hæreses esse. Esset autem opportunum unitatem Religionis ubique conservari, pro communi omnium salute, & etiam pro bono regimine politico, nam si unitas Religionis ubique conservaretur, orbis Christianus non pateretur bellorum incommoda, quæ ab hæreticis sæpè patitur.

2. Ex eo quod legitur *Oportet hæreses esse* deducebant, hæreses esse tolerandas. R. verbo *Confæderati*, ubi mens Apostoli circa proposita verba est explanata.

XVI. Conradus Genevensis. Tigurinus, sectà Lutheranus, Tiguri peste extinctus est. Fuit validissimo ingenio, plura conscripsit, quæ tamen utpotè referta erroribus circa fidem, potiùs auctoris ingenium denigrarunt, quàm illustrarunt. Ex Spondan.

* XVI. Conradus Cropeh in Polonia varias difundens hæreses Calvinismi, & Luteranismi, ibidem factus novatorem signifer, justa severitate ab Episcopo Cracouiensi coercetur.

VII. Constans Imperator Nepos Heraclii Imperatoris, imperium suscipiens, se hæreticum Monothelitam patefecit, quam hæresim summo studio propugnare studuit, & pro ea propaganda promulgavit Edictum, quod vocabatur *Typus*; Martinum Papam, & Martinum Abbatem ob damnatum Typum crudeli mulctavit exilio; tandem in Balneo necatus fuit. Vide *Monothelitæ*.

XVI. Constantinus Fontino Hispali Canonicus, ob hæresim ab Inquisitione publicè exustus, scripsit in Job, Proverbia, Ecclesiasten, & Canticum, *ex Tirino Com. in sac. Script. Tom. 2. in Indice*.

VIII. Constantinus, Copronimus dictus, quia dum baptizaretur stercum emisit, filius Leonis Isaurici, impiis, & impuris moribus obnoxius, sacrarumque imaginum infensissimus hostis, Concilium adversùs earum cultum collegit anno 754. exegit juramentum ab omnibus adversùs sacras imagines: etiam Monachos diris modis est persecutus, & quasi satis flagitiosus non esset, Nestorianum se quoque patefecit; fœdera cum dæmonibus occultè sancivit, profanavit Ecclesias, Sanctorum intercessionem edicto prohibuit. Reliquias Sanctorum exturbavit, brumalia more gentilium celebravit; & Sanctam Dei Genitricem horrendis blasphemiis est impetitus. Quoad invocationem Sanctorum. R. verbo *Vigilantius*, quoad imagines verbo *Iconoclastæ*. Ex Baron.

IV. Constantinus Indigena. Fuit non procul à Samosatis Armeniæ indigena quidam, nomine Constantinus, qui Manichæorum hæresim subdolis artibus promulgare studuit. Se Silvanum illum esse jactabat, cujus mentio fit in Pauli Epistolis. Cum videret Manichæos ubique capitali judicio puniri, & eorum libros comburi, finxit se Manetis doctrinam respuere, ut hac media fictione, facilius posset auditores suos decipere. Plures in suos traxit errores, qui verbo *Basilides*, *& Manichæi* confutantur; non modò enim Manetis, sed & Basilidis impia dogmata profitebatur. Tandem quasi alter Goliat ictu lapidis percussus decessit. Ex annal. Græc.

II. Constantinus Sacellarius Michae-

chaelis Cerularii Imperatoris, à Legatis Apost. sedis excommunicatur, ob conculcatum pedibus Latinorum sacrificium. Ex Baron. ann. 1014.

XVI. CONSUBSTANTIATORES inter Semilutheranos repositi à Gravina, vocantur ex Rescio illi, qui

Asserebant Corpus Christi esse in Eucharistia sub pane, cum pane, in pane, verè, & realitèr, ita ut simul, & semel maneat substantia panis, & adsit substantia carnis, ideò in Eucharistia non dicunt fieri transubstantiationem, sed consubstantiationem, quam lepidè impanationem vocant; idest delitescentiam corporis in pane, ex quo dicendi modo nomen sortiti sunt. Repr. verbo *Adessenarii*, & verbo *Berengarius*, contra primos enim ostensum est, Corpus Christi non esse nec sub, nec supra, nec cum pane; contra secundum probatur fieri transubstantiationem.

II. CONTINENTES. Creditur ab aliquibus continentium sectam à Marcione propagatam fuisse, & in hac sententia est P. Joseph de Turre lib. 4. suarum Institutionum quæst. 4. art. 8. Alii à Tarino hæretico originem traxisse sentiunt, & eosdem fuisse, ac Encratitas censent; in hac sententia fuisse videtur S. Irenæus lib. 1. cap. 31. Encratitæ verò dicti sunt continentes, eo quòd continentiam jactantes, damnabant matrimonium. Vide *Encratitæ*.

XVII. CONVENIENTES, sive CONFOEDERATI. Anno 1638. in Scotia facta est plurium confœderatio, qui novam contendebant inducere liturgiam, & Catholicæ Religionis cæremonias abrogare. Angliæ Rex hosce convenientes condemnavit, tanquam temerarios, & qui rebellionis essent fomentum, ex quo facta est regni divisio in duas partes, una quarum dicebatur *Confœderatorum*, altera *non Confœderatorum*. Regis damnationi adhæserunt secundi, primi verò in suâ opinione perstiterunt. Tria sunt potiora Confœderatorum capita; idest sustinendi prætensam religionem reformatam contra Ecclesiam Romanam, nec non adhærendi novæ confessioni fidei in comitiis generalibus Regni Scotiæ anno 1580. propositæ, & anno 1581. receptæ, tam quoad disciplinam, quàm quoad doctrinam, & condemnationem regiminis Ecclesiastici per Episcopos: resistendi insuper in his omnibus, ex quibus proposita confessio fidei posset recipere detrimentum. Ex Salmonet. in hist.

XVI. COPHTI subsunt Patriarchæ Alexandrino, qui Cayri in Ægypto suam sedem habet. Hoc nomine vocantur Christiani in Ægypto, qui penè omnes sectà sunt Jacobitæ, aut Monophisitæ, unicam in Christo naturam admittentes; lingua Ægyptiaca sacra peragunt, ex qua dicti sunt Cophti, eorum Presbyteri sunt uxorati, in Patriarcham tamen eligunt castitatem profitentem, qui absolutum habet totius Ecclesiæ dominium, cui duodecim Episcopi subordinantur. In electione Patriarchæ, non solum Episcopi, Presbyteri, sed & Primates populi votum habent. Extrema est hujus Cleri ignorantia, & Presbyteri, qui lingua Arabica loqui valent, & scribere, inter doctos recensentur. Infantes masculos post quadragesimum, & fœminas post octuagesimum diem baptizant. Solùm viri ad Sanctuarium ascendunt; ubi communionem sub utraque specie recipiunt; ad fœminas verò longè à Sanctuario sitas, communionem deferunt in calice intinctam. Eorum peculiares errores, præter illos quos habent communes cum Græcis, sunt sequentes. Ex Spond.

1. Repudiatis Uxoribus, alias ducunt, hoc licitè fieri posse asserentes, R. verbo *Abstinentes*, & *Armeni*, ubi de indissolubilitate matrimonii actum est.

2. Ter parvulum in Baptismo immergunt, & totidem vicibus formam Baptismi reiterant. Quantùm ad trinam immersionem, nihil esset objiciendum, quandoquidem eam S. Gregorius Papa approbavit, ut habetur in cap. de *Trina mersione*. Sed tamen quia ter Sacramentum, prolata forma perficiunt. R. Siquidem Baptismum non esse reiterandum dictum est verbo *Agrippinus*, sed reiterare immersionem, & formam, est reiterare Baptismum.

3. Se-

3. Septem Sacramenta enumerant, sed Confirmationem, Matrimonium, & Extremam Unctionem, ignorant, & eorum loco fidem, jejunium, & orationem substituunt. R. Quia Confirmationem, Matrimonium, & Extremam Unctionem esse Sacramenta constat ex sacris pag. juxta Traditionem Ecclesiæ; sunt enim signa sensibilia à Christo Domino instituta ad conferendam infallibilitèr gratiam, sed fides, jejunium, & oratio non possunt esse Sacramenta, cæterùm etiam mulieres possent esse ministræ Sacramentorum; Tum quia scimus non conferre infallibilitèr gratiam; plures enim sunt Pharisæi orantes, qui per solam orationem non remittuntur in gratiam; nec Christus Dominus tanquam signa gratiæ ea nobis reliquit; cum tamen Sacramenta sint signa ad placitum institutoris.

4. Negant Spiritum sanctum à Filio procedere. R. verbo *Græci*.

5. In Christo unam tantùm naturam, voluntatem, & operationem esse asserunt. R. verbo *Monothelitæ*.

6. Rejiciunt Concilium Chalcedonense. R. verbo *Acephali*, ubi ostenditur Concilia approbata à Summo Pontifice, cujusmodi fuit Chalcedonense, esse recipienda ab omnibus Christianis.

7. In pluribus ritibus peccant, quinquennes filios Diaconus consecrantes, & similia peragentes. R. Quia cum Ecclesia habeat auctoritatem condendi leges, maximè circa ea, quæ sunt de circumstantia Sacramentorum, standum est Ecclesiæ ritibus, nec licet ab uniformitate, & ritibus Ecclesiæ recedere, quæ quantùm potest, uniformitatem etiam in ritibus servat, ut magis Ecclesiæ unitas triumphet. Ecclesiæ autem legibus obtemperandum esse, alibi ostenditur, ideòque cum per suas leges Ecclesia sanciverit etiam circa tempus quo quis debeat sacris ordinibus initiari, iisdem legibus est obtemperandum, nequè pueri quinquennes possunt Diaconi ordinari; nec decet, cum sint inhabiles ministerio.

XVIII. COPHITI MODERNI. Præter modernorum Jacobitarum errores admittunt Circumcisione, quam more Judaico, unà cum baptismo utuntur, eamque ad salutem necessariam necessitate medii affirmant. Reprob. verbo *Abissinj*, *Aerarius*.

XVII. COPPINUS unà cum Quintino auctor fuit sectæ Libertinorum, porrò Coppinus Insulanus è Gallia profugus, errores suos in Barbantia, & Hollandia disseminavit. Vide *Libertini*, *& Quintinus*.

XVI. COPTI. Asserit P. Joseph de Turre Coptos esse nonnullus in Ægypto habitantes schismaticos, imò & hæreticos, qui Dioscori, & Euthychetis profitentur errores, sic dicti à Copto Thebaidis oppido, subsunt Patriarchæ Alexandrino. Crediderim ego Coptos eosdem esse, ac Cophtos de quibus suprà actum, sed quoniam Spondanus agit de Cophtis sub anno 1561.& Joseph de Turre reponit Coptos inter hæreticos seculi 6. videtur Coptos de quibus hic agitur diversos esse dicendos à Cophtis de quibus agit Spondanus; attamen cum Joseph de Turre assertum nullius fulciatur testimonio, & cæterùm quidquid ipse asserit de Coptis, verificetur de Cophtis, hos ab illis distinguendos non esse arbitrarer.

CORACION. Vide *Chiliastæ*.

XVI. CORNARISTÆ. Vide *Pellagiani novi*.

XVI. CORNELIUS AGRIPPA Lutheranus lib 3. de occulta Philosophia, negat Sanctorum animas post mortem introduci ad gloriam. R. verbo *Calvinus*, *Græci*, *Millenarii*.

XII. CORRERI, sive COTERELLI. Circa annum Christi 1179. elevati sunt Coterelli, ità scelesti, & flagitiosi ut potiùs prædones essent nuncupandi, nemini parcentes, neque ætati, neque sexui, omnia devastabant, furabantur, undique cædes faciebant, præcipuè in Provincia Bituricensi: plerique illorum absque Religione ulla viventes, hæreticis tamen patrocinabantur, ut hoc prætextu possent etiam Ecclesias, & Monasteria deprædari. Sub Alexandro III. contra ipsos congregatus est exercitus Cruce signatus. Correrii Gens perdita venerat ex partibus Aragoniæ, & Navar-

varræ aliisque finitimis regionibus, ideoque vocabantur etiam *Aragonii*, *Navarrii*, *Bretantiones*, *Basculi*, *& Tiaverdiones*. De eorum moribus nefandis, videndus est Baronius anno 1170. ut plurimùm more Paganorum vivebant. Bituricenses unà cum militibus Regis Philippi Augusti, contra Correrios unanimitèr impetum fecerunt, & septem millia hujusmodi perditorum virorum trucidarunt. Pluribus annis Correrii infæstarunt Horthodoxos, contra quos Petrus Cluniacensis, Templariorum Æquitum Magistrum suis literis excitavit. Aliqui autem ex Coterellis sequentes profitebantur errores.

1. Dicebant Beatam Mariam Virginem fuisse Angelum. Repr. verbo *Bagnolenses*.

2. Corpus Christi non esse glorificatum, & post diem Judicii futurum cadaver. R. Nam Corpus Christi ascendisse gloriosum in cælum constat ex actibus Apostolorum; Item in Symbolo legitur *Ascendit in Cælum*; sed corpus in cælo est glorificatum, ergo si Christus ascendit in cælum, ejus corpus est glorificatum. Insuper omnibus rationibus, quibus corporum resurrectio comprobatur, etiam evincitur corpus, quod semel resurrerit, nunquam futurum cadaver. Glorificatio autem corporum justorum, est pars mercedis, merces est æterna, ergo corpus semel glorificatum, semper erit gloriosum.

3. Animas Sanctorum non fore cælum ingressuras ante diem Judicii. Rep. verbo *Millenarii*.

XVII. Correspondentes vocati sunt Protestantes illi, qui fœdus anno 1609. sanciti sunt contra Cæsarem, & Catholicos, pro suæ partis amplificatione. Ex Spond.

VI. Corrupticolæ. Severus de quo agetur suo loco, cum inter alios errores, doceret Corpus Christi esse necessitate corruptibile, ut infra explicabitur, Corrupticularum auctor fuit, siquidem qui in hoc errore sustinendo pertinaciores fuerunt, Corrupticolæ sunt dicti, quibus se opposuerunt Incorrupticolæ, de quorum secta sub tali nomine differitur: utraque pars, tam Corruptibilium, quàm Incorruptibilium ex Euthychianorum secta progressa est. Anno autem 563. prævaluit Incorruptibilium secta, quando facta inter ambas partes contentione, pulsus est à sede sua Theodosius Episcopus Alexandrinus, Corrupticolarum fautor, & in locum ejus subrogatus est Gajanus incorruptibilitatis defensor, circa medium seculi sexti. Ex Corruptibilium sententia illud deducebatur absurdum, scilicet quòd si Corpus Christi fuit corruptibile, Christus aliqua ignoraverit. Sed neque sententia Incorruptibilium sub Catholicis terminis fuit explicata, sicut verbo *Incorruptibiles* dilucidabitur, ex quo explicandi modo Monothelitarum hæresis ansam accepit. Sed de his alibi. Quantùm ad præsens negotium spectat Corrupticolæ ideò sunt dicti, quia

Dicebant Christum vellet, nollet, ex naturæ ipsius necessitate passionibus subeundis obnoxium fuisse. R. Nam certum est laborum omnium, atque cruciatuum perpessiones, Christo Domino spontaneas fuisse, & liberrimè suscepisse; undè Joi 10. vers. 18. legitur *Nemo tollit animam à me, sed ego pono eam à me ipso*; & licèt eodem modo, quo nos patimur, Christus pœnas sit perpessus, non eadem tamen lege, nam ipse volens, ac libens corpus suum tradidit crucifigendum, quod ex pluribus aliis Scripturæ testimoniis colligitur.

V. Cosmiani. Mentionem facit Nicæphorus lib. 16. cap. 3 t. hist. Eccles. de quodam Cosmo Episcopo, qui vixit tempore Anastasii Imperatoris, circa finem seculi 5. & unà cum quodam Severiano, se à Communione Severi Episcopi disjunxerunt; misso hac de re ad Severum commendationis libro, quod cum delatum esset ad Imperatorem, Severianum, & Cosmum à suis sedibus statim ejici mandavit, quorum errorem à pluribus in Oriente defendi, Asiaticus ad Anastasium scribens retulit. Eorum dogma erat, quòd

Unam tantùm naturam in Christo pro-

profitebantur. R. verbo *Cerinthus*, & *Euthyches*. Tum quia si Christus unicam tantùm haberet naturam, vel esset tantùm homo, vel tantùm Deus, sed Christus est homo Deus, ut probatur contra Cerinthum, ergò Christus habet duas naturas. Tum quia si Christus non haberet duas naturas, plura quæ de Christo asseruntur in sacris paginis, non possent verificari, quæ ideò benè verificantur, quia sacræ paginæ sæpè loquuntur de Christo prout homine, aliquando de Christo prout Deus est. Sic ubi legitur: *Ego & Pater unum sumus*, & alibi *Pater major me est*. Primum intelligitur de Christo quà Deus, secundùm de Christo quà homo. Pater Joseph de Turre in suis institutis ad Verbi Dei intelligentiam lib. 4. quæst. 4. art. 8. mentionem facit de quibusdam Cosmianis, qui seculo 4. à Synodo Constantinopolit. 2. damnati præbuerunt assensum; citat Nicceforum lib. 4. Histor. Ecclef. cap. 11. sed ibi nullam à Nicceforo de Cosmianis mentionem factam invenio, qui nullibi de illis agit, nisi lib. 16. cap. 31. Recenset insuper Joseph de Turre tres fuisse horum Cosmianorum errores.

1. Verbum Dei nudum prædicabant, & sinè substantia: in alio verò esse, substantiam habere dicebant. Rep. verbo *Arius*, contra quem Verbum Divinum esse ejusdem substantiæ cum Pater asseritur.

2. Christum Deum non esse imaginem Dei ante secula, sed ex eo tempore esse factum Dei filium, ex quo nostram ex Virgine carnem assumpsit. R. ex his quæ dicta sunt contra *Accacianos*, *Anomæum*, *& Berillum*.

3. Regnum Christi initium habuisse in nativitate illius, & finem habiturum esse post consummationem, & Judicium. R. Ex ipso Christo dicente Joan. 18. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo*. Tum quia Christus sæpè protestatus est Apostolis, quòd ibat ipsis parare regnum æternum: invitat electos ad regnum ipsis paratum ab origine mundi, ideft ab æterno; ergo &c. Unde Scriptura dicit: *Regnum tuum, regnum omnium seculorum*.

XVI. Couraicius nomine Guillelmus Anglicanus, circa annum 1560. se opposuit Martino Malrorato, & pronunciare ausus est, Christum non Redemptorem mundi esse, sed deceptorem. Christi nomen esse fædum. In Symbolo ubi dicitur: *Et in Jesum Christum* mutavit, *& in Jesum Jesum* Protestatus est nunquam se nominaturum, vel confessurum nomen Christi. Damnatos esse dicebat quotquot credebant in Christum. Non indigent reprobatione ulteriori istæ blasphemiæ, à quibus vel bestiarum aures abhorrent.

VIII. Cozorenses, juxtà Gaulterium iidem sunt ac Concordenses, quos alii Cozofenses appellant. Vide *Concordenses, sivè Bagnolenses*; quia tamen Cozorenses præter Bagnolensium errores, & alios profitebantur, ab illis distinguendos esse arbitrarer. S. Antoninus 4. par. suæ Summæ tit. 11. cap. 7. dicit convenire cum Albanensibus. Peculiares Cozorensium errores sunt.

1. Duo principia rerum constituunt. R. verbo *Manichæi*.

2. Dicunt Deum non creare, nec infundere novas animas. R. Quia Deus Creator omnium est, sicut confitemur in Symbolo, & sæpè legimus in sacris paginis Deum fecisse cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt; animas autem creari à Deo, & infundi in corpore humano, eum sufficienter est organizatum, constat ex illo Gen. 2. 7. *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*; item ex his quæ dicta sunt contra *Apocaritas*, *Bagnorenses*, *hæreticos de Barulo*, & dicentur contra *Tertullianum*, sufficienter reprob. hic error.

3. Asserunt Christianis interdictum esse juramentum. R. verbo *Catharistæ*.

XIII. Credentes. Dicti sunt nonnulli ex Valdensibus, & Catharis, qui renuentes nominari à loco, vel ab auctore, sicut consueverant aliæ sectæ, *Credentium* sibi nomen imposuerunt, sicuti jam in primitiva Ecclesia credentes vocabantur Christiani. Cæterùm Credentes specialem sectam non constituerunt, excepta nominis variatione; cum Wiclefistis enim veram fidem abiicientes,

tes, eorundem erroribus fatis, & ultrà contaminati, à vera fide Credentium longissimè alieni vivebant.

II. Crescens Cynicus Christianam Religionem graviter est insectatus, præcipuè Romæ ubi degebat, & in eam obscæniùs est locutus. Tales fuerunt contra Christianam Religionem omnes Philosophi Cynici, qui unà cum Epicureis sentientes, Christiani nominis erant infensissimi hostes; Eorum causà Christiani multa sunt passi. Crescentem Cynicum sæpè convenit, & redarguit Justinus ex Philosopho Christianus, qua de causa eundem licèt non hæreticum, sed Gentilem, utpotè tamen Christianæ Religionis detractorem, in hoc hæreticorum Catalogo non reticendum censuimus.

V. Cresconius. Grammaticus Donatistarum acerrimus defensor, acerrimè fuit à D. Augustino, in quatuor libris contra Cresconium, ab eodem S. Doctore conscriptis, confutatus. Risu dignum est, quòd Cresconius, cum Divi Augustini objectionibus respondere non valeret, contra ipsum instituit quæstiones grammaticales, Augustinum redarguens, quòd Donatistas vocaret eos, qui Donato adhærebant, cum potiùs essent (ut argumentabatur Cresconius) in rigore grammatico Donatiani dicendi; utrumque sanè rectè dici posse perspicuum est, sicut ab Euangelio, dicuntur Euangelistæ; sed hanc quæstionem à Grammatico institui decebat, qui cum nesciret Theologicis rationibus suos defendere errores, ad grammaticam confugit, quo factum est, ut se nullatenùs Theologum, quidquid sit de grammatica, comprobaret.

IV. Crispinus Episcopus Calamensis, instigavit Circumcellionum exercitum in Christianos, à quo exercitu Christiani multa passi sunt, & plures interfecti, quæ narrat Baronius.

Crispinus. Vide *Beza*.

IV. Curbicus. Fuit conditione servus; inserviebat siquidem cuidam Viduæ, apud quam profugus Terebintus decesserat; relictis in potestate Viduæ pecunia, & libris, quæ hac de causa servum suum nomine Curbicum adoptavit, & erudiendum curavit; Curbicus ne hoc servile nomen esset ipsi contumeliosum, in Manetis nomen transmutavit; idem est ergo Curbicus, ac Manes, de quo plura sub ejus nomine.

XVI. Currus Stercorum. Inter Antichristianos, qui totam fidem subvertunt, & Athei meritò sunt appellati, reponuntur à Gravina illi, qui sunt de hac sectà, ortà Hollandiæ anno 1590. hoc fætido nomine insignita, cum sit omnium putidissimarum hæresum, atque blasphemiarum vehiculum, in quod conscendunt novi Atheistæ. Qui sunt de hac hæresi habent pro lege stimulos sensus, quibus parere non horrent, nec alium Deum agnoscunt, nisi depravatum genium, cui obtemperant.

II. Cynici Philosophi Epicurei, maximè fuerunt infensi Christianæ Religioni, quorum depravatos mores, & insolentiam testatam reliquit, præter alios Scriptores S. Gregorius Nazianzenus. Volunt aliqui sic dictos fuisse à Cynozarge gymnasio, in quo convenire solebant; sed probabiliùs est, quòd cum ad instar canum ubique, omni pudore sublato, coirent; hinc Cynicos fuisse dictos.

XVII. Cyrillus Lugar, natione Græcus, adhuc adolescens, primùm Venetiis, deinde Patavii studiis operam dedit, mox Germaniam profectus, cum Protestantibus fœdus strictissimum iniit, & multùm elaboravit, ne in Lithuania Lutherani abjurata religione, ad Romanam Ecclesiam reverterentur. Constantinopolim reversus, primùm Patriarcha Alexandrinus, mox Constantinopolitanus fuit inauguratus, fidei Græcæ, Turcicæ, & Calvinianæ mixtura prodigiosus, misit aliquos adolescentes Græcos in Hollandiam, ut ibi Calvinianam hæresim discerent, quam in Græciam reversi postmodum spargerent. Quandam confessionem fidei exposuit, ex quà constat eundem acritèr Calvinianos errores fuisse professum, vix enim aliquid Græcæ fidei consonum in illa est reperire, sed potiùs Calvinianæ fidei protestatio est nuncupanda. A sua sede expulsus, jubente Ace-

Acemete, tunc regnante, extrangulatur, anno 1635. Ex corruptà confessione fidei, Calvinianis erroribus infecta, quam Cyrillus Lucar exposuit, ansam accepit Claudius Carentoniensis sustinendi Calvinianam doctrinam, Orientalibus dogmatibus esse conformem. Vide *Claudius Carentoniensis*.

V. Cyrola ille est Episcopus, sectà Arianus, in Africæ urbe degens, qui cum hominem se cœcum fingere, & ab ipso liberatum simulare doceret, verè cœcum effecit. Ex Bar. ann. 489.

IV. Cyrtiani dicti sunt etiam Phytesiani, procurante ut ipsis imponeretur hoc nomen quodam homunculo nullius momenti, qui cum Cyrtianis sentiebat. Progenies fuerunt Arianorum, qui circa an. 360. ut refert Theodoretus hæret. fol. lib. 4.

Dei filium Patris servum prædicabant. R. verbo *Arius*.

VII. Cyrus Alexandrinus primò fuit Phasidis Lazorum Episcopus, ubi cum Heraclio Imperatore amicitiam strinxit, à quo etiam fuit ad Ecclesiam Alexandrinam translatus; pertinax factus Monothelitarum defensor, in errorem suum pertraxit Sergium Constantinopolitanum Episcopum, multosque sub nomine Catholico decepit, & in suum errorem deduxit. Celebravit Alexandriæ Concilium, imò Conciliabulum, in quo per novem capitula Monothelitarum hæresim comprobare, sed inutiliter nitebatur. Scripsit contra Cyrum S. Sophronius Episcopus Jerosolymitanus, & Cyri scripta in Synodo Romana sub Martino I. Pontifice confutata fuerunt, cum ipse Cyrus jam fuisset ab Honorio Papa proscriptus, ejusque memoria in sextâ Synodo œcumenica damnata.

D

IV. Dadoes unus ex præcipuis Messalianorum hæresis ducibus, natione Gallata; tempore Joviniani Imperatoris, & Liberii Papæ circa annum Domini 347. referente Niceph. Eccl. Hist. lib. 11.

1. Docuit orationem solam sufficere cuicumque homini ad consequendam salutem. R. verbo *Adelphius*.

2. Dixit nullam utilitatem ex sacro Baptismate baptizatis accedere, sed solùm studiosam orationem dœmonem inhabitantem effugare, & peccata tam originalia, quàm actualia delere. R. Ex his quæ dicta sunt contra *Bucerum*, *Fulgentium*, *Arconticos*, & *Armenos*.

XVI. Dalleus. Joannes insignis minister Calvinianus, vixit currente seculo 16. in Diœcesi Pictaviensi natus, patre Gabelli munus exercente Pictavii; ibidem studiis operam dedit, deinde Italiam, Germaniam, Hollandiam, & Angliam percurrens, viros scientià celebres invisere, & cum ipsis amicitiæ fœdus inire studuit. Venetiis à Paulo Svavi rogatus fuit, ut ibidem suum stabiliret domicilium, sed Galliam reversus Protestantium minister in urbe Barentoniensi eligitur. Demùm Parisiis anno 1670. decessit; vir propter suam eruditionem apud Protestantes summæ auctoritatis. Plura scripsit ad confirmandos Protestantium errores, inter quæ Apologiam Ecclesiæ reformatæ edidit. Filium habuit nomine Adrianum, qui etiam ministri munus inter Protestantes exercuit. Dalleus in suis scriptis præcipuè invehitur contra cultum sacrarum Reliquiarum, quem quarto tantum seculo incepisse asserit. Impugnat invocationem Sanctorum in cælo regnantium. Dilationem etiam beatitudinis Sanctorum in cælo regnantium usque ad extremum Judicii diem protendit, quorum invocationem tribus prioribus Ecclesiæ seculis non fuisse receptam, contendit. Demùm contra Virginis Mariæ cultum etiam scripsit: sed suas futilationes facilè est confundere, cum nonnisi perperàm intellectis Scripturæ, vel Patrum

testimoniis munierit. Dalleum abundè, & eruditè confutat Nat. Alex. ad quem lectorem remittimus.

VI. DAMIANISTÆ. Ex Acephalis, plures sectæ sunt propagatæ, quæ vel à loco, vel à propagatore nomen sortitæ sunt. Sic Damianistarum secta à quodam Damiano Episcopo Acephalorum est nuncupata; porrò illæ sectæ ab Acephalis propagatæ, cujusmodi sunt *Caucobabditæ*, *Angelitæ*, *Damianistæ* non differunt in erroribus, sed solùm penès diversum nomen discernuntur; cæterùm in omnibus cum Acephalis sentiunt.

XVI. DANIEL TILENUS Silesius, Theologum Senadi agebat, fuit minister Calvinianus, sed mollibus Arminianis adhærens, potiùs quam rigidis, de reeondita Incarnati Verbi unione hypostatica, naturarum distinctione, proprietatibus, & officiis pugnas verbo, & scripto edidit, sed ejus doctrina fuit ab ipsis Calvinistis reprobata; mox enim cum Euthyehete, mox cum Nestorio sentire videbatur.

VI. DANIEL SYRUS. Sic dictus, quia ex Syria oriundus, inter Syros doctor, secta fuit Jacobita: composuit Breviarium constitutionum Ecclesiæ Jacobitarum linguà Arabicà.

DANIEL BICHLENSTRI. Vide *Judæotrinitarii*.

XVII. DANIEL CAMERIUS minister Calvinianus, quem aliqui Metaphoristarum auctorem faciunt, procul dubio fuit Metaphoristicæ sectæ acerrimus defensor: præfuit aliquibus conciliabulis Calvinistarum, quippè erat eloquio facundus, sed non minùs ambitiosus, quàm seditiosus, nunquam destitit turbas facere contra Regem Galliæ. Decessit in obsidione Montalbanà anno 1621. ictu tormenti bellici percussus, dum ibi ministri simul, & militis munere fungeretur.

1. Dixit cum Metaphoristis filium Dei non esse propriè Verbum, aut imaginem Dei Patris, sed tantùm metaphoricè. Repr. Jo: 1. *In principio erat Verbum; & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: & Verbum caro factum est*. De Verbo legitur Matth. 17. *Hic est Filius meus dilectus*, & Jo.3.v.16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, ex quibus textibus apertè evincitur filium Dei esse propriè Verbum; non metaphoricè Verbum esse Incarnatum, sed realiter, ergo &c.

XVI. DAVID GEORGIUS professione Vitriarius, natus Gandavi in Flandria, cœpit anno 1525. promere suos errores; ad tantam stultitiam devenit ejus impietas, ut se tertium Davidem, verumque Messiam dilectum Dei filium, non ex carne, sed spiritu natum assereret, qui peccata verè condonaret, aut reservaret, qui judieaturus esset in novissimo die; atque ideò se esse altero Christo majorem, qui ex muliere carnem assumpsisset. Tanta fuit nonnullarum mulierum dementia, ut se beatas putarent, si ex ejus semine eoneiperent: Dei quoque nepotem se promulgabat; effutiebat insuper Celum esse prorsùs vaeuum, seque missum ut domum Israel repararet, non per mortem, ut alter Christus, sed per gratiam; fuit vir magno, ni perverso ingenio, magisque perversis moribus: omnium linguarum, exeeptà suà Hollandica, rudis; nihilominus cum feris, & avibus quacumque lingua se loqui gloriabatur. Magum fuisse, & suà magià multos dementasse, asserit Lindanus, sed eum persequente Carolo Imperatore, Basileam se contulit, ubi in *Joannem à Bruch* mutato suo nomine, ibi usque ad mortem, cum aliquot discipulis suis, pariter incognitis delituit. Fovebat tamen per litteras suam hæresim, quæ adhuc nunc temporis in Hollandia, & Frisia vigere asseritur. Immortalitatem suam vivens jactitaverat; & in articulo mortis constitutus, se resurrecturum, tribus annis à suo decessu, promisit discipulis suis, qui omnem spem resurrectionis futuræ in magistro suo amiserunt, cum ejusdem corpus anno 1559. Senatus Basileensis decreto effossum, per carnificem, unà cum suis libris, comburi conspexerunt.

1. Negabat resurrectionem mortuorum. R. verbo *Basilidiani*.

2. Ne-

2. Negabat Extremum Judicium. R. verbo *Borboriani*.

3. Negabat dari spiritus bonos, & malos. R. Ex Scriptura, ubi dari Angelos, qui dicuntur spiritus boni, & dœmones, qui dicuntur spiritus mali asseritur; illi nos ad bonum hortantur, adjuvant, & custodiunt, quemadmodum legitur in psalmo: *Qui habitat*. Isti, ut ait S Petrus, *circumeunt ut devorent*; tentationibus nos impetunt, ad malum provocant; quibus proinde resistere fortes docemur. Dantur etiam inter homines, mali, & boni, scilicet justi, qui ambulant in lege Domini, & peccatores, qui justificationes Domini non requirunt, ejus legem contemnunt. Tum quia dari spiritus certum est, ergo vel sunt boni, vel mali; non enim datur status medius inter hoc, quod est, vel esse in statu gratiæ, vel esse in statu culpæ. Vide verbo *Dositheus*.

4. Matrimonium ejiciebat, jubens communia esse fœminarum cubilia. R. verbo *Adamitæ*.

5. Dicebat viros non debere unæ uxori se adstringere, sed plures debere ducere ad augendam prolem. R. Ex lib. Genes. quoniam Deus masculum, & fœminam unam tantum posuit in paradiso terrestri: deinde Christus Dominus in Euangelio dixit, mœchari eum, qui cum unam uxorem habeat (etsi eam dimittat) aliam duxerit. Paulus etiam Apostolus unius tantùm uxoris, semper assertor est. R. insuper verbo *Bernardinus Ochinus*, contra quem ostenditur, non esse licitam uxorum pluralitatem. Nec valet ratio de augenda prole; hanc enim satis augeri, ex eo, quòd unus vir, unam tantùm uxorem ducat, experientia constat. Adde, quòd ex centum viris, qui nascuntur, si demus eos, qui in statu juvenili decedunt, qui in castris moriuntur, & ut plurimùm uxorem non habent, qui voluntariè cælibes vivunt, qui Religionem profitentur, qui sunt impotentes; certum est, quòd vix decem uxorem ducunt; & tamen si fame, bello, peste, & terræmotu non interirent homines, tanta esset virorum multitudo, ut vix terra ad eorum victum sufficeret: non obstante, quòd unum virum, unam uxorem tantùm, ferè in toto orbe, habere commune sit; non ergo ad augendam prolem necesse est nostro tempore unum virum plures uxores ducere, etsi aliquando fuit necessitas augendæ prolis, hoc certè fuit in antiquis, dumtaxat mundi seculis, in quibus, Deo prout oportebat dispensante, multiplicandæ erant credentium generationes, vel illis temporibus, quibus genus humanum erat ejusmodi dispensatione propagandum. Cessante autem necessitate, cessavit dispensatio, & humana natura suo primordiali juri restituta est, ut mulier corporis viri integram haberet potestatem, sicut vir mulieris, prout monet Apostolus.

6. Dicebat animam peccatis non coinquinari, sed corpus. R. Nam certum est peccatum originale contrahi non à corpore, sed ab anima. Insuper corpus est tanquam instrumentum ad bonum, vel malum; cæterùm anima illa est, in qua subjectatur malitia, illa est, quæ negat, vel ponit rectitudinem in actibus debitam; ergo illa est, quæ peccatis coinquinatur. Tum quia Angeli, qui sunt puri spiritus, sinè corpore prævaricaverunt; ergo peccatum non est in corpore, sed in anima. Tum quia peccatum est de genere infirmitatis moralis, immò & mortis, ut probant omnes Theologi; ergo non est in corpore, sed in anima. Insuper peccatum est à libero arbitrio, liberum arbitrium est in anima, ergo peccatum est in anima. Neque ex illo, quòd legitur ad Romanos 6. *Vetus homo crucifixus est, ut destruatur corpus peccati*, & ibidem: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*, potest inferri, quòd tantùm corpus coinquinetur peccato; nam in primo textu Apostolus, per corpus peccati, intelligit congeriem peccatorum, quàm destruxit Christus moriens in cruce; in secundo verò, per ly *peccatum regnare in corpore* Apostolus intelligit concupiscentiam, quæ pertinet ad corpus sensibile; & quatenùs ad peccatum nos impellit, voca-

vocatur peccatum, non quòd in re sit peccatum; nam Apostolus ibi sumit peccatum pro causa peccati; Concupiscentiam enim, non esse peccatum, ostendetur contra Lutherum.

7. Sola corpora damnanda, & animas tam fidelium, quàm infidelium salvandas. R. Et quidem animas infidelium non esse salvandas, constat ex sententia, quam proferet Christus in extremo Judicio, loquens ad peccatores: *Ite maledicti*, ubi non dicit: *Eant corpora*, sed *Ite in ignem æternum*, quia tam anima, quàm corpus cruciabuntur; & præcipuè anima debet cruciari, cum ipsa sit tota causa peccati, imò magis cruciabitur anima, quæ habebit in inferno cognitionem privationis beatitudinis, quà incapax est corpus; licèt etiam corpus quodammodò pœnam damni patiatur, privatum felicitate beati finis, qui toti homini convenit. Quòd si tantùm corpora essent damnanda, jam dæmon, cui paratus est ignis, esset immunis à pœna. Animas autem infidelium, non esse salvandas, constat Matth. 52., ubi Christus pronunciat sententiam ignis, contra peccatores, quia non servaverunt præcepta divina: *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, sitivi &c.* Quòd si animæ etiam infidelium essent salvandæ, superfluum esset Christum præcepisse bona opera, sinè quibus impossibile est placere Deo; nam cum sinè fide nemo possit salvari, & fides sinè operibus mortua sit; hine liquidò constat infideles non posse salvari, sivè sint infideles, quia non credunt Euangelio, sivè quia fidem Dei, bona opera præcipientem, non servant. Tum quia si infideles etiam sunt salvandi, superfluum foret Christum præcepisse Apostolis, ut prædicarent Euangelium omni creaturæ, cum dixit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.*

8. Dixit corpora omnia, etiam Apostolorum, damnanda, & cremanda. R. Ex his, quæ supra dicta sunt. Tum quia corpus Christi resurrexit gloriosum; corpus Virginis assumptum est in gloria, & sicut corpus peccatoris, quod fuit instrumentum peccati, damnabitur; corpus justi, quod fuit instrumentum bonorum operum, est glorificandum; de qua glorificatione satis apertè loquitur Apostolus Paulus ad Philip. 3. ita ut non possit remanere dubio locus; Quòd si omnia corpora forent cremanda, superfluum esset tot homines sanctos, & justos, hic mortificare corpora sua; sed quis hoc asserat? utique nonnisi in dœmoniacà Davidis Georgii schola educatus.

9. Dicebat non esse peccatum Christum negare coram hominibus; unde stolidos fuisse accusabat Apostolos, & Martyres, qui ea de causa mortem subierant. R. Ex verbis Domini: *Qui me confessus fuerit coram hominibus &c.* R. Etiam verbo *Elchezaita*, contra quos probatur, Christum negare esse peccatum; ex quo sequitur non stultè, sed sapientèr egisse Sanctos Apostolos, & Martyres, cum digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati; scientes sic se promereri Dei dilectionem. Tum quia martyrium est actus fortitudinis, patientiæ, charitatis, & fidei: remittit omnem pœnam peccato debitam, tàm æternam, quàm temporalem: est via efficacissima perveniendi ad immarcescibilem coronam; ergo sapientissimè egerunt, qui hisce de causis mortem pro Christo subiere; sicut non stultus, sed sapiens diceretur, qui in paupertate constitutus, sciens post mortem se resurrecturum, & futurum Regem, mortem subiret.

10. Dicebat omnem Moysis doctrinam, Christi, Apostolorum, & Prophetarum, inutilem esse ad salutem consequendam, & tantùm traditam, ut homines quasi pueros, usque ad suum adventum coerceret, qui veram promulgaturus esset doctrinam perfectam, & hanc solam posse homines beare blaterabat. R. Nam cum sacra scriptura sit verbum Dei, Deus autem ipse dicat: *Fructus vitæ sunt verba Dei*, & Jo 8. *Qui ex Deo est verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia de Deo non estis*; hinc manifestè evincitur

tur non inutilem, sed necessariam esse ad salutem observantiam eorum, quæ in scripturis præcipiuntur, unde Christus ipse ait: *Scrutamini Scripturas*. Ecquis adeò insanus, ut inutilem dicat doctrinam de diligendo Deo, quam continet utrumque Testamentum? Utilitatem Scripturæ, satis proclamant unanimi ore sancti Patres, qui in ejusdem studio insudarunt, scientes ibi veram contineri philosophiam moralem; ibi veram scientiam ibi legem vitæ, & disciplinæ: quapropter ad rem. 2. Petri cap. 1. *Hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ, propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*.

11. Nulla vera miracula fieri in Ecclesia. R. verbo *Morbach*.

12. Dixit Baptismum esse abominandum. R. verbo *Arcontici*, *Armeni*, & *Alascani*.

13. Angelos existere negavit. Rep. verbo *Dosithæus*.

XVI. David Chytreus, sectâ Lutheranus, orationem habuit anno 1569. editam Francofurti, anno 1580. *De statu Ecclesiarum hujus temporis*, in qua docuit in universo orbe Christianos esse, qui ab ipsa Ecclesia Romana, circa doctrinæ substantiam, ac Missæ sacrificium, non discrepant, exceptis nonnullis cæremoniis exigui momenti; sed contraria huic orationi, fuit opinio, in qua asseruit anno 600. apparuisse Antichristum, & primum Antichristum fuisse Gregorium Magnum. R. verbo *Bartholomæus Janovesius*, contra quem asseritur nondum venisse Antichristum. D.autem Gregorii Magni sanctitas orientalis, & occidentalis Ecclesiæ veneratione illustratur, atque tot tantisque est commendata miraculis, ut facilè obstruatur os, contra S. Pontificem, loquentis iniqua. Quomodò Antichristus, qui Christi gloriam in suis operibus non cessavit commendare? Quomodò Antichristus, qui Christi causam, contra sui temporis hæreticos, adeò strenuè defendendam suscepit? Vide Bellarm. l. 3. de Rom. Pontif. c. 3.

XIII. David Dinantius Magistri sui Almarici hæreses professus, libros scripsit damnatos & exustos Parisiis, à D. Thoma confutatos; sed præter Almarici errores, prout refert Spondanus anno 1204.

1. Docuit Deum esse materiam primam. R. Hic error à D. Thoma lib. 1. contra Gentes cap. 7. Tum quia Deus est purissimus spiritus, ut constat ex Scriptura. Tum quia Deus est ens simplicissimum, ergo non potest venire in compositionem compartium, sicut convenit materiæ primæ. Tum quia materia prima est susceptiva omnium formarum, & est sub continuo motu, quatenùs ab una forma transit ad aliam, sed Deus est immutabilis. Tum quia Deus creator est omnium, & consequentèr creavit materiam primam; ergo non potest esse materia prima. Tum quia omnes formæ sunt perfectiores materià primà, ergo si Deus esset materia prima, Deus non esset summa perfectio; immò esset omnium entium ens imperfectissimum.

XVI. David Pareus, sectâ Calvinista, objicit quòd Catholici probant Ecclesiam per scripturam, & scripturam per auctoritatem Ecclesiæ; ex quo infert Catholicos nihil probare, quia in suis probationibus committunt circulum. R. Nam Catholici probant veritatem Ecclesiæ per Scripturam, quam admittunt hæretici, ergo non committunt circulum. Vera esset Parei propositio, si Catholici probarent Ecclesiam per Scripturam contra Ethnicum, qui non admittit sacras Scripturas, sed contra illos, qui non admittunt Scripturam, Catholici defendunt veritatem Ecclesiæ, aliis argumentis, de quibus actum in Prodromo ad opus. Vide Beccanum qui Pareum impugnat.

V. Decacerati. De his hæreticis mentionem facit S. Theodorus studiensis præpositus. Vocabantur Decacerati, quia decem profitebantur errores: anathemate damnati sunt à B. Sophronio, in libello ab eodem Sophronio hac de re edito. Hujus hæresis fautores præcipui fuerunt quidam Barzanufius, Esaias, & Do-

Dorotheus; quantùm colligere liquet ex testimonio prædicti S. Theodori. Decacerati sentiebant in omnibus cum Acephalis, & verè Acephali dicendi sunt, quia plures hujus factionis simul uniti, quemadmodum de Acephalis narratur, hæresi initium dederunt, neque præcipuus eorum auctor detectus est, à quo originem habuerint; Quales fuerint peculiares Decaceratorum errores, non reperi, non enim B. Sophronii libellum alium vidi, nisi quem scripsit ad Leonem Papam, contra Dioscorum; & ejus acta contra Monothelitas, atque impugnatores S. Imaginum, quæ omnia in Bibliotheca Conciliorum referuntur. Cæterùm cum S. Theodorus in suo testamento, sive confessione fidei, præcipuè illas veritates Catholicas sit professus, contra quas hæretici tunc temporis blaterabant, quales erant Decacerati; & in eodem testamento, asserat se recipere omnia Concilia œcumenica, adorare sacras Imagines, credere Sanctos esse intercessores pro nobis, venerari reliquias Sanctorum, recipere sacram Scripturam, & venerari scripta S. Patrum, Monachorum Institutum commendare, hinc potest deduci has omnes veritates fuisse ab hæreticis Decaceratis impugnatas, quibus septem erroribus, si & tres Acephalorum errores addantur, quoniam cum Acephalis, ut suprà dictum est, Decacerati sentiebant, decem fuisse Decaceratorum errores traditur, & non obscurè ex dictis colligi videtur; præfati autem errores, alibi in hoc opere reprobantur.

XII. Decanus Ecclesiæ Pictaviensis Presbyter fuit, & Schismaticus quippè qui dicebat esse Acephalos, qui non adhærebant Anacleto Antipapæ. Studuit Bernardus Abbas, ad hoc specialitèr, ab Innocentio vero Pontifice delegatus, reducere Pictavienses ad meliorem frugem, quare cum ad ipsos accessisset, & in eorum Ecclesia celebrasset, Decanus Schismaticus Altare confregit, in quo S. Doctor sacra peregerat; sed non fuit Decani factum impune; nam paulò post animam exhalauit, adstantibus visibilitèr dœmonibus, à quibus jugulari exclamabat, cultellum à circumstantibus postulans, quem immergeret gutturi suo, ut extracto Dœmone viveret, inter quæ verba, fuit à Diabolo extinctus. Ex Bernardo Abbate Bonævallis, in vita S. Bernardi lib.2. cap.6.

XVI. Deistæ dicti etiam *Trinitarii*, & *Neatiani*, vel *Ariani novi*, anno Domini 1564. ex Lutherana secta exorti sunt in Polonia, & Galliam irrumpentes, anno 1566. Lugduni suas impias assertiones promulgarunt, sed adeò intricatas, obscuras, & variabiles, ut difficilè sit percipere quid velint exprimere. Horum auctor fuit quidam *Gregorius Pauli*, minister Cracoviensis, adeò effrenatus, ut suprà Lutherum, & Calvinum, revelationes divinitùs acceptas jactaret, meliùs dixisset à diabolo; etenim non nisi in diaboli schola Lutherus, & Calvinus fuerunt edocti. Sibi soli reservatam Antichristi occasionem asserens; schema produxit ad instar templi, in cujus tecto erat Lutherus, tegulam projiciens, cujus parietes Calvinus concutiebat, & fundamenta ab ipso subversa repræsentabat; adita hac inscriptione. *Non omnia Deus Luthero dedit, plura Calvino: mihi, & meis majora*. Sic superbè, & effrenatè de seipso, & suis Deistis sentiens, quem cum sectatoribus suis, impugnavit Joannes Wigandus in lib., quem expressè contra hos hæreticos exaravit, quorum errores erant.

1. Pater, Filius, & Spiritus sanctus tres sunt, sed non tres Personæ. R. verbo *Angelitæ*. Tum quia Filius est Persona diversa à Patre, & Spiritus sanctus à Patre, & Filio, quia Filius est à Patre, & Spiritus sanctus ab utroque; qui enim est ab alio, non potest esse idem cum illo; à quo est, nihil enim est, seu refertur ad se, sed ad alium. Quòd Filius sit à Patre, & Spiritus sanctus à Patre, & Filio, proclamant sacræ paginæ; ergo Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt tres Personæ. Tum quia per Deitas sunt tres; ergo tres Personæ; nam non tres Dii, hoc enim contradictionem involvit,

vit, non tres naturæ hoc siquidem idem esset, ac profiteri tres Deos; ergo tres Personæ; Tum quia nomina numeralia afficiunt semper, vel Personam, vel suppositum, vel subsistentiam, quando cadunt supra res à parte rei; ergo cum per Deistas Pater, Filius, & Spiritus sanctus sint tres, neque esse possint tres naturæ, reliquum est, ut concedant esse tres Personas.

2. Una est natura, seù Deitas, illis tribus communis, sed non una essentia. R. Quia in Divinis una est Deitas, ac natura, ac essentia, sicut etiam in creatis idem est humanitas ac essentia Petri, ergo si una est Deitas, illis tribus communis, etiam una esse debet essentia illis tribus communis; pugnat tamen hæc propositio cum primà in sensu Deistarum, nàm si una non est essentia illis tribus communis, ergo diversa erit essentia in singulis illis tribus singularis; ergo illa tria erunt tres Personæ Divinæ, (quamquam diversas in essentia hæreticè dicerent) quod negant in primà, & deducitur ex secunda assertione, nam ubicumque est essentia diversa, loquendo de intellectualibus, ibi est Persona diversa (licet non valeat è converso argumentari) sed per Deistas juxtà secundam propositionem, sunt in Divinis diversæ essentiæ, quia per ipsos non est una, ergo etiam diversæ Personæ; Sed hæc dicta sint ad ostendendum, quam verum sit, quòd supradiximus, Deistas adeò intricatè loqui, ut difficile sit intelligere, quid velint exprimere.

3. Unus est Deus, sed tantùm Pater dicitur unus, & verus Deus, Filius verò, & Spiritus Sanctus non sunt unus ille Deus. R. verbo *Ariani*, ubi consubstantialitatem Filii cum Patre, & Spiritus sancti cum Patre, & Filio, ostendimus. Tum quia ex præfata Deistarum propositione, deducitur tres esse Deos; unde satis ex hoc remanet reprobata, sicut & sequens.

4. Filius Dei est Deus ex Deo genitus, sed non est unicus ille Deus. R. verbo *Ariani*.

Pratèr hos quatuor errores, aliqui ex Deistis, profitebantur etiam errores Trinitariorum, siquidem Trinitarii, etiam à Gregorio Pauli originem habuerunt; quia tamen errores Trinitariorum, vel ipso primo aspectu sunt execrandi, ab omnibus Deistis non erant accepti; sed Trinitarii è converso, omnes errores Deistarum, cum aliis suo loco reprobandis, amplectebantur. Nomine Deistarum, nunc temporis, veniunt qui in unum Deum credunt, animæ immortalitatem, & post mortem præmium bonis, pœnam malis operibus reservari asserunt, sed nullum aliud dogma Catholicæ Religionis profitentur. Horum auctor, creditur quidam, nomine *Herbertus*, natione Anglicanus; sanguine nobilis, qui vixit circa medium seculi decimi septimi, & hanc opinionem in quodam libro ab ipso edito propugnat. Insuper Deistæ vocantur illi quicunque sunt sinè lege, sinè pietate, sinè religione viri, qui circa Dei existentiam ità errant, ut ab Atheis in hoc differant, quòd Deum quidem existere teneant, & hoc solum, quòd existat, de illo necessariò credendum asserant: Deum verò ipsum, colendum quidem, sed colendi modum unicuique liberum, & solo rationis lumine definiendum esse dicant: quaprotèr Deistæ, *Libertini*, *Indifferentes*, & *Philosophi* vulgò sunt nuncupati. Deistæ autem vocantur, quòd Deum existere, & nihil aliud necessario credendum asserant. Libertini verò, quòd modum colendi Deum, ex libero uniuscujusque pendere velint arbitrio. Indifferentes, eo quòd consequenter asserant, religiones omnes ità indifferentes esse, ut quemlibet, in qualibet salvari posse doceant. Philosophi demùm dicuntur, qua de re vide verbo *Philosophi*. In hujus erroris barathrum, duo potissimum hominum genera absorbentur. Primò homines plebei, qui solo religionis nomine contenti, tam facilè fidem, quàm domicilium commutant: alterum genus est hominum, artibus politici simulandi apprimè imbutum, quos non tam error abducit, quàm propria cupiditas excœcat.

Reprobantur igitur, tum ex his quæ jam dicta sunt in præparatione ad opus; tum etiam, quia non potest quivis, qui se Christianum profitetur in qualibet secta salvari, & hoc auctoritate Scripturæ: ad Ephes. 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*. Ad Hebr. 13. *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci*: igitur si in Ecclesia Christi, sicut unus est Dominus, ità unica est fides, à quo prohibentur abduci, ergo non omnes sectæ sunt in Ecclesia Christi. Sed inconfesso est, extra Ecclesiam Christi non posse obtineri salutem, ergo non possunt omnes in diversa fide, aut sectà salvari. Tum quia, qui asserit quemlibet in Deum, vel etiam in Christum credentem, posse in sua fide, seu sectà salvari, admittit etiam hæreticos, olim à primitivà Ecclesia damnatos, potuisse in sua fide ad salutem pervenire: nam ex illis plerique agnoscebant Christum filium Dei, mundi Redemptorem, & alia ad ejus personam spectantia: salvari itaque potuerunt in sua secta Pelagiani, Macedoniani, & alii quicumque hæretici ab Ecclesia damnati. Hoc admittere aliud non foret, quàm veram, & primævam Christi Ecclesiam, ac totius antiquitatis consensum erroris arguere; si enim illi in sua fide salvari potuerunt, cur tanto molimine contrà eos congregati sunt ex toto orbe Patres, & Concilia convocata? cur toties anathemate à Christi Ecclesia separati? cur maluerunt omni tempore Christiani potiùs exilia, tormenta, & ipsam mortem tolerare, quàm eorum doctrinam, aut sectam profiteri? Stat ergo unam tantùm esse posse veram fidem.

XVI. Dei Terreni. Hos reponit Gravina intèr Antichristianos, qui sunt liberæ fidei: tales nuncupantur apud Rescium, qui anno 1559. sunt orti.

Doctrinam suam, tamquam Dei Verbum adorari volebant. Tanta dementia reprobatione non indiget.

XVI. Dæmoniaci sectà sunt Anabaptistæ, intèr Antilutheranos locantur à Lindano, & illi sunt qui cum Origene.

Asserunt dæmones tandem fore salvandos. R. verbo *Origenes*.

XVI. Dæmonicolæ, insurrexerunt anno 1540. etiam intèr Antilutheranos constituuntur à Lindano, intèr Antichristianos à Gravina. Isti sectarii potius Athei dicendi sunt.

Diabolum decies in die publico cultu invocabant. R. Nam diabolum debere Deum adorare constat ex verbis Christi: *Deum adorabis*, & consequentèr non dedet adorari, siquidem eum prævaricasse, & æternis cruciatibus, & opprobriis à Deo esse destinatum, constat ex Scriptura; hinc manifestè patet, nullum diabolo cultum deberi. Dæmoniorum adorationem esse Deo odiosam, sæpè inculcat David in Psalterio. Vide verbo *Arragonenses*.

IV. Demophilus, intèr Arianos Episcopos, Legatus fuit ad Constantem Imperatorem, & renuit cum aliis orthodoxis Episcopis, in Concilio Mediolani coacto, damnare Arii impietatem, quòd tamen se facturum promiserat. Fuit præcipuus subversor Liberii Papæ, in causa Sancti Athanasii;& subrogatus ab Arianis in locum Eudoxii in Sede Constantinopolitana, à quà sub magno Theodosio dejectus fuerat anno 380. qui demùm ut refert Socrates lib. 3. cap. 1. in sua impietate Ariana, à qua nunquam voluit recedere, anno 386. decessit.

XVI. Denchiani. Hoc nomine sunt nuncupati quidam ex Anabaptistarum germine, qui existentiam dæmonum negabant: convincente eos, pluribus in locis adeò manifestè sacra Scriptura, ut mirum sit qua fronte auserint dæmonum existentiam, à quibus sic dirè agitabantur, negare. Vide Natal.ab Alex.sect.16. artic. 11. de Anabaptistis.

XVI. Desertores intèr Antichristianos, qui præcipua evertunt mysteria, & inter Semiatheos reponuntur à Gravina. Surius asserit esse sic dictos quosdam Calvinistas, qui in Belgio anno 1566. unionem statuum fecerunt cum Sectariis in contemptum Regis, in exterminium Sacerdotum, & fidei destructionem. Siquidem à Sacerdotibus, & Monachis illicita extor-

extorquebant juramenta, quibus cogebant eos, vel exulare, vel, bonis privari, & præter Calvini errorea, adhùc sequentes peculiariter profitebantur.

1. Fides cum sit donum Dei, unusquisque debet relinqui suo arbritrio ad credendum quid velit. R. Ex eodem ipsorum modo discurrendi; nam si unusquisque deberet relinqui ad credendum quid velit, jam constat quòd fides non est donum Dei, sed esset ex propria dumtaxat voluntate. Insuper una tantùm esse potest vera fides, ergo non potest esse unicuique liberum credere quid velit. Tum quia cum quis possit hodiè velle credere unam veritatem, & cras velle adhærere veritati contrariæ, sequeretur fidem veram admittere contradictionem, quòd ridiculum est, scilicet esse veram fidem, & admittere contradictionem in suis principiis credibilibus.

2. Dicebant Catholicam Religionem dissimulandam, donec occasio inveniatur perdendi eam.

3. Necessariam esse Templorum, Cœnobiorum, aliorumque piorum locorum demolitionem ad regias artes conservandas, quæ omnia cum omnibus pateant quantùm sint absurda, ulteriori reprobatione non indigent.

XIII. Desiderius Longobardus sub Alexandro IV. vixit 13. currente seculo; edidit quemdam tractatum contra Catholicam veritatem, à Divo Thoma impugnatum lib. contra impugnat. relig. cap. 6.

1. Ostendit rem esse illicitam, & perniciosam omnia propter Christum relinquere. R. Quia paupertas voluntaria est consilii Euangelici, ut ex pluribus Scripturæ textibus colligitur, juxtà quòd legitur: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris*. Insuper paupertas voluntaria valdè juvat ad acquirendam perfectionem, juxtà illud: *Si vis perfectus esse vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Et alibi: *Qui non reliquerit patrem, matrem, uxorem, agros propter nomen meum, non potest meus esse discipulus*. Paupertatem voluntariam Christus docuit suo exemplo, qui cum Rex ditissimus esse posset, & Monarcha in hoc mundo, voluit pauper nasci, & nudus mori; sed Christi exemplum imitari sanctum est; ergo omnia propter Christum relinquere non est illicitum, & perniciosum.

2. Nefas esse dixit Religionem profiteri, quæ saltèm bona in communi non habeat. R. Ex Constitutionibus Pontificiis, in quibus approbatæ sunt Religiones Mendicantium, & ex his quæ supra dicta sunt, ubi paupertas voluntaria commendatur. Nec valet opponere illud Deuter.15. *Omninò indigens; & mendicus non erit inter vos*, & aliud Eccles. cap.27. *Propter inopiam multi deliquerunt*; nam in primo textu Deus non prohibet voluntariam paupertatem, sed significare voluit Judæis fraternam charitatem, quà juvare pauperes tenebantur, ne ad tantam inopiam devenirent, ut mendicare cogerentur, ut ex eodem cap. constat. Aliud est necessitate compelli ad mendicandum, aliud verò voluntariè omnia contemnere. Hebræis præcepit Dominus, ne illud paterentur; sed nemini mandavit ne hoc faceret; cæterùm superfluum fuisset commendare eleemosynam, sicut Deuter. cap. cit. ver. 11. legitur, *Ideircò præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno*, quandocumque per superiorem textum interdiceretur paupertas: Itaque per illum textum non prohibetur voluntaria paupertas, sed potiùs animantur præcipuè pauperes ad justè vivendum, quibus Deus opportunum promittit subsidium; unde dicebat David: *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem*. In secundo textu ostenditur, quod qui pauperes sunt, & non vivunt cum resignatione ad Deum, sed stant cum mala voluntate, delinquunt. Non ergo ex illo potest inferri quod paupertas sit causa malorum, & consequenter non possint homines eam profiteri; nam qui voluntariè vovet paupertatem, est pauper cum bona voluntate, scilicet cum resignatione ad Deum, pro cujus amore paupertatem elegit; ideò pauper vo-

luntarius, ratione paupertatis non delinquit. Neque demùm valet dicere, ad excludendam voluntariam paupertatem, quòd Religiosi Mendicantes gravant fideles; nam neminem cogunt ad erogandam ipsis eleemosynam, & solùm quærunt quæ superfluunt fidelibus, quæ ab ipsis dispensari debere in eleemosynam, asserit Scriptura Luc. 11. vers.4. Immò qua ratione potest gravare fideles, quibus omnia sua reliquit, qui ab illis aliquod ex superfluis petit?

XVI. Desiderius Erasmus Roterodami in Batavia ex furtivo concubitu genitus, dictus fuit Gerardus Gerardi, quod nomen Belgicum, cum significet desiderare, nomen Desiderii accepit, addito cognomine Erasmi, quod græcè etiam sonat Desiderium. Ultrajecti in æde sacra musicis imbutus, adolescens Religionem Canonicorum S. Augustini professus est. Post novennium Religionem deseruit, & Academias Europæ percurrens, magnum sibi nomen ex eruditione humanarum scientiarum, quibus excellenter fermè supra omnes sui ævi pollebat, promeruit. Taurini lauream doctoratus assumpsit; sed adeò visus est in rebus fidei dubius, ut etiam Luthero hæresum suarum materiam subministrasse creditus fuerit, ita ut passim diceretur, vel Erasmum Lutherizare, vel Lutherum Erasmizare. Studuit tamen Erasmus ab hac nota Lutheranismi, quæ ipsi inurebatur se defendere, nunquam tamen legitur expressè Lutherum omninò damnasse, licèt aliquos ejus errores rejecerit. De cætero quasi medius incedens, multis visus est in communione Catholica permanere, proinde frequentatus litteris insignium virorum, Cardinalium, imò Summorum Pontificum, quod tunc maximè sibi promeruit, cum librum cui præfixit titulum *Diatribe*, scripsit contra Lutherum, de libero hominis arbitrio malè sentientem: sed an hoc fecerit zelo Religionis, an potiùs honoris sibi captandi gratiâ, sunt qui in dubium revocent. At quidquid sit, adeò eruditè Lutherum convincit de necessitate liberi arbitrii, ut Schlusemburgius Saxo Lutheranus in suo Catalogo, quem vocat hæreticorum, idest eorum qui à Luthero defecerunt, reponat Erasmum, & Auctorem constituat Synergistarum, sivè Cooperatorum, à cooperatione quam adstruit liberi arbitrii cum gratia Dei. Sed ab initio Ecclesiæ hunc fuisse unanimem Catholicorum sensum; necessarium scilicet, cum gratia liberum arbitrium ad actiones morales, probant veterum Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum testimonia, quæ abundè profert Erasmus in sua Diatribe, quod suadet & ipsa ratio; actio enim moralis vel est bona, vel est mala, si bona imputatur etiam homini, ut autem imputetur homini, debet esse etiam ab hominis libero arbitrio; nemini enim laudi, aut probro datur, nisi quod liberè facit; ergo necessario ad actiones morales bonas, debet concurrere liberum arbitrium; quòd si malæ sint, totam malitiam esse ab homine, non potest in dubium revocari; Deus enim non potest esse delicti auctor, qui est interdictor; Et hæc dicta sint, ut constet quantùm erraverit Schlusemburgius, qui Erasmum hujus sententiæ Principem instituit, ad quem ut recurrat sermo, anno 1536. Basileæ mortuum, summo honore in Ecclesia Cathedrali sepultum constat; cujus nonnulla scripta penitùs damnata fuerunt, nonnulla permissa; certum est, quòd in suis scriptis sæpiùs asserit, se potuisse ut hominem errare, quod videtur sufficiens ad eumdem ab hæresi vindicandum. Cæterùm quòd in dubia fide vixerit, dubium ferè non est; an in eadem decesserit, solus Deus scrutator cordium novit. Zuinglianismi accusatum fuisse asserit Spondanus. Videtur inter hæreticos non esse reponendus, quatenùs sæpè scripsit, se ut hominem potuisse errare, quòd si erravit, nunquam tamen ex mala voluntate id fecisse protestatur. Attamen non lego Ecclesiæ judicio, seu Sanctæ Sedis fidei, & correctioni scripta sua, qua par erat humilitate subjecisse. Sed si verum est, quod scribit Pater Joseph de Turre Januensis in Catalogo hæreticorum verbo *Erasmus*, non modò inter hæreticos, sed inter deteriores Hæresiarcas est locan-

candus; ibi enim refert citatus Auctor, primò, quòd commentaria quæ edidit Erasmus in Scripturam, & Patres, continent feeptiesm quamdam doctrinam, quæ sic animos plurium gentium occupavit, ut multi de Christo, illiusque mysteriis cœperint dubitare, ejusque paraphrases in codicem Euangeliorum, infinitis erroribus esse consperfas; quod dubitaverit descriptione, & auctoritate Euangelii D. Marci; quod eraserit ab epistola D. Jacobi hæc verba: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus* tanquam suppositia, quæ in Græcis codicibus non legantur; quòd malè senserit de SSma Trinitate; quòd Apocalypsim truncaverit à Canone; quòd dubitaverit an Apostoli ediderint symbolum fidei; quòd Arianam hæresim patrocinaverit, quòd Pelagii defensor sit deprehensus; quòd in Beatissimam Virginem blasphemias evomerit; quòd Purgatorium modò affirmaverit, modò negaverit; quòd infernum cælo miscuerit; quòd sacras traditiones appellaverit *errorum*, *superstitionumque pandectas*. Periculosè scripsit Erasmus, referente Natali Beda facultatis Parisiensis Syndico, de Cleri cælibatu, de votis Monachorum, de jejuniis, & interdicto esu carnium, de festorum observantia, de consiliis Euangelicis, de lib. sacris in vulgarem linguam transferendis, de legibus humanis, de horis canonicis, de fidelium divortio, de symbolis Ecclesiæ. Plures articuli ex Erasmi operibus extracti, confixi fuerunt à dictà Facultate anno 1572. Plures etiam Scriptores orthodoxi scripserunt adversùs Erasmum, qui major fuisset, si minor esse voluisset, idest si contentus fuisset sapere, non plusquam oportebat sapere. Vide Spondan. diffusè de Erasmo scribentem ab anno 1519. usque ad 36.

V. Deuterius Arianus Episcopus ille est, à quo circa annum 493. Baptismi forma corrupta fuit, & de eodem refert Nicep. lib.16. cap.35. quòd cum quemdam virum nomine Barbam, juxtà formam ab ipso inductam vellet baptizare, aqua evanuit. Forma, qua prævaricator iste utebatur, erat sequens, quam refert Niccephorus Histor. Eccles. lib.11. cap.11.

Baptizabat in nomine Patris, per Filium, in Spiritu sancto. Repr. Quia in materia Sacramentorum standum est Christi institutioni, sed Christus talem formam nunquam instituit pro Baptismo; docuit enim baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quia tres Personæ Divinæ sunt omninò æquales; nec una est major alterà, ut censebant Donatistæ. Præfatam Deuterii formam implicitè hanc Donatistarum hæresim continere videtur, ex quo magis patet illius insubsistentia; Non me latet ritè dici posse Gloria Patri, per Filium, in Spiritu sancto, quod S. Chrysostomus aliique ex Græcis Catholicis innoxiè dicebant. Sed aliud est fidem explicitè profiteri; aliud Deum laudare. Laudandi formulæ, salva pietate, nobis liberæ sunt: sed professio, qua sub Sacramento Ecclesiam ingredimur, ab Institutore formam habet, quam immutare non possumus, nisi defraudantes Sacramentum effectu suo, & à perfecta confessione fidei tunc necessaria deficientes. Vide verbo *Aetiani*, *Agnoeta*, *Brentius*.

IV. Deuterius Donatista Macrinensis Episcopus, interfuit Conciliabulo Donatistarum, in quo ducenti, & septuaginta Episcopi Donatistæ Carthagine sunt congregati. Hic Deuterius juxtà Conciliabuli definitionem cum traditoribus (nempè, qui Ecclesiasticos libros persecutoribus tradiderant) immensi criminis reis fecit unitatem, etiamsi non essent baptizati. Omittentes nos modò, quæ frequenter differuntur de crimine, & pœna traditorum, non est prætermittendum, quòd vera Ecclesia cum non baptizatis nusquam habuit unitatem, quia non baptizati non sunt cives Ecclesiæ; Baptismus enim, Sacramentorum janua, est essentialis character, quo fidelis ab infideli discernitur; non baptizati non sunt de corpore Ecclesiæ, ideò non possunt unitatem facere cum

cum Ecclesia: ex quo patet quàm impiè Deuterius unitatem fecerit cum non baptizatis, & quàm sacrilega fuerit illius Conciliabuli definitio. Vide Baron. ad anno 308.

XVI. Diabolistæ. Hæc impia secta nonnisi Atheismum sapit, ideò inter Antichristianos Atheos, qui totam fidem subvertunt meritò à Gravina reponitur, qui sunt de hac secta *Goetæ* vocantur à Rescio. Originem habuerunt an. 1566. à quodam improbo viro Cenomano, cui nomen *Deschaleus Deschelles*. Horum numerum in Galliis ad sexaginta millia crevisse fertur: Dicti sunt *Diabolistæ*, quia jactabant se esse sortilegos, & Diaboli charactere insignitos.

Docebant aliquid credendum esse ubi expedit, ubi verò non expedit, nihil credendum. R. Quia fides semper, & ubique est una, & necessaria, sinè qua impossibile est aliquem placere Deo, & consequi salutem, ergo semper opus est idipsum credere. Tum quia necessitas fidei non dependet à loco, vel à tempore, sed à Deo, qui illam docuit, & servari præcepit, ergo falsum est, quòd aliquando expediat, aliquando non expediat credere, sed hanc doctrinam diabolisticam, purum esse atheismum satis patet.

V. Diacrinomeni, sivè hæsitantes dicti sunt Acephali, quia diffidente Joanne Antiocheno, & Cyrillo Alexandrino, neutri adhæserunt, & factionem fecerunt circa medium seculi quinti, viventes absque capite, Concilii Chalcedonensis infensissimi hostes, qui etiam à Petro Moggo recesserunt, quia Concilium Chalcedonense receperat. Esto id fecerit non zelo Religionis ductus, sed proprio commodo stimulatus. Ex Liberato in Brev.

I. Diagoras Philosophus Atheniensis Theledisi filius, in Insula Cyclada natus, dictus communiter *Atheus*, primus esse creditur, qui in orbe Atheismum invexerit, ab Atheniensibus relegatur, indignè ferentibus tantam impietatem, qua Dei existentiam negare ausus fuerat. Post expulsum Diagoram, credente Athenis Senatu nondum dignam tanti sceleris sumpsisse vindictam, duorum talentorum taxam constituit iis, qui Diagoram vivum Athenas reduxisset, unumque talentum cuicumque Diagoras caput attulisset. Vixit circa medium seculi quinti ante Christi adventum. Necessitas Divinæ existentiæ probata est verbo *Atheus*. Tum quia cum entia contingentia nequeant sibi dare esse, necesse est dari ens necessarium, à quo suum esse contigentia recipiant; ens autem simpliciter necessarium est Deus. Tum quia Deus non potest invincibiliter ignorari; naturaliter enim in nostris augustiis oculos elevamus ad cælum, hinc implorantes subsidium à superiori potestate, cui omnia terrena subsunt; inter præcipuos tunc temporis Atheistas recensentur Theodorus Philosophus, Zenonis primùm, deinde Pyrhonis discipulus. Callimachus, Lucianus, Lucretius, Doletus, & alii. Ex Historia Græcorum lib. 4.

XVI. Diazius nomine Joannes, natione Hispanus; Parisiis Theologiæ studuit ex frequenti Lutheri lectione depravatus, Genevam se contulit, ubi cum Calvino amicitiam iniit, deinde minister Protestantium electus, sese Argentinam recepit, ut Lutheri hæreses profiteretur, datusque fuit Bucero socius ad colloquium Ratisponense, & cum ab hæresi, cui firmiter adhæsit dimoveri non potuerit, licèt persuadentibus enixè aliquibus Hispanis, qui eum ad reassumendam veram fidem, & repetendam patriam hortabantur, per sicarium à fratre ejus missum, interficitur, ægrè nimis ferente in Diazio prævaricationem à fide orthodoxa. Ex Spond. ad ann. 1546.

III. Dicaritæ. Circa annum 249. eruperunt. Germen sunt Manichæorum, multùm dilatata est hæc hæresis, pro qua extirpanda Ecclesia multos subiit agones; conveniebant in omnibus cum Gnosticis. Ex Prateolo.

Dicebant animam hominis esse, aut Dei substantiam, aut ex Dei substantia. R. ex his, quæ dicta sunt verbo *Apocaritæ*. Tum quia substantia Dei est indivisibilis, ergo animæ, quæ sunt divisæ inter

ter se, esse nequeunt ex Dei substantia. Tum quia Dei substantia est Deus, animæ non sunt Deus; sed ad Dei imaginem creatæ, ut illi serviant. Tum quia ex Scriptura colligitur apertè animam non esse Dei substantiam. Sic in Cantico, *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo*, ex quo patet animam non esse substantiam Dei, quandoquidem anima magnificat Dominum, & exultat in Deo salutari suo.

III. Didymus. Hic ille est, quem Magnus Antonius Alexandriæ invisens beatum prædicavit, cujus sapientiam totus orbis mirabatur, qui cœcus factus anno quinto à sua nativitate, propter aquileos oculos mentis *videns* dicebatur, quo encomio soli Prophetæ honorantur: ad eum Sanctus Hieronymus jam Doctor peregrinavit, ut illius efficeretur auditor. Hac de causa cano jam capite, Roma Alexandriam se contulit. Vir fuit admirabilis memoriæ, quippè qui summam eruditionem in omni penè scientia, etiam mathematices acquisivit, mediâ lectione librorum, ope aliorum facta, quam indefessè audiebat, sed potissimùm in Theologica scientia excelluit, quam publicè in urbe Alexandria docuit, affluentibus undequaque auditoribus, inter quos D. Hieronymus, Ruffinus, Palladius, & Isidorus. Opera celeberrima edidit, vir non minùs doctus, quàm pius, & canitie nonagenarià venerabilis, si vehementiori, quàm par erat amore, suum prosequutus Origenem, ejusdem errorum propugnatorem se infeliciter non exhibuisset. In Concilio Constantinopolitano 180. Patrum unà cum Origene, & Evagrio damnatus, Martino I. Pontifice. R. verbo *Origenes*.

IV. Dignus Donatista, cum Capito ejusdem sectæ professore, & aliis missus fuit in Gallias à Donatistis ad interpellandum Constantinum Imperatorem. Vide *Capito* de hoc hæretico scribit Optat. Milevit. contra Parmen. lib. 1.

IV. Dimetritæ. Apollinarius à Laodicea fuit primus hujus hæresis auctor circa annum Domini 377. iidem ergò sunt Apollinaristæ, de quibus actum suo loco, ac Dimetritæ, de quibus hic disserimus, qui hoc nomen sortiti sunt ab hæresi, quia scilicèt duas tertias partes humanæ naturæ in Christo confitebantur, corpus videlicèt, & animam: tertiam verò partem scilicèt mentem humanam in Christo esse negabant, sed instabiles in sua opinione valdè fuisse Dimetritas constat, quandoquidem mox Christum non habuisse mentem humanam, mox eamdem accepisse dicebant. Fuerunt ex Dimetritis, qui Verbum carnem ex Maria assumpsisse negarunt; quidam etiam ex ipsis asserebant Christum corpus è superis detulisse, alii animam accepisse nullatenus admittebant, qui errores alibi reprobantur. Alii corpus Christi fuisse coessentiale Deitati asserebant, quòd quàm falsum sit, ex eo constat, quòd si corpus Christi esset coessentiale Deitati, non fuisset facta incarnatio in tempore, sed dicendum foret ab æterno Verbum fuisse incarnatum, quod enim est essentiale Deitati, semper fuit. Tum quia esse coessentiale idem est, ac esse ejusdem essentiæ, sed corpus nequit esse ejusdem essentiæ cum anima, ergo neque à fortiori cum Deitate. Tum quia Deus utpotè ens simplicissimum, excludit omnem compositionem, quam non excluderet, si corpus esset consubstantiale Deitati. Contrà Dimetritas, teste D. Epiph. congregata est Synodus, quæ eosdem anathemate percussit. Remanet hic reprobanda propositio, à qua Dimetritæ nomen sortiti sunt, scilicèt.

Verbum tertiam partem naturæ humanæ, idest mentem non assumpsit. Rep. Quia Christum assumpsisse corpus, animam, & mentem constat ex Scriptura, ubi Christus quà homo profitetur se non habere eamdem cognitionem cum Patre, dum dicit de die extremà quòd nemo scit, neque filius hominis: ex quo evincitur quòd quà homo habebat mentem, sed limitatam. Insupèr mens humana nihil est aliud, quàm potentia intellectiva, sed hæc est inseparabilis ab anima rationali; non enim est anima rationalis, quæ non habeat potentiam intellectivam, ergo si per Dimetritas Verbum assumpsit animam

mam rationalem, assumpsit etiam mentem. Vel dicendum quòd anima assumpta à Verbo, non esset ejusdem speciei cum nostra, quòd nemo somniaverit, Christus enim fuit perfectè homo, ejusdem speciei ac cæteri homines, sicut ex Scriptura evincitur. Demùm ex eo quòd legitur Luc. 2. vers. 52. *Jesus autem proficiebat ætate, & sapientia*, apertè constat Christum habuisse mentem humanam, nec valet dicere, quòd si Christus habuisset mentem humanam, potuisset peccare, quia in ipso extitissent cogitationes humanæ, quæ ad peccatum inducunt; nam primò cogitationes illæ humanæ non inducunt necessariò ad peccatum, & si mediâ Divinâ gratiâ à viris justis repelluntur, quantò faciliùs à Christo, in quo erat plenitudo gratiæ? Tum quia intellectus Christi ità erat conformis voluntati Divinæ, ut malum cogitare non posset. Tum quia Christus utpotè impeccabilis assumpsit mentem creatam, seclusâ omni propensione ad malum, sicut carnem de facto assumpsit absque ullo defectu culpabili, qui provenire posset à peccato. De hac hæresi agit S. Epiph. hæres.77.

IV. Diodorus Antiochiæ natus, ejusdem Ecclesiæ Presbyter, postmodum Tarsensis Episcopus, quoad vixit, semper se orthodoxum esse simulavit, & prout talis creditus, summis laudibus à Joanne Chrysostomo, qui Diodori discipulus fuerat, commendatus. In Antiochena Ecclesia, ut fidem Catholicam sustineret, absente Meletio Episcopo, à Valente in exilium pulso, valdè laboravit. Unus fuit ex Patribus qui Constantinopolitano Concilio interfuerunt. Ordinatus Tarsensis Episcopus, senio confectus moritur. Post Diodori mortem exorto dogmate Nestoriano; cum Nestorius suam hæresim Diodori scriptis comprobaret, quem & magistrum suæ impietatis habuerat, necesse fuit ejus scripta prodere in lucem, ab ipsis Nestorii fautoribus promulgata, ex quo factum est ut à sanctis viris, qui hac de causa Diodori libros legerunt, detegeretur venenum, quod ab iisdem libris hauserat impius Nestorius, undè & calamum contra Diodori scripta acuerunt, quod egregiè peregit Cyrillus Alexandrinus in tribus libris, quos contra Diodorum scripsit, qui Diodorus, eo quòd fortitèr hæreses sui temporis impugnaverat, celebris erat in posteritate futurus, si novis somniatis figmentis, anno 428., cum Cyrillum impugnatorem habuit, non fuissent ejus fraudes detectæ. Sanctus Cyrillus in Epistola data ad Joannem Antiochenum, vocat Diodorum inimicum gloriæ Jesu Christi. Leontius de sect. act. 4.

Sentit quòd alter fuerit filius de Virgine natus, & alter fuerit filius, qui Dei Patris filius propriè dicitur; filium autem Virginis unitum esse filio Dei, non in unitate personæ, sed juxta solam dignitatem, & auctoritatem, & honoris æqualitatem, ex quo patet Nestorium suæ hæresis desumpsisse argumentum, asserendo duas personas esse in Christo. R. verbo *Nestorius*.

XIV. Dionysius Soulechat Religionis Minorum professus, Doctor Parisiensis, nonnullas propositiones erroneas, & hæreticas protulit, concernentes rerum abdicationem, charitatem, & amoris perfectionem, quas propositiones à Theologis Parisiensibus damnatas, ipse etiam publicè revocavit, & damnavit anno 1366. Parisiis in Ecclesia Prædicatorum coram Legato Apostolico; cum jam præcedenti anno 1365. fuissent Avenione sub Joanne V. ibi degente damnatæ. Transcriptum schedulæ revocationis per Dionysium factæ, extat in Tomo 26. Bibliothecæ Patrum pag.488. impressæ Lugduni anno 1678., ubi commodius poterit, qui voluerit, expressè videre quales fuerint prædicti Dionysii errores, quibus subjuncta est etiam eorundem reprobatio.

III. Dioscorus Origenista, fuit Monachus, qui Origenis doctrinam defendens: cum octuaginta circiter ex suis Constantinopolim venit, ibique mortuus, sepultus est, cui falsò ab Origenistis attributa sunt miracula. In suo enim errore decessisse, colligitur ex Sozomeno, qui dum refert in Synodo Constantino-

tinopolitana, quæ dicta est ad Quercum, Præside Theophilo, Dioscori discipulos ad meliorem frugem redactos, asserit non ita futurum fore, si adfuisset Dioscorus qui jam decesserat, cum hæc peracta fuerunt.

V. Dioscorus Alexandrinus Episcopus successit Cyrillo in Episcopatu, circa medium Seculi V. nullum non movit lapidem, ut Eutychetis hæresim promulgaret, sed diù latuit Dioscori hypocrisis, qui dum se virum orthodoxum, & virtuti addictum simularet, Theodoretum suarum virtutum prædicatorem habuit. Adeò simulata erat Dioscori sanctitas, ut etiam Sanctos deceperit, cum tamen sub ficta sanctitate facinorosissimus esset; siquidem in libellis adversùs eum datis, in Concilio Chalcedonensi, Origenista, Arianus, homicida, incendiarius, & vità turpissimus detectus est. Sancti Cyrilli nepotes, cui successerat in Episcopatu, crudelitèr est persecutus, exauctorato etiam uno ex ipsis, & ab Episcopatu deposito, usurpare nisus est Ecclesiæ Antiochenæ jura. Ad Synodum Ephesinam vocatus, auctoritate Chrisapii cubicularii, Eutychetis fautoris fretus, voluit præesse, & litteras Leonis Papæ ad Synodum datas recusavit admittere, unde *Synodus prædatoria* vocata est; tum quia præfuit Dioscorus, cum debuissent præesse Papæ Legati; tum quia Dioscorus Pontificis litteras non admisit: quare ejus pertinaciæ contradixerunt Legati Pontificis. In hac Synodo Dioscorus Eutychetem impudentèr absolvit, & majora scelera meditatus, Alexandriam reversus, ibi collecto Conciliabulo, ausus est in Sanctum Leonem Romanum Pontificem excommunicationis sententiam proferre. Coacto itaque Concilio Chalcedonensi, ibique ejus causà discussà, à Patribus Concilii contrà Dioscorum prolata est sententia anathematis, & apud Gazaram civitatem in Paphlagonia exulare damnatus, quo militari copia perductus, ibidem infelicissimè decessit. Ex Liberato cap. 11.

V. Dioscorus Junior hæreticus Eutychianus, Timothei Eluri paritèr Eutychiani consobrinus, favore Imperatoris Episcopatum Alexandrinum obtinuit. Excitata proindè à populo, ejus electioni contradicente seditio, multæque cædes sunt perpetratæ. Ex Liberato in Brev. cap. 17.

I. Diotrephes. Hæc vox Diotrephes, ex Beda in Commentariis, idem significat, ac insulsus, sivè decor insanus; ideoque etiam nomine prodebat suam insaniam hic hæreticus, qui contra doctrinam, quam prædicabat Apostolus Joannes se erigens, circa annum Domini 70. adhuc vivente D. Petro doctrinam adeò insulsam, imò & ab humanitate alienam promulgavit, ut nullum sectatorem habuerit. De eo sic scribit S. Joannes Epistola 3. *Scripsissem forsitan Ecclesiæ: sed is qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos. Propter hoc si venero, commonebo ejus opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos, & quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres, & eos qui suscipiunt prohibet, & de Ecclesia ejicit.* Ex his verbis Divi Joannis, colligitur quales fuerint insaniæ Diotrephes, de quo scribit Beda in comment. super Epist. Joann.

1. Sibi arrogabat primatum in sua Urbe, vel si, ut quidam putant, erat Episcopus, violentèr munus exercebat.

2. Maledicebat Apostolo, ejusque doctrinæ de unitate Ecclesiæ ex populo Judæo, & Gentili.

3. Huic doctrinæ adeò erat infensus, ut conversos ex Judaismo, & illos suscipientes ab Ecclesia ejiceret. Rep. Quia Christus Dominus fuit *Lapis angularis, qui facit utraque unum*.

4. Hospitalitatem erga peregrinos improbabat. R. Exodi 23. 9. ubi Deus hospitalitatem erga peregrinos commendat, quam & in Tobiæ historia commendatam reperimus. Deuter. cap. 14. ver. 21. legitur: *Peregrino qui intra portas tuas est, da ut comedat.* Hospitalitatem etiam ex novo testamento Deo esse acceptam colligimus, maximè ex illis verbis, quæ Christus proferet in discussione extrema: *Hospes eram, & collegistis me*.

IV. Discalceati. Ex D. Aug. de hæref. cap.68. circa initium Seculi IV. eruperunt hæretici difcalceati, qui ex aliquibus Scripturæ textibus, nempe Exod.3. verf.5. Ifaiæ cap.20. verf.2., & Matth. 10. malè intellectis, docuerunt non licere Chriftianis incedere cum calceamentis. Verum quidem eft bonum effe ad finem pœnitentiæ difcalceatum incedere, ficut inftitutum eft apud aliquos Religiofos; hæreticum tamen eft dicere.

Non licere Chriftianis ferre calceamenta. R. Quia nulla hac de re extat prohibitio. Tum quia Angelus præcepit Petro in carcere exiftenti, quando illum de carcere erat educturus, ut fumeret calceamenta. Chriftum autem, & Apoftolos calceamenta adhibuiffe deducitur ex Scriptura, quandoquidem Joannes perhibet fe dignum non effe folvere corigiam calceamenti Chrifti. Ufus calceamentorum erat apud Judæos. Legitur enim Danielis cap.3. verf.21. quòd tres Pueri projecti funt cum calceamentis in fornacem ignis. Loca autem quæ adducunt hæretici ad probandum prohibitum ufum calceamentorum, nihil evincunt. Non primum Exod.3. ubi Deus præcepit Moyfi ut folveret calceamenta, hoc enim præceptum factum fuit Moyfi tantùm, & prò illo loco, ad fignificandam fanctitatem loci, in quo erat quando vidit rubum ardentem. Non fecundum Ifa.20. foli enim Ifaiæ factum fuit tale præceptum prò determinato tempore, ut patet ex ipfo Scripturæ textu. Non tertium, quia ibi Chriftus præcepit Apoftolis ut fpoliarent fe quocumque affectu erga fubftantias mundanas, quod hinc fufficienter deducitur talem fuiffe Chrifti mentem, quia Petrus in carcere habebat calceamenta, quibus certè ufus non fuiffet, fi per illa verba Matt.10. *Nolite poffidere aurum &c. neque calceamenta*, abfolutè prohibuiffet calceamentorum ufum.

XV. Discipula Quedam Vicleffi, quæ vivebat circa initium Seculi XV. de qua mentionem facit Thomas Valdenfis doctrinalis fidei lib.2., docere aufa eft Beatam Mariam, Virginem non manfiffe poft partum, quia fcilicèt non eft in Scriptura expreffum. R. verbo *Antimarianita*.

II. Docitæ. Emerferunt circa annum 191. auctore Julio Caffiano Valentini Hærefiarchæ difcipulo, qui in Caffiani fententiam confpiravit. Utebantur Docitæ, ad confirmandam fuam hærefim, Pfeudo-euangelio, quod Petri effe mentiebantur. Ex nomine Græco, quod apparentiam fonat, dicti funt Docitæ, quia quidquid de Chrifto Euangelium afferit, dicebant folùm apparentèr contigiffe, ideò apparentèr natum, paffum, mortuum fuiffe blaterabant, & corpus Chrifti fuiffe phantafticum afferebant. R. Illis omnibus rationibus, quibus evincitur veritas Incarnationis, & Paffionis Dominicæ; nam fi Chriftus corpus fumpfiffet phantafticum, nec fuiffet verè incarnatus, nec paffus, quod afferere eft contra Scripturarum evidentiam. Videantur quæ dicta funt contra *Albanenfes*, *Appellem*, *& Phantafiaftas*.

V. Domitianus fecta fuit Origenifta Galatarum Epifcopus, Origeniftarum turbas in Monachos fancti Sabæ concitavit, à quibus Monachi plura mala paffi funt, ut refert Surius in vita S. Sabæ.

XVI. Domus Charitatis. Hæc hærefis primùm in Hollandia progenita Auctore Hermanno Nicolao à Lugduno Batavorum, anno 1580. per aliquos ejus difcipulos promulgata fuit; Hi perditiffimi viri in imperitum populum, fingularis fanctitatis, & virtutis fpecie fe infinuabant, peftiferas impietates in plebeorum animos inftillantes: nominabant fe *fratres familiæ amoris*, *& de domo charitatis*, ut hoc fpeciofo nomine faciliùs vulgum deciperent. Libros etiam difpergebant, quibus fpeciofos titulos præfixerant, multis erroribus refertos, maximè ex Fraticellis, & Anabaptiftis defumptos; fiquidem fratres familiæ amoris ex fecta Calvini progeniti, Fraticellis, & Anabaptiftis valde adhærebant. Hujufmodi librorum tituli erant *Euangelium regni*, *Sententia Documentales*, *Prophetia*, *Spiritus amoris*, *Pacis fuper*

per terram publicatio, & consimiles, qui libri igni traditi fuerunt. Vide Spondan. ann. 1580.

1. Negabant Magistratus, & coram Magistratibus, aut quovis alio, qui non esset de eorum secta, asserebant licitum esse quidquid luberet jurejurando negare. R. Quoad primum verbo *Anabaptistæ*. R. Quoad secundum ex manifestis Scripturæ locis, in quibus sub gravissimis pœnis prohibetur perjurium. Ratio enim id evincit; quia in jurejurando non attenditur ratio personæ, in cujus præsentia exhibetur juramentum, sed juramentum immediatè ad Deum dirigitur, qui vocatur in testem veritatis, circa quam profertur juramentum; cum autem Deus semper, & ubique præsens sit, nunquam licet Deum vocare in testimonium falsitatis, ideòque sive coram Magistratu, sive coram quocumque alio, nunquam licet jurejurando negare quidquid lubet, semper enim hoc est pejerare, & perjurium nunquam est licitum, ideò monent sancti Patres ut cum magna cautela, & per quàm raro proferantur juramenta, qui enim assuescit jurare, facilè declinat in perjurium: ideò cum in sacris paginis prohibemur jurare, ex his textibus non deducitur (ut volebant Catharistæ) quòd juramentum sit illicitum, sed monemur per quàm raro, & cum magna cautela jurare, ne declinemus in perjurium, juxtà quod legitur Ecclesiast. cap. 23. verf. 9 *Jurationi non assuescat os tuum, multi enim &c.* Sed de hoc alibi actum est.

2. Uxores communes faciebant. R. verbo *Adamitæ*.

3. Baptismum Protestantium invalidum dicunt. R. Nam Baptismus Protestantium est verus Baptismus Ecclesiæ, in cujus fide Protestantes baptizant cum aqua, & debita forma; ergo est validum. Tum quia Baptismum ab hæreticis collatum cum debita forma, & materia esse validum, decretum est in pluribus Conciliis, utpotè Carthaginensi primo cap. 1. Nec probat Baptismum extra veram Ecclesiam collatum esse nullum, textus Scripturæ ab hæreticis adductus, in quo legitur Ecclesiast. cap. 34. *Qui baptizatur à mortuo, & iterùm tangit eum, quid prodest ei lavatio illius?* nam ibi sensus est: Qui mundatur à peccato, & iterum recidit in idipsum; quid prodest ei talis mundatio? In cujus rei exemplum ponitur immunditia legalis tangentium mortuos; nihil enim prodest eis ab ejusmodi tactu lavari, si iterum tangant. Nec favet prædictis hæreticis locus ille, quo in argumentum utebantur: *Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet*, ut legitur Num. cap. 15. verf. 22. ergo cum hæreticus sit immundus, immundus remanet qui ab hæretico baptizatur; nam textus allatus Scripturæ verificatur de immunditia legali, qua significabatur animas coinquinari usu rerum illicitarum, seu prohibitarum.

4. Dissentientem ab eorum secta salvari posse negant. R. Nam hæc secta hominem perditum habuit institutorem, est contra legem Christi, ergo esse non potest via salutis; una enim tantùm est vera Religio, in cujus observantià potest homo salvari, hanc autem esse Catholicam Apostolicam Romanam, satis per se patet. Hæc enim sola est juxtà præscriptum Scripturæ; hanc solam Christus, & Apostoli prædicarunt, quæ inter tot persecutiones semper inconcussa triumphavit; scimus autem omnes alias sectas vel omninò defecisse, vel in Schismata esse decissa; ergo &c.

Anno 1588. *quidam ex hac secta sequentes promulgavit blasphemias*.

1. Negabat Christum in rerum natura aliquando extitisse. R. ex utroque testamento, ex veteri quidem, in quo tot de Christo Prophetiæ enunciantur, & tempus, & locus, in quo Christus nasci debebat, quæ omnia verificata sunt; ex novo autem, in quo Christi facta mirabilia describuntur.

2. Orationem Dominicam rejiciebat eo titulo, quòd infamaret providentiam, perperàm accipiens verba Matt. 6. ver. 32. *Scit enim Pater vester cælestis, quòd his omnibus indigetis*. Repr. quia sacra Scriptura sæpè nos docet à Deo petere quæ desideramus, *Petite, & accipietis*, pul-

pulsate & aperietur vobis; *Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis*; vult ergo Deus nos supplices ad ipsum accedere, licèt ipse sciat quibus indigemus; sicuti Rex vult supplicari à subdito, licèt præsciat subditum egère gratià, quam est petiturus. Justum insuper est creaturam ad Creatorem suppliciter accedere; nec est contra providentiam Divinam, imò hinc Divina providentia per fidem nostram commendatur; in tantùm enim supplices ad Deum accedimus, quia certò scimus Deum misericordem esse, & posse, si velit, omnia, quæ petimus nobis concedere, licèt aliquando ob inscrutabilia judicia sua orantibus non acquiescat.

3. Mulieres damnatas prædicabat, si purgationis causâ Jerosolymam non adibant. R. Quia nullum extat in sac. pag. hac dare præceptum, quod nimis grave esset mulieribus, imò impossibile, si purgationis causâ deberent semper Jerosolymam adire. Et undè hoc delirium?

4. Carnis resurrectionem negabat. R. verbo *Basilidiani*.

IV. Donatistæ. Duo fuerunt Donati, unus à Casis nigris, qui fuit auctor schismatis Donatistarum, quod schisma deindè in hæresim, de qua hic agitur conversum est; alius Episcopus Carthaginensis, à quo eadem Donatistarum secta nomen assumpsit. Noluerunt Donatistæ à priori Donato nomen sortiti, quia ille erat vir facinorosus, & à sancto Melchiade Papa damnatus, unde potiùs à Donato Episcopo Carthaginensi, viro magnæ eloquentiæ, & simulatæ virtutis voluerunt denominari. Porrò hic in tanta æstimatione erat apud Donatistas, ut eum crederent impeccabilem, & potiùs paterentur aliquem blasphemam contrà Christum, quàm contrà Donatum. Cæterùm schisma Donatistarum, si à vero Principe sectæ debuisset nomen sortiri, potiùs à Botro, & Cælesio, qui ante predictos Donatos factionem inceperaut in Ecclesia Carthaginensi, debuisset sumere suam denominationem. Attamen Donatus à Casis nigris auctor schismatis dicitur, quia ab hoc Donato Botri, & Cælesii factio promota fuit, ejusque operam præcipuè in hac factione promovenda adhibuit Lucilla fœmina Hispana, quæ Donatistarum sectam plurimùm patrocinavit, & patrocinationis causa fuit, quia cum Cæcilianus, vir notæ sanctitatis, esset ordinatus Episcopus Carthaginensis, quam sedem Botrus, & Cælesius ambibant, & hanc ordinationem ægrè ferret Lucilla, quæ sæpè Cæcilianum suorum criminum reprehensorem habuerat, ut aliquo modo de Cæciliano reprehensore vindictam sumeret, arrepta occasione quòd Botrus, & Cælesius sedi Carthaginensi inhiabant, studuit Lucilla, quæ potens erat, Cæcilianum à sede dimovere, & Botrum sufficere. Hinc schisma Donatistarum propriè originem habuit; plures enim procurante Lucilla secuti sunt Botri, & Cælesii partes, & se à Cæciliano legitimo Episcopo segregarunt. Sic segregatos ut in suo errore firmaret Lucilla, adhibuit Donati à Casis nigris operam, qui cœpit docere veram Ecclesiam solùm esse apud eos, qui à Cæciliano recesserant. Et hinc factum est, ut Donatus à Casis nigris auctor schismatis diceretur; quod schisma cum alter Donatus, qui Majorino successit in Episcopatu Carthaginensi promoveret, & esset ut dictum est, vir eloquens, & propter simulatam virtutem in bona hominum opinione, ab hoc secundo Donato cœperunt dicti schismatici Donatistæ appellari. Alius ergo est Donatus à quo schisma initium habuit, alius Donatus à quo Donatistæ denominati sunt; ille à Casis nigris, iste à Numidia oriundus. Donatistæ, referente Sirmundo, in partibus Italiæ *Montenses* dicti sunt, in interiori Africa *Parmeniani*, Carthagine *Donatistæ*, & in Partibus Numidiæ *Circumcelliones*. Ut interim ad causam hujus hæresis, quæ adeò Ecclesiæ fuit infensa, recurrat sermo; jam dictum est schisma Donatistarum ex ordinatione Cæciliani in Episcopum Carthaginensem, à Botro, & Cælesio contrariatà ortum habuisse, cujus irritam ordinationem ut probarent, objecerunt ei cri-

ei crimina, non probata, & maximè quòd à Traditoribus Divinarum Scripturarum fuerit ordinatus:at ubi de mendacio convicti sunt, schisma in hæresim converterunt, dicentes in toto orbe terrarum Ecclesiam defecisse, & solùm apud Donatistas remansisse, ac si Ecclesia Christi propter crimina Cæciliani, sivè vera, sivè falsa, potuisset in toto orbe terrarum deficere. Neque ommittendum Donatum à Numidia, qui hæresi nomen fecit, fuisse ab ipsis Donatistis ordinatum Episcopum Carthaginensem, post Majorinum, qui jam fuerat hæresis Donatistarum patrocinator. Fingebat Donatus Carthaginensis Deum è cælo sibi allocutum, proindè Imperatoris præcepta contemnebat. Asserit D. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiæ, quòd Donatus malè senserit de Trinitate, & fuerit Arianus, licèt Donatistæ huic hæresi non fuerint addicti; Divinos insuper affectabat honores. Quàm perniciosa fuerit Donatistarum factio Ecclesiæ ad plura sæcula, quot mala per eam passi sint orthodoxi, quàm facinorosi, quàm improbi, quàm seditiosi fuerint Donatistæ, videri potest apud Baronium in 3.4.5.& 8.Tom. ejus Annalium; Decessit Donatus anno 368., ejusque potiores errores mox subjiciam. Intèr Donatistas factum est schisma anno 344., cum mortuo Parmeniano, tertio Donatistarum Episcopo, convenientibus prò nova electione Donatistis, in duas factiones divisis, una Primianum, alia Maximilianum elegit, à quibus Primianistæ, & Maximilianistæ dicti sunt eorum sequaces. De Donatistis agunt S.August. Optatus Milevit. & plures alii.

1. Nullos esse malos in Ecclesia, sed tantùm bonos. R. verbo *Assuritani*.

2. Filium esse minorem Patre, & Spiritum sanctum minorem Filio. Rep. Quoad primum Verbo *Accaciani*, & *Anomei*, quoad secundùm verbo *Airani*.

3. Irritum esse dicebat Catholicorum Baptisma, quare rebaptizabat jam baptizatos à Catholicis, qui ad ipsum accedebant. R. Quis Baptismus collatus à Catholicis confertur juxtà Christi institutionem, tum quoad materiam, tum quoad formam; ergo est validus, sed in tantùm Donatus dicebat Catholicorum Baptismum esse invalidum, quia asserebat apud Catholicos non esse veram Ecclesiam. R. Ex his, quæ dicta sunt contra *Agrippinianos*, ubi ostenditur etiam baptizatos ab hæreticis non esse rebaptizandos.

4. Baptismum à Christo institutum confundebat cum Baptismo Joannis. R. verbo *Bogomilli*.

5. Negabat Confirmationis Sacramentum, quare Chrisma contempsit, & pedibus conculcavit, imò & Presbyteris caput radebat, ut eos sacra Unctione (ut putabat) denudaret. Repr. verbo *Novatiani*.

6. Donatistæ illos dicebant esse Martyres, qui seipsos interficiebant. Rep. Nam martyrium est mors ab alio inflicta, propter Christum patienter tolerata; sed hoc dici nequit de illis, qui seipsos interimunt: quod etiam expresè prohibet Deus illis verbis: *Non occides*. Quòd si non licet occidere alium, multò minùs licebit occidere seipsum. Nec valet dicere, quòd multi, qui seipsos occiderunt, se præcipitantes in ignem, aut aquam, nihilominùs venerantur ab Ecclesia ut Martyres; nam hoc fecerunt Deo peculiaritèr inspirante, ut fugerent periculum evidens violandæ castitatis, à quo ut se subtraherent, Spiritu sancto peculiaritèr aflante, in ignem se projecerunt quemadmodum legitur de S. Apollonia. Cæterùm non hominis, sed Dei est martyrii voluntas, quia fortitudo, & charitas, quæ ad martyrium allicit, est à Deo: quare nec est martyrium seipsum occidere propter horrorem peccati commissi, sed est esse sui ipsius homicidam; quis enim dicat Judam proditorem, qui seipsum interèmit esse martyrem? Demùm laudabile quidem est, ad evitandum peccatum, corpus suum castigare, nullatenùs autem permittitur etiam ad evitandum peccatum seipsum interimere; quia Deus misericors, non vult mortem peccatoris, neque temporalem, sed magis vult ut con-

convertatur, & vivat. Concilium Bracarense primum in Can. *Placuit* prohibet omninò fieri mentionem aliquam in oblatione de illis, qui quocumque modo seipsos occiderent, tantùm abest, quòd ut Martyres debeant venerari.

7. Exprobrabant Catholicis, quòd concinerent sacras Scripturas in Ecclesia. R. Quoad cantum in Ecclesia verbo *Hilarius*, quoad cantum verò Scripturarum. R. Ex antiquo usu, scimus enim etiam tempore Apostolorum consuevisse Christianos convenire ad concinendos Psalmos, & sacras Scripturas, ut videre est apud Eusebium Cæsariensem lib.2. Hist. Eccles. cap.14. Tum quia præcinere Domino sæpè nos monet Scriptura; quid autem meliùs possumus Domino præcinere, quàm ipsam Scripturam, quæ est purum Dei verbum, tot continens mysteria, tot sanctas affectiones, ad quas præcinendo nos excitat? Vide Card. Bona lib. de psalmod.

8. Ecclesiam ubique terrarum extinctam, præterquàm apud se asserebant. R. Quia Ecclesia ubique terrarum, ubi sunt Catholici viget, ubi enim sunt Catholici, sunt Ecclesiæ membra. Tum quia Ecclesiam non posse in una mundi parte esse reconditam, constat ex verbis Christi, qui præcepit Apostolis, ut ubique Euangelium prædicarent, & eam quasi lucernam super candelabrum expressit. Insuper de Ecclesia per totum orbem dilatanda extant prophetica vaticinia, ut Psalm. 1. vers.8. Psalm. 49. vers.6. Nec valet dicere Ecclesiam esse pusillum gregem, ergo non posse esse in toto orbe diffusam; quia per pusillum gregem communiter intelliguntur electi, non autem intelligitur Ecclesiæ universitas, quæ per totum orbem est diffusa; sed si teneret hæc ratio, non concluderet magis pro Donatistis, quàm pro aliis sectis, quæ minorem numerum sectariorum continent, quàm secta Donatistarum haberet.

9. Dicebant à peccatoribus eleemosynam non esse accipiendam. Rep. Nam nullibi hac de re extat prohibitio. Tum quia legimus plures Sanctos in necessitate etiam ab infidelibus petiisse, & accepta sse subsidium; tum quia eleemosyna facta à peccatore est opus in se bonum, licèt non sit ipsi meritorium, imò est ipsi dispositio ad conversionem. Deus enim ex misericordia sua, intuitu eleemosynæ à peccatore erogatæ, ipsi ulteriorem sæpè concedit gratiam, ut peccata sua detestetur, ergo &c.

10. Docuerunt nulla, & irrita esse Sacramenta, quæ vel hæretici extrà Ecclesiam, vel improbi in sinu Ecclesiæ contulissent. R. Quia minister Sacramentorum operatur virtute, & auctoritate Divina, neque Deus aufert potestatem datam ministro, licèt minister sit peccator, aut fiat hæreticus, quod prob. quia auctoritas conferendi Sacramenta, non est gratia gratum faciens, sed gratis data, in utilitatem scilicet aliorum: ergo talis auctoritas non pugnat cum improbitate vitæ, aut infidelitate, ut simul cum illis esse non possit. Veritatem hanc decernunt Concilia Trident. sess.7. can.4. Constantiense sess.45. in qua damnavit articulum Wiclef. in hac materia. Item Trident. sess.7. can.12. sic statuit: *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere Sacramentum, anathema sit.*

Hic advertendum quòd licet hunc Donatistarum errorem, quem impugnamus, propugnaverit S.Cyprianus, mordicùs sustinens contrà Stephanum Papam, baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos, diversa tamen erat Donatistarum, & Cypriani conditio; Cyprianus enim erravit servatâ Ecclesiæ unitate, illi verò disruptâ. Cyprianus erravit re nondum satis eliquata & perspecta, illi probata veritate, & à Concilio generali confirmata. Videatur hac de re quid scripserit S. Augustinus lib.2. de Baptismo contrà Donatistas cap.3. & 9. ubi ostendit quàm dispar esset in hac causâ Cypriani, & Donatistarum conditio.

VI. Dorotheus Episcopus Thessalonicensis, nimis se addictum ut ostenderet Anastasio Imperatori, & ei complaceret,

ceret, à communione Romanæ Ecclesiæ se subduxit; in hæresim prolapsus, cum Timotheo Episcopo hæretico communicavit, qui Timotheus Concilium Chalcedonense reprobaverat; ex quo arguere est Dorotheum fuisse secta Eutychianum, cujus malitia occisus est Joannes homo orthodoxus, apud quem Legati Papæ Hormisdæ fuerant summa hospitalitate recepti. Tumultum Thessalonicæ excitavit, ex quo Catholici ingentia damna passi sunt. Sæpè ad eumdem scripsit Hormisda Pontifex, ut eum ad meliorem frugem reduceret, sed incassum. Plura de hoc Dorotheo legere est apud Baronium tom.6. & 7. ejus annalium.

IV. Dorotheus Arianæ sectæ Constantinopoli Præfectus, primùm degebat Antiochiæ in Syria, sed ab Arianis indè revocatus, Constantinopolitanus Episcopus ab iisdem ordinatus fuit, ut Arianam perfidiam ibidem defenderet tempore Syricii Papæ, & Theodosii Imperatoris, circa annum 395. ad ætatem decrepitam vixit, annorum scilicet centum viginti decessit, cujus successor fuit Barbas, de quo actum est suo loco. Vide Niceph. Eccles. Histor. lib.12. cap.24.

VI. Drinus vocatus Diaboli maximus propugnator; fuit Pater Sergii hæresis Manichæorum instauratoris. Ex Bar. anno 810.

XVI. Duitæ emerserunt in Polonia anno 1570. reponuntur à Gravina intèr Antichristianos, qui Trinitatem oppugnant, ducem habuerunt Petrum Goviezium.

1. Asserebant Patrem, & Filium esse Deos. R. Ex his quæ alibi dicta sunt ad probandam consubstantialitatem Filii cum Patre; ex quo sequitur non modò Filium esse æqualem Patri, sed esse unum Deum cum Patre. R. Etiam ex his quæ dicentur contra Politheismum, ubi ostenditur Deum necessariò esse unum.

2. Dicebant de Spiritu sancto nondum revelatum esse quid sit. R. Ex his quæ dicta sunt contra *Airanos*. Tum quia de Spiritus Sancti Divinitate clara extant in novo Testamento oracula, per quæ scimus Spiritum sanctum à Patre, & Filio procedere, esse Deum, habere omnes operationes Divinitatis, esse ejusdem naturæ cum Patre, & Filio; quæ omnia alibi in hoc opere ex Scripturæ testimoniis comprobantur.

XIV. Dulcinus Patrià Novariensis, omninò obscænam doctrinam prædicavit anno 1370. quà vulgum insanum contaminans, propè sex millia partim viros, partim mulieres collegit, quos simul in montibus Tridentinis cohabitare, & turpitèr commisceri docebat, contra quos Clemens V. Summus Pontifex exercitum collegit, eosque dispersit, ductis tamen captivis Dulcino, & Margarita ejus uxore, cum aliis sectariis Vercellas, ubi eorum causa discussa, ibidem membratim concisi, deindè combusti sunt, dispersis eorum cineribus. Docuit Dulcinus Deum Patrem rexisse mundum in rigore, & justitia, ab ejus creatione usque ad Filii adventum; Tum à Filio cœpisse gubernari in gratia, & sapientia, jamque à Spiritu sancto in amore, & charitate regi; ac si non posset simul justitia, gratia, & amor in sancta Trinitate consistere, in qua omnis virtus est per essentiam. Sentiebat in omnibus cum Praticellis, de quibus suo loco, & sequentes errores præcipuè divulgavit.

1. Asserebat omnem auctoritatem, à Christo Rom. Ecclesiæ traditam penitùs evacuatam esse, & ab ipsa excidisse Pontificem, Cardinales, cæterosque Prælatos, atque in sectam suam fuisse translatam, quam dicebat esse veram Congregationem spiritualem, à Deo electam, atque in novissimis diebus à Deo institutam. R. Ex verbis Christi, qui auctoritatem Petro, & Ecclesiæ collatam, usque ad consumationem seculi, immobilem permansuram asserit; rogavit enim Christus prò Petro, ut non deficiat ejus fides, & consequentèr, neque potest deficere ejus auctoritas, quam hactenus universa Catholicorum congregatio veneratur; cui tot Reges, Principes, Doctores gloriantur se submittere. Insupèr Paulus docet, quòd etiamsi Angelus nobis euangelizet, præterquàm quod docet Ecclesia Catholica, non creda-

damus; ex quo evincitur hanc solam esse veram Religionem, usque ad consumationem seculi observandam.

2. Omnes Rom. Ecclesiæ Prælatos à tempore Silvestri fuisse seductores, cum à modo vivendi priorum sanctorum defecerint. R. Quia legitimi Ecclesiæ Prælati semper eandem doctrinam promulgarunt, quam tradiderunt Christus, & Apostoli; neque à modo vivendi priorum Sanctorum defecerunt, scimus enim etiam in primitiva Ecclesia fuisse Prælatos divites, ut constat ex Historiis Ecclesiasticis; neque Christus umquam præcepit ut Prælati essent pauperes, nisi affectu; non enim divitias, sed inordinatum affectum ad illas Christus prohibuit. Congruum enim est Prælatorum dignitati, ut quoad vestes, & comitatum decentiùs, & cum aliqua distinctione incedant; Sacerdotes enim in lege veteri scimus fuisse divites, & habitu, & potentià à vulgo fuisse distinctos; imò sæpè cum Sacerdotio potestas Regia fuit conjuncta. Gentiles etiam suis Sacerdotibus, ut commodiùs viverent, necessaria subministrabant; nil officit ergo si Prælati Euangelici, qui vera Sacerdotali dignitate sunt insigniti, hujusmodi commodis perfruantur prò decore dignitatis externo conservando. Immò id esset Christiani Populi ignominia, si Prælatos suos decenter decoros non haberet.

3. Neque Pontifici Romano, neque cuiquam homini dicebant se esse subjectos. R. Ex Apost. dicente nos esse subjectos potestatibus; cum autem Pontificia potestas, sit summa potestas, consequens est Pontifici Romano omnes subjectos vivere. Summo Pontifici collatam esse à Christo potestatem supra omnes homines, constat ex verbis Christi, qui Petrum constituit totius Ecclesiastici gregis Pastorem; Pastor autem est supra omnes oves, & oves subditæ sunt Pastoribus. Magistratibus, autem, & Principibus obtemperandum esse, jam alibi ostensum est.

4. Posse viros absque consensu uxorum, & viceversa, soluto matrimonio transire ad sectam Dulcinistarum. R. Ex his quæ dicta sunt verbo *Armeni*, ubi ostenditur matrimonium quacumque de causa esse indissolubile.

5. Omnes ordines Religiosos esse in fidei Catholicæ detrimentum. R. Ex pluribus oraculis Pontificiis, à quibus Religiosum institutum commendatur, tanquam Ecclesiæ valdè proficuum; quod colligi potest ex Bullis approbationum à Pontificibus expeditis, in quibus asseritur per Religiones Ecclesiam dilatari, virtutes promoveri, vitia extirpari, & similia encomia continentur. Utilitatem, quam ex Institutis Monasticis Ecclesia experitur, non est sanæ mentis qui non videat. Sed & ipsa instituti Regularis ratio sufficienter ex se probat utilitatem institutorum Regularium. Vide opusculum S. Thomæ contra impugnantes Religionem.

6. Laicos non teneri solvere decimas Ecclesiæ, nisi Ecclesiastici perfectionem, & paupertatem Apostolicam profiteantur. R. verbo *Apostolici*. Tum quia Christus non præcepit omnibus Fidelibus, ut profiterentur perfectionem Apostolicam, quam sinè speciali gratia impossibile est imitari, & tamen præcepit temporalia subsidia tribuenda Ecclesiæ ministris: ergo solutio decimarum non est commensuranda ex perfectione Ecclesiasticorum, sed ex lege præcipiente.

7. Perfectius esse vivere sinè voto, quàm voto Religionis obstrictum. Rep. Nam quod fit ex voto perfectius est, quàm id, quod fit sinè voto; votum enim firmat voluntatem in bono: ergo perfectius est vivere cum voto, quàm sinè voto. Deinde quod fit ex voto, fit ex cultu latriæ imperatæ à Religione, quæ intèr virtutes morales est præcipua, & quò virtus est nobilior, est etiam excellentior actus à virtute imperatus. Tum quia quò quis se magis Deo subjicit, majorem perfectionem emulatur, sed magis se Deo subjicit qui votum emittit, quàm qui non emittit. Ille enim consecrat Deo suam voluntatem, etiam in eorum abstinentia, à quibus posset licitè non abstinere, utpotè à nuptiis, à posses-

ſeſſione bonorum, ergo &c., & licèt ſinè voto poſſit etiam quis abſtinere, V.G. à nuptiis, perfectior tamen eſt actus illius, qui ſe abſtinet ratione voti, quia hic dat Deo fructus, & arborem, ille verò ſolùm fructus. Nec valet dicere, quòd per emiſſionem votorum homo fit ſervus, & amittit libertatem, quam nobis Chriſtus aquiſivit, ergo non eſſe bonum vovere; nam per votum homo non fit ſervus eà ſervitute, quà Chriſtus nos liberavit, quæ eſt ſervitus peccati, ſed fit magis ſervus Dei, & in tali actu vovendi magis probat ſuam libertatem; tantum abeſt quòd libertatem amittat; probat ſiquidem libertatem ſuam, & eſſe ſui juris, qui cum poſſit aliquid liberè operari, non modò non operatur, verùm etiam ipſam potentiam volitivam Deo conſecrat, quæ poſſet operari volendo ea, quæ etiamſi licita, ab illorum tamen volitione ſe abſtinet, non modò liberè in actu, ſed etiam liberè in poteſtate, quia liberè ipſam potentiam volitivam Deo conſecravit. Neque dicendum quòd vota Religioſa oppugnent libertati Euangelicæ, quæ permittit nubere, pecunias poſſidere, & ſimilia: nam ſi hoc eſſet, Deus non conſuleret in Scripturis vota. Tum quia injuriam non facit propriæ libertati, qui cum poſſit aliquid liberè agere, abſtinet ſe à tali actu. Religioſi autem per vota emiſſa, voluntariè ſe abſtinent à nuptiis, à poſſeſſione bonorum &c., & nemo cogitur ad emittenda vota: ergo vovere non eſt contra libertatem Euangelicam. Tum quia ſi teneret hoc argumentum ſequeretur quòd indiſſolubilitas matrimonii, cui aliquis per nuptias liberè ſe obſtringit, etiam repugnaret libertati Euangelicæ, non minùs quàm emiſſio votorum; ſicut enim qui vovet caſtitatem non poteſt cum muliere convenire, ità qui nubet, non poteſt ex ſe non convenire, ſed non eſt qui aſſerat contractum matrimonialem eſſe contra libertatem Euangelicam, ergo neque votorum emiſſio erit contra libertatem Euangelicam.

8. Idem eſſe orare in ſtabulo, ac in Eccleſia conſecrata. Repr. verbo *Apoſtolici*.

9. Licitum eſſe fidem ore negare ad evadendam Inquiſitorum, ſeu perſecutorum poteſtatem, modò corde teneatur. R. Ex Apoſtolo dicente in Epiſt. ad Rom. 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, ergo non ſufficit fidem corde tenere, ſed cum exhibetur occaſio, opus eſt etiam ad ſalutem ore fidem profiteri. Tum quia ſi ſufficeret fidem corde tenere, non poſſent Chriſtiani ab hæreticis diſcerni, fides enim eſt inviſibilis, & videri non poteſt, niſi per profeſſionem externam. Tum quia qui fidem ore negat, injuriam facit Deo, non minùs, quàm qui ore malè loqueretur de Principe, & in corde de eodem benè ſentiret. Vide verbo *Clancularii*.

10. Uſum pecuniæ, prohibitum fuiſſe Apoſtolis. R. verbo *Apoſtolici*.

IV. Duliani. Ex Arianiſmo propagata eſt hæc hæreſis circa annum 360. quæ Dei Filium Patris ſervum eſſe blaſphemabat. Duliani iidem ſunt hac Cyrtiani. Vide *Cyrtiani*. De his agit Theodoretus hæretic. fab. lib. 4.

XII. Durandus de Waldach in partibus Aragoniæ circa annum 1117. cum aliis impietatis ſuæ ſociis hæreſes promulgavit ab Epiſcopo Gerundenſi damnatas, ipſo hæretico in ſua cœcitate perſiſtente igni tradito. Ex Gaulterio.

Dicebat matrimonium nihil aliud eſſe, quàm occultum meretricium. Rep. verbo *Adamitæ*.



E



EBION. Post Jerosolymæ excidium, & à Christo nato anno 74. emersit Ebion impostor scelestissimus, qui oriundus ex regione Barzanitide, in vicò *Cocaba* dicto inhabitans, ex Philosopho Stoico, cum impio Cerintho communicans, evasit in pessimum hæresiarcam. Ebion Pauli Apostoli infensissimus hostis factus, cum contumeliis proscindere aggressus, falsa acta nomine Apostolorum edidit, in quibus unà cum impietate, multa coadunata sunt mendacia. Insuper S. Clementis scripta de D. Petri itinere corrumpens, multa falsa Proto-apostolis imponere studuit, ita ut non minùs in D. Paulum, quàm in S. Petrum bellum calumniosum attentaverit. Ebion hebraicè idem sonat, ac mendicitas: voluit ergo Ebion nuncupari hic perditionis homo, qui ex tali nomine indicare studuit, se libenter pro Christo pauperem effectum, & proindè se unum ex illis fuisse afferebat, qui suarum rerum pretium ad Apostolorum pedes deposuerant; hæreses varias simul conjungere studuit, primusque post Simonem Magum hæresiarcha invenitur teste S. Ignatio in Epistola ad Philadelphios. In Asia primùm, deindè Romæ prædicavit. Contra Ebionem Sancto Joanne Apostolo strenuè decertante, eundem hæresiarcam plures ex SS. Patribus primitivæ Ecclesiæ fælicitèr impugnarunt, inter quos egregiè S. Irenæus lib. 3. adversùs hæreses cap. 24. ubi Mariam semper Virginem extitisse, & de Spiritu sancto Jesum à Maria fuisse conceptum, insolubilibus argumentis ex Scriptura deductis ostendit. Verum quidem est, quod aliqui ex Ebionitis Christum de Virgine natum concedebant, ideò Origenes, Eusebius, & Epiphanius, duas Ebionitarum sectas fuisse contendunt, quarum una Virginitatem commendabat, & vitam satis rigidam ducebat, alia verò lascivis depravata moribus, Virginitatem contemnebat. Ebionitarum errores Cerintianis sunt affines. Convenerant in suis falsis dogmatibus disseminandis, ut suprà innuimus, Ebion, & Cerinthus, non ità tamen ut in omnibus essent concordes, nam ut refert Tertullianus de præscriptione cap. 48. Ebion mundum à Deo creatum esse concessit, quem ab Angelis productum Cerinthus affirmabat. Utebantur Ebionitæ ad suas stabiliendas hæreses Euang. Matth. sed decurtato, sicut & cæteras Divinas Scripturas depravaverant, vel mutilatas legebant.

1. Legem Mosaicam cum Euangelio observandam Ebion prædicabat. R. verbo *Cerinthus*.

2. Ebionæi Jerosolymam adorabant, quasi esset domus Dei. R. Quia domus Dei, qui est immensus, est ubique, ideoque in tali casu, non solùm Jerosolyma, quam reliquæ orbis urbes essent adorandæ; Et Christus dixit veros adoratores adorare in spiritu, & veritate, non in Jerosolymis: verum quidem est, quòd sicut Ecclesiæ specialiter vocantur domus Dei, quia ibi Deus faciliùs exaudit orantes, & ad illas enixè oraturi credentes conveniunt, peculiari etiam veneratione coluntur, non autem adorantur, solus enim Deus adorandus est; cum ergo Jerosolymis Deus plura prodigia, quàm alibi fecerit per Sanctos suos, & ibidem Christus suum sanguinem effuderit, distincto etiam nunc cultu à Catholicis invisitur illa Civitas, non autem adoratur tanquam specialis domus Dei, quia ut dictum est, Deus particularem domum habere nequit, quem cæli cælorum non capiunt, & soli Deo adoratio debetur; qui dixit: *Cælum, & terram ego impleo*.

3. Non recipiebant Scripturam, nisi Euangelium Matth. decurtatum. R. verbo *Albanenses*.

4. Christum simplicem creaturam esse blasphemarunt. R. verbo *Cerinthus*, quia tamen aliqui Ebionitæ ex Virgine de

de Spiritu sancto Christum conceptum fuisse admittebant, in hoc nihilominùs erant errore, ut Christum Deum, Verbum, & Sapientiam Patris ante secula extitisse negarent: sed Christum, qua Deum, fuisse ab æterno à Patre genitum, constat ex Symbolo Nicæno, ubi legitur. ***Ex Patre natum ante omnia secula.*** Vide verbo ***Artemon***, ***Carpocras***, ***Budneitæ***.

5. Spiritum sanctum fuisse creatum asseruit. R. verbo ***Aetiani***.

6. Dixit Christum natum esse ex femine Joseph. R. verbo *Carpocratiani*.

7. Duos Deos statuit, Christum, & diabolum, dicens diabolo commissam fuisse potestatem præsentis seculi, Christo verò futuri. R. Nam unum tantùm esse Deum constat ex his quæ dicentur contra ***Politheismum***. Diabolum autem non esse Deum, satis evincunt Scripturæ testimonia, ex quibus constat Luciferum a Deo creatum, ab eodem damnatum ad perpetuas flammas, nullamque habere potestatem in præsens seculum; quod Dei solo nutu regitur. Insuper Dei Sacerdotes, diabolum suis nutibus obtemperare sæpè cogunt, & cum diabolus Christo Domino hujus seculi dominium obtulit in deserto, Christus ad eum dixit: ***Deum tuum adorabis, & illi soli servies***; ergo diabolus nullam habet potestatem in præsens seculum.

8. Virginitatem nullatenùs admittebat. R. Ex Epist. D. Pauli ad Corinth. in qua Virginitas commendatur, quam Christus etiam disertis verbis laudat pluribi in Euangelio, cui Virgo voto se adstrinxit; cujus votum esse de meliori bono omnes SS. PP. & Theologi asserunt; cujus observantiam Deo esse gratissimam, sæpè Deus miraculis comprobavit. Vide verbo ***Antimarianitæ***.

9. Adolescentes citra naturæ ætatem ad nuptias urgebat. R. ex his quæ dicta sunt contra ***Calvinum***, qui asseruit omnes obligari ad contrahendum matrimonium. Tum quia pueri non possunt validè se adstringere vinculo indissolubili matrimonii, cum in puerili ætate non habeant sufficientem cognitionem ad validos contractus faciendos. Tum quia in puerili ætate homo est inhabilis, & impotens actu ad satisfaciendum obligationi matrimonali, ergo cogi nequit ad talem obligationem contrahendam. Tum quia omnis contractus de re impossibili est invalidus; ergo &c.

10. Permittebat cuicumque conjugato divortium, & transitum usque ad septimas nuptias. R. verbo ***Abstinentes***, & verbo ***Armeni***; quoad solubilitatem Matrimonii. Cæterùm licet Christiano, & cuicumque homini, quando solutus est ab uxore, vel viceversa, quod contingit per solam alterius mortem, non modò ad septimas nuptias transire, sed ad octavas, & nonas &c. Nullibi enim definitum est quoties liceat homini ad novas nuptias transire, qui quotiescumque solutus est à nuptiali contractu, semper remanet quoad hoc sui juris, & consequenter semper potest ad novas nuptias transire, & corpus suum alteri uxori in potestatem tradere.

11. In celebratione sacri Mysterii sola aqua, & azymis utebatur. Repr. verbo ***Aquarii***.

12. Nullum diem festum ab Ecclesia præceptum, præter diem Dominicum, observabat. R. Nam ut dictum est contrà ***Confessionem Augustanam*** Ecclesia habet auctoritatem condendi leges; ergo potest præcipere observantiam festivam aliorum dierum, præter Dominicum; Ecclesiam habere hanc auctoritatem constat ex Epistolis Pauli, quibus obediendum Ecclesiæ præcipit, &c. Insuper in lib. 5. constitutionum Apostolicarum cap. 12. præcipitur observantia aliquorum festorum, quæ præcepta confirmata fuerunt in aliis Conciliis, & præcipuè in Aurelianensi primo cap. 29. Tum quia in veteri lege nedum Sabbatha, sed etiam alii dies à Sacerdotibus præcepti festivà observantià celebrabantur, ergo etiam in Ecclesia, præter diem Dominicum, possunt & aliorum dierum feriæ præcipi, nempe in honorem præcipuorum Mysteriorum Christi, Virginis, & aliquorum Sanctorum, quorum specialitèr intercessionem apud Deum adhibemus.

mus. Institutio Festorum in honorem Sanctorum antiquissima est in Ecclesia; legimusque in aliquibus Ecclesiis, certorum Sanctorum dies festos fuisse celebratos, etiam primo ineunte seculo, ut constat ex historiis Ecclesiasticis: & videre est apud Eusebium lib. 4. hist. Eccles. cap. 14. ubi asserit Ecclesiam Smirnensem festiva celebritate observasse diem Sancti Polycarpi. Nec valet objicere Apostolum cap. 4. vers. 9. & 10. reprobantem Galatas his verbis. *Dies observatis, & menses, & tempora*; nam ibi Apostolus non improbat observantiam festorum, sed Astrologiam judiciariam, & observationem dierum Gentilium, in quo peccabant Galatæ, & licèt Exod. cap. 20. vers. 9. Deus declaret unum diem in hebdomada esse sanctificandum, non tamen prohibet etiam sanctificationem aliorum dierum, quorum observantiam, sicut praecepit Synagoga (scimus enim festum Encæniarum, & alia extra diem Sabbathum observata fuisse ex præcepto à Judæis in lege veteri) ità etiam aliorum dierum, præter Dominicum, potest Ecclesia observantiam festivam præcipere, non enim majorem auctoritatem habuit Synagoga, quàm habeat Ecclesia; ergo &c.

13. Sabbathum juxta legem Mosaycam custodiebat. Repr. verbo *Sabbatharii*.

XVI. Ebionitæ novi originem habuerunt in Lithuania, anno 1568. Sunt qui censent horum auctorem fuisse *Adamum Pastorem*, alii auctorem hujus sectæ faciunt *Budnæum*: Inter Anti-Christianos, qui totam æconomiam Christi, & præcipua gratiæ oppugnant mysteria, reponuntur.

1. Christum non Deum esse, sed purum hominem de Maria natum affirmant. R. verbo *Cerinthus*. Insuper Maria non peperit purum hominem, sed hominem Deum, unde Elisabeth ad eam dixit: *Unde mihi hoc, ut veniat Mater Domini mei ad me*, & Angelus ad Mariam: *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*, & Paulò post addit: *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur*: ex quo patet Christum non fuisse purum hominem, nec Mariam peperisse purum hominem, sed hominem Deum. Vide verbo *Artbemon*, *Budnaita*, *Carpocras*.

2. Legalia cum Evangelio esse observanda. R. verbo *Ærarius*, & *Cerinthus*.

XVI. Eberiani ab Ebero sectà Lutherano nomen sortiti sunt anno 1568. à Gravina recensentur inter Lutheranos molles, eo quòd Lutherum molliter defendant, & Melanctonem propugnent, quoad ea præcipuè, quæ de necessitate operum, & de cæremoniis asseruit, ipsumque Melanctonem commendant, quòd multa Lutheri opera correxerit. Fuit Eberus Melanctonis sectator; in Franconia ortum habuit, Witembergæ studuit, ubi cum Melanctone amicitià initâ, humaniores, & Theologicas scientias ibi publicè docens, minister nuncupatur. Vormatiensi colloquio interfuit, ætatisque annorum 58. decessit currente 1564. ejus discipuli dicti sunt Eberiani. Errores habuit cum Melanctone communes; scripsit historiam Populi Judaici, & Calendarium historicum.

IV. Ecebolius fuit Rethor magni nominis, tempore Juliani Apostatæ, scilicet paulò post medium seculi 4. Hic primò Christianus, deindè factus est Christianæ Religionis desertor, ut Juliano Apostatæ complaceret, cujus fuerat in arte Rethorica præceptor, quippe qui tempori inserviens, pro Principum placito Religionem etiam ipse mutabat, Imperatorum genio sese conformans, itaque sub Constantio Imperatore Christianum se simulans, sub Juliano Ethnicus apparuit; mortuo Juliano iterum Christianum se manifestans, in gratiam Constantii Ariani Arianæ perfidiæ sectatorem fuisse communiter creditur: ex Socrate, & Niceph.

XV. Echardus natione Teuthonicus, quarto decimo currente seculo institutum regularem professus, Doctoris Theologi lauream est assecutus, sed ad sobrietatem non sapiens, perniciosos errores suis in concionibus, & scriptis divulgavit: viginti, & octo articuli ex ejus ope-

operibus excerpti sunt, ex quibus Joannes 22. Pontifex Maximus Doctorum, & Cardinalium sententiâ, pronunciavit alios, tam ex verborum sono, quàm ex connexione sententiarum labem hæreseos continere; alios malè sonare, temerarios esse, ac de hæresi suspectos, licèt cum multis expositionibus, multisque supplctionibus sensum Catholicum formare queant, vel habere; librosque hujus authoris Apostolica auctoritate damnavit. Sed ipsemet Pontifex declaravit Echardum in fine vitæ suæ ad meliorem frugem redactum, se, & scripta suæ Sanctæ Sedis judicio submisisse, & quidquid erroneum dixerat, vel scripserat revocasse: ejus propositiones sunt sequentes.

1. Quòd Deus non potuit primò producere mundum, quia res non potest agere antequàm sit, undè quàm citò Deus fuit, tam citò mundum creavit.

2. Concedi posse, quòd mundus ab æterno fuerit.

3. Quòd simul, & semel quando Deus fuit, quando Filium sibi coæternum per omnia coæqualem Deum genuit, etiam mundum creavit.

4. In omni opere, etiam malo, tam culpæ, quàm pœnæ, manifestari, & elucere æqualiter gloriam Dei.

5. Quòd vituperans quempiam, ipso peccato vituperii laudet Deum; & quò plus vituperat, & graviùs peccat, ampliùs Deum laudat.

6. Deum blasphemia laudari.

7. Cum qui orando singulare aliquid, & determinatum petit, malum petere, & malè, quia negationem boni, & negationem Dei petit, & orat Deum sibi negari.

8. In illis hominibus honorari Deum, qui non intendunt res, nec honores, nec utilitatem, nec devotionem internam, nec sanctitatem, nec præmium, nec regnum cælorum, sed iis omnibus renunciaverunt.

9. Ego, inquit, nuper recogitavi utrum vellem aliquid à Deo recipere, vel desiderare; ego volo de hoc deliberare, quia ubi essem accipiens à Deo, essem sub eo, vel infra eum, sicut famulus vel servus, & ipse sicut Dominus in dando, sic verò in æterna vita non erit.

10. Nos (inquiebat) transformamur totalitèr in Deum, & mutamur in eum, sicut in Sacramento Eucharistiæ panis convertitur in Corpus Christi, sic ego convertor in eum, quòd ipse operatur me suum esse, unum non simile.

11. Quidquid Deus Pater Filio suo in natura humana dedit, hoc totum, inquiebat, mihi dedit, nihil excipio, nec unionem, nec sanctitatem.

12. Quidquid sacra Scriptura de Christo dicit, id omne de quovis homine sancto verè dici.

13. Quidquid naturæ divinæ proprium est, id totum hominis justi proprium esse; quamobrem illum operari quidquid Deus operatur, unà cum ipso cælum, & terram creasse; Verbum æternum generare, denique Deum sinè ipso nihil facere posse.

14. Virum probum, sic debere conformare voluntatem suam voluntati Divinæ, ut ipse velit quidquid vult Deus, dicatque quia Deus vult aliquo modo me commisisse peccata, nollem non commisisse peccata, hanc veram esse pœnitentiam addebat.

15. Si homo mille peccata mortalia commisisset, si esset rectè dispositus, velle non deberet ea non commisisse.

16. Deus non præcipit actum exteriorem.

17. Actus exterior non est propriè bonus, nec Deus propriè ipsum operatur.

18. Afferamus, ajebat, fructum actuum non exteriorum, qui nos bonos non faciunt, sed actuum interiorum, quos Pater in nobis manens facit, & operatur.

19. Deus Animas amat, non opus externum.

20. Bonus homo est Unigenitus Filius Dei.

21. Homo nobilis est Unigenitus Filius Dei, quem ab æterno Pater genuit.

22. Pater, ajebat, generat me suum Filium, & eundem Filium: quidquid Deus

Deus operatur unum eſt, propterea, inquiebat, generat me ſuum Filium ſinè omni diſtinctione.

23. Deus unus eſt omnibus modis, & ſecundùm omnem rationem, ita ut in ipſo non ſit invenire aliquam multitudinem in intellectu, vel extra intellectum, qui enim duo videt, vel diſtinctionem videt, vel Deum non videt, Deus enim unus extra numerum, & ſupra numerum, non ponitur unum cum aliquo. Nulla igitur diſtinctio in Deo eſſe, aut intelligi poteſt.

24. Omnis diſtinctio eſt a Deo aliena, neque in natura, neque in Perſonis probatur, quà natura ipſa eſt una, & hoc unum, & quælibet Perſona eſt una, & id ipſum quod natura.

25. Dum dicitur *Simon diligis me plus his* ſenſus eſt, ideſt plus quam iſtos, & bene quidem, ſed non perfectè, in primo enim & ſecundo, plus, & minus, & gradus eſt, & ordo, in uno autem nec gradus eſt, nec ordo, qui igitur diligit Deum plus quam proximum, bene quidem, ſed nondum perfectè.

26. Omnes creaturæ ſunt purum nihil.

27. Aliquid eſt in anima, quod eſt increatum, & increabile, ſi tota anima eſſet talis, eſſet increata, & increabilis, & hoc eſt intellectus.

28. Deus non eſt bonus, neque melior, neque optimus; Ita malè dico, cum voco Deum bonum, ac ſi album vocarem ignem.

Non eſt neceſſe, quòd hic ſigillatim reprobentur propoſitiones, quas meritò Sacra Sedes proſcripſit, quarum inſubſiſtentia ſatis per ſe patet, eò magis quòd plures earum pias aures hominis, etiam rudis, & agreſtis graviter ſtatim offendunt, aliarum verò implicantia cuicumque in Theologicis facultatibus, vel leviter inſtructo ſatis per ſe innoteſcit, aliarum autem inſubſiſtentia, alibi in hoc opere demonſtratur. Vide Natal. Alex. Tom. 7. art. 3. cap 12.

XVI. Efrontes. Quidam hæretici circa annum 1534. ſectam ſuam ex tribus ſpeciatim erroribus coagmentarunt, quos ex Calviniana perfidia progenitos eſſe creditur. Dicti ſunt Efrontes, quia.

1. Frontem ſibi ferro abradebant, donec indè ſanguis emanaret, poſteà verò oleum apponentes ſe Chriſtianos, abſque ulla alia forma pronunciabant. R. hic error ex neceſſitate Baptiſmi, quem Deus præcepit, ſinè quo nemo poteſt ſibi Chriſtiani nomen aſſumere. Scilicet per ſolum Baptiſmum homo in Dei ovile introducitur.

2. Dicebat Spiritum ſanctum nihil aliud eſſe, quam quandam elevationem, aut motionem, quæ in anima excitatur. R. ex iis quæ dicta ſunt contra *Duitas*, ubi de Spiritu ſancto Eccleſiæ revelatum eſſe oſtendimus. Contra *Airanos*, ubi Spiritum ſanctum Patri, & Filio conſubſtantialem eſſe probatur, ejuſque Divinitas aſſeritur. Quòd ſi Spiritus ſanctus eſſet elevatio, & motio, quæ in anima præſentitur, tot eſſent Spiritus ſancti, quot forent hujuſmodi motiones; ſequeretur quòd nonniſi ab homine ſic moto, & elevato, ſuum eſſe haberet Spiritus ſanctus, qui ab æterno eſt, de quo legitur *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Nihil difficiliùs juxta omnium SS. Patrum doctrinam, quàm diſcernere, quando Anima à Deo mota ſit, & elevata, facilè enim eſt in his motionibus decipi. Cæterum cum verè à Deo anima mota eſt, & excitata, dicendum quidem per ſpecialem gratiam in eà habitare Spiritum ſanctum, dona ſua animæ ſic elevatæ conferentem; non autem aſſerendum talem motionem eſſe Spiritum ſanctum, ſiquidem multò, & multò magis differt motio à Spiritu ſancto, quàm differat donum à donante.

3. Dicebant eſſe Idololatriam adorare Spiritum ſanctum, de quo nihil in Scripturis extare mentiebantur. R. verbo *Duitæ*, *Airani*. vide Florimond lib. 1. de Origine hæreſum.

XV. Ægidius cantor. De quo ſcribit Natal. Alex. Tom. 8. cap. 3. art. 2. ſectæ hominum intelligentiæ inſtitutor, natione Belga, Guillelmo de Hildernıſſem, etiam natione Belga, qui erat religioſus apo-

apostata, comitem se adjunxit; Hi duo perditi viri, unà simul sectam instituerunt, quæ dicta est *hominum intelligentiæ*. Ægidius novem protulit errores, quibus omnibus consensit Guillelmus, qui etiam ulteriùs progressus, adhùc quatuor addidit, & promulgavit circa initium seculi decimiquinti. Suos errores Guillelmus bis ejuravit, semel coram Episcopo Cameracensi, alia vice Bruxellis coram hereticæ pravitatis Inquisitore.

1. Dicebat Ægidius se esse Salvatorem hominum, qui per ipsum visuri essent Christum, sicut per Christum Patrem. R. ex verbis ad Philippenses 3. *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui &c.* & alibi; *Unus est Redemptor, ac Salvator noster Jesus Christus*. Item *Per quem salvati, & liberati sumus*; sed penè omnia novi Testamenti testimonia perhibent solùm Christum esse Salvatorem, ac Redemptorem nostrum, quod ter supra decies repetit S. Paulus in suis Epistolis.

2. Diabolum, omnesque homines tandem salvandos. R. verbo *Anabaptistæ*, contra quos ostenditur semel damnatos post judicium nunquam veniam consequturos. Verbo *Armeni*, contra quos dæmones, & damnatos cruciandos pœnà æternà asseritur.

3. Actus carnalis copulæ delicias Paradisi vocabat, & sine peccato posse exerceri. R. Quia Deus semper prohibuit, extra debitum matrimoniale, actus quoscumque carnales, ut constat ex pluribus Scripturæ auctoritatibus, & ex 6. & 10. Decalogi Præcepto, ergo nequeunt citrà peccatum exerceri actus carnales, unde Levit. cap. 20. vers. 10. *Morte damnantur fornicatores*, & Apostolus prima ad Corinth. cap. 16. scribit: *Nolite errare, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores Regnum Dei possidebunt*, & Tobias cap. 4. vers. 13. ait: *Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, & prater uxorem tuam, nunquam patiaris crimen scire*. Demùm Deuter. cap. 23. vers. 17. ad Thessal. cap. 4. vers. 3. & 4. Ecclesiast. cap. 19. vers. 3. constat nullatenùs licere actus carnales extra matrimonium; immò in ipso matrimonio, si finis sit sola delectatio, peccato non carent. Neque ex illis verbis Gen. 1. *Crescite, & multiplicamini* inferri debet, ut contendunt hæretici, Deum dedisse hominibus libertatem cœundi, sed per talia verba Deus dedit non solùm hominibus, sed etiam animalibus, & cunctis planctis virtutem generativam.

4. Tempus veteris legis dicebat fuisse tempus Patris, tempus novæ legis Filio attribuebat, & tempus proximum Spiritui sancto, istud vocabat tempus Eliæ, quo reconciliabuntur Scripturæ; ut quæ priùs tanquam vera habebantur, jam refutentur; sicut Catholicæ veritates, quæ consueverant prædicari de paupertate, continentià, obedientià, quarum oppositum, tempore Spiritus sancti prædicabitur. R. Quia S. Trinitas, quæ unus est indivisibilis Deus semper, & omni tempore regit, atque gubernat inferiora, & superiora; quòd si pro diverso tempore Personæ Divinæ divisim gubernarent, non essent semper in potestate æquales, quod implicat asserere de tribus Divinis Personis; quæ unam & indivisibilem essentiam habent, omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, justitiam in unà, & eadem essentia indivisam: unde dici nequit, quòd pro diverso tempore regant hæc inferiora; neque contrarium veritatis Catholicæ, quæ actenus prædicata est in verà Ecclesià aliquando prædicabitur, dicente Domino: *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*. Tum quia post legem gratiæ nullam aliam legem dandam esse hominibus certum est, hæc enim usque ad seculi consumationem est duratura, quia leges Ecclesiæ Militantis à Deo fundatæ supra firmam petram, usque ad extremam discussionem vigebunt; neque in tempore Spiritus sancti ficto ab Ebione prædicabuntur veritates contrariæ iis, quas nobis Christus per se, vel per suos Apostolos prædicavit, quia lex Christi est lex Patris, & lex Spiritus sancti; verba enim, quæ Christus locutus

tus est nobis, ipse perhibuit, quòd essem verba Dei.

5. Afflatum Spiritus sancti in rebus etiam inhonestis, & nefariis jactabat. R. ex epistola D. Jacobi: *Deus enim intentator malorum est, sed unusquisque tentatur à concupiscentia*. Tum quia inter alias virtutes, quas in nobis diligit Spiritus sanctus, excellit castitas, undè dicitur quòd castè,& piè viventes templum sunt Spiritus sancti. Tum quia Deus prohibet inhonesta, & nefaria, ergo nequit esse afflatus Spiritus sancti, in his quæ Spiritus sanctus expressè prohibet.

6. Orationes, jejunia, præcepta Ecclesiæ, castitatem maximè oderat.

7. Nullam esse in mundo virginem asserebat, præter unam; quæ sapientia vocabatur. R. Nam præter alias virgines, quas nobis commendant historiæ Ecclesiæ, Mariæ perpetua virginitas commendantur in sac. pag.

8. Actus omnes nefarios ad divinam referebat voluntatem. R. ex his quæ dicta sunt supra num. 5. Tum quia omne peccatum effectivè procedere à libero hominis arbitrio probatur contra *Valentinum*; esto quòd Deus permissivè se habeat ad peccatum, quatenùs sinit causas secundas agere motus suos, nullatenùs autem effectivè vult peccata, quæ districtè prohibet. Vide verbo *Blastus*.

9. Circa existentiam Inferni, & Purgatorii perversè dogmatizavit. R. quoad existentiam Inferni, & Purgatorii. Verbo *Albanenses*.

Errores Peculiares
Guillelmi.

1. Quidquid agit homo asserebat non ei cedere ad salutem, neque ad damnationem, quia passio Christi satisfecit pro omnibus. R. quoad necessitatem bonorum operum ad salutem Verbo *Confessio Augustana*, *Amsdorfiani*, *Antinomi*; Opera autem mala causam esse damnationis nostræ constat ex his quæ dicta sunt contra *Arnaldum de Villanova*, ubi ostenditur Deum punire peccata non minùs publica, quàm occulta, ergo peccata sunt causa damnationis; quòd si non essent causa damnationis, quia, ut ait Guillelmus, passio Christi satisfecit pro omnibus; sequeretur quòd post Christi Passionem licitum foret omnem iniquitatem committere, & superfluum fuisset Christum peccata prohibere, si pro peccatis nulla pœna esset inferenda; neque deberet secularis Magistratus punire flagitia, si neque Christus illa corriperet.

2. Dixit hominem exteriorem non maculare interiorem. R. Nam peccata, quæ materialitèr corpore committuntur, formalitèr coinquinant animam, quòd si homo exterior non macularet interiorem, sequeretur omnia peccata esse interna, nec ullum esse actum malum externum, consequentèr sinè reatu posse hominem exercere actus malos peccaminosos, sed Deus prohibet tam actus internos, quàm externos peccaminosos; ergo &c.

3. Dixit Deum ubique esse, in membris hominis, in lapide, in Inferno, sicut in Sacramento Altaris. R. Quia in tali casu eodem modo deberet venerari lapis, ac Sacramentum Altaris, in quo solùm verè, & realitèr est Corpus, Anima, & Divinitas, ratione unionis hypostaticæ: neque dici potest quòd Divinitas sit realitèr in lapide, eo modo quod est in Sacramento, quia non datur unio inter lapidem,& Divinitatem, quæ est inter Corpus Christi, & Divinitatem; & licèt Deus sit ubique per immensitatem, peculiaritèr tamen est in Sacramento per transubstantiationem.

4. Dixit resurrectionem non fore ampliùs sperandam, quòd jam facta sit in Christo, cujus membra sumus, cum caput sinè membris non resurrexerit. R. Verbo *Ærarius*, & *Basilidiani*; Ex eo autem quòd Christus resurrexerit, sequitur nos etiam resurrecturos, ut ait Apostolus, non autem surrexisse cum Christo, quia nos cum Christo non facimus unum corpus reale, sed mysticum; ideoque nulla est illatio Guillelmi, asserentis corpus sinè membris non resurrexisse. Resurreximus quidem spiritualiter cum Christo, & etiam realitèr in extremo judicio resurgemus; quod totum explicat Apostolus in Epistola ad Roman. cap. 6.

XVI. Æct-

XVI. ÆGIDIANI secta Anabaptistæ originem habuerunt ab Ægidio Aquensi anno 1566. qui tandem factus Anabaptistis exosus, ab eis excommunicatus est: mox palinodiam canere adstrictus, tandem Antuerpiæ capite plexus fuit: ex Gravinà.

1. Rebaptizabat ad eum accedentes. R. Verbo *Anabaptistæ*.

2. Solum Baptismum ab ipso collatum verum esse Baptismum asserebat, & à singulis quos baptizabat tres nummos exigebat. R. Verbo *Simon Magus*.

IV. EITHALES Arii socius, cum aliis Episcopis Arianis literam subscripsit, quam Arius ad Alexandrum Episcopum Alexandrinum direxerat, in qua epistola Arianæ blasphemiæ continebantur, ex Baron. ann.318.

XVI. EJULANTES in Superiori Belgio emerserunt seculo 16. sectaque sunt Anabaptistæ, *Ejulantes* dicti, quia asserebant nullam esse orationem Deo gratam, quàm perpetuò lacrymari, & ejulare. R. ex Propheta reali. *Servite Domino in lætitia*, alibi *in exultatione*, alibi *in cimbalis jubilationis*. Apostolus etiam hortatur nos, ut semper in Domino gaudeamus, ità tamen ut modestia nostra nota sit omnibus. Tum quia Deus est fons totius exultationis, & prohibet nos facere tamquam hypocritas, qui exterminant faciem suam, ergo neque vult externam ejulationem, sed vult lacrymas cordis, & compunctionis. Vide *Sanderum* hæresi 200.

III. ELCHEZAITAE Ducem habuerunt Elzai, & solummodò Origenis tempore, scilicet anno 239. detecti sunt, non verò exorti, ut ait Prateolus, emerserunt enim tempore Elzai, & fortè occulti vixerunt usque ad Origenis tempora, qui eosdem egregiè confutavit. Singulari honore colebant Elchezaitæ Elzai, & ejus fratrem, omnesque ab illis progenitos; Tempore Valentis Imperatoris duæ adhuc vivebant sorores, ex stirpe Elzai progenitæ, ad quas Elchezaitæ, quotiescumque egrediebantur, certatim currebant, ut illis comitatum exhiberent, porrò errores, quos ab Elzai didicisse gloriabantur, sunt sequentes.

1. Immensitate Dei illudentes, dicebant Deum habere mensuram milliariorum nonagintasex in longitudinem, & vigintiquatuor in latitudinem, crassitudinem quoque corporis, illiusque partes metiebantur. R. Quia Deus est immensus, & ut ait Scriptura, altior Cælo, profundior Inferno, quem Cæli Cælorum non capiunt. Insuper Deum non esse corporeum probatum est contra *Antropomorfitas*, & consequentèr metiri non potest.

2. Spiritum sanctum vocabant sororem Christi, fœmineà figura præditam. R. ex his quæ dicta sunt de Divinitate Spiritus sancti, contra *Aetianos*, *Airanos*, *Duitas*, *Abaillardum*.

3. Dicebant non modò Christum, sed Spiritum sanctum diversa corpora assumere, & unoquoque tempore varia exhibere. Hoc purum esse figmentum satis per se patet.

4. Christum simplicem creaturam esse, & apparentem dicebant. R. quoad Christi Divinitatem ex his quæ dicta sunt contra Cerinthum, & alios hæreticos; quòd autem Christus non fuerit apparentèr homo, sed realitèr, constat ex his quæ dicta sunt contra *Albanenses*, *Basilidianos*, *&* *Dositheum*.

5. Plures statuebant Christos, unum quidem sursum, alterum deorsum, quem in multis anteà, deindè in Mariæ filio inhabitasse dicebant. R. ex verbis Matth.23. 8. *Unus est Magister vester*, *idest Christus Jesus*; ex quo etiam patet quòd Christus non fuit alius à Jesu Mariæ Filio, quidquid enim in sacris pag. de Jesu Mariæ Filio dicitur, hoc etiam de Christo asseritur: Jesus enim dictus est Christus, idest Unctus Domini. Neque Christus in aliis apparuit, sed tunc solùm manifestatus est, cum natus est de Virgine, & cum hominibus est conversatus. Verum quidem est, quòd Deus in lege veteri multifariam, multisque modis locutus est in Prophetis, sed solum Incarnatus visus est novissimè, cum de Virgine nasci dignatus est, sicut testantur sac. pag. si enim aliis temporibus Deus in carne ap-

apparuisset, non semel, sed pluries fuisset incarnatus; sed scimus ex Scripturæ testimoniis unum tantùm fuisse Messiam prænunciatum, qui semel natus, semel mortuus, semel & resurrexit.

6. Dixit Elzai Christum primùm quidem formatum esse in corpus Adam, & rursùs induere quando vult. R. pluribus Scripturæ textibus, ubi asseritur Christum veteris Adæ culpam expiasse, ergo non potuit esse formatus in corpus Adam, cujus culpas abluit. Christus enim est impeccabilis.

7. Elchezaitæ sæpè inter se discrepantes, aliquando asserebant Jesum à Deo extitisse, & ex Virgine Maria natum esse, aliquandò negabant.

8. Elzai dicebat rem esse indifferentem fidem negare necessitatis tempore, modò eam quis mente retineret; quapropter mendacium in causâ Religionis licitum esse propugnabat. R. verbo *Dulcinus*, & *Paulicìani*.

9. Utebantur Elchezaitæ invocationibus, & incantationibus dœmonum. R. verbo *Basilides*.

10. Dicebant negare Christum non esse peccatum. R. Matth. 10. vers. 33. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*: ex quo constat negare Christum esse peccatum; non enim Christus esset negaturus coram Patre eum, à quo negabitur, si Christum negare non esset peccatum.

11. Elchezaitæ duas fœminas quibus nomen erat Marcus, & Marthana ex Pseudoprophetæ Elzai genere oriundas adorabant ut Deos, quarum altera etiam tempore Sancti Epiphanii vivebat, & illarum excrementa adhibebant ad sanandas infirmitates, sed frustrà.

12. In rebus omnibus judaizabant. R. verbo *Cerinthus*.

13. Libellum quemdam à Cælo (ut ipsi mentiebantur) acceptum gestabant, cujus verba quicumque audiret, remissionem peccatorum, ab eà, quæ per Christum est instituta dissimilem, obtineret. R. Nam pro remissione peccatorum adhibenda esse sola remedia à Christo Domino instituta, qui solus potest peccata remittere, certum est.

14. Scripturas sacras truncabant, rejectis ex integro D. Pauli Epistolis, Prophetis, & Apostolis. R. verbo *Albanenses*.

15. Pluribus, & diversis Baptismis utebantur. R. Nam unum esse Baptismum, & hoc à Christo institutum profitetur Ecclesia in Symbolo Nicæno.

16. Aquam quasi Deum adorabant. R. ex Scripturis ubi præcipitur ut soli Deo adoratio latriæ impendatur.

17. Aliqui Elchezaitæ abstinebant ab esu rerum animatarum. R. ex his quæ dicta sunt verbo *Græci*, ubi ostensum est non esse peccatum comedere de suffocato. Tum quia in novo testamento Christus non prohibuit esum animalium, quæ creavit ad humanum subsidium. Christus ipse comedit agnum Paschalem cum Discipulis, & pisces distribuit turbis sequacibus, quos miraculosè multiplicaverat.

18. Mortem pro eis, qui erant ex genere Elzai, libenter obibant.

19. Solebant nudis pedibus incedere. R. verbo *Nudipedes*.

20. Pro juramento septem testes præscripsit Elzai, nempe cælum, solem, lunam, ventum, aquam, terram, & panem. R. Matth. 5. vers. 34. *Ego autem dico vobis non jurare omninò, neque per cælum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum pedum ejus est, neque &c.* Jacobi cap. 5. vers. 12. *Ante omnia autem fratres mei nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque*; ex quibus & aliis textibus prohibetur hominibus jurare per creaturas, quia cum juramentum sit actus quo vocatur Deus in testimonium veritatis, per solum Deum jurandum est, cum dignis de causis exhibendum est juramentum; ideo Deuter. c.10. vers.20. legitur: *Dominum tuum timebis, & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis*; Tum quia jurare per creaturas est actus Idololatriæ, quia cum juramentum sit actus Religionis, quo Deus invocatur in testem veritatis, qui invocat

cat creaturas in juramento, manifestè probat se creaturas tanquam Deum adorare. Vide verbo *Catharista*.

I. Elexai, sive Elzai fratrem habuit nomine Jexeus; ex Judæis oriundus tempore Vespasiani Imperatoris, anno scilicet 74. Cœpit debachari, multasque hæreses sive potiùs hæreticas fabulas effutire sub Trajano Imperatore, initio secundi seculi, præcipuè in Palestina viguit hæresis disseminata ab Elexai trans Jordanem, ubi adhùc temporibus S. Epiphanii vigebat. Elexai cum Ebione societatem iniit, & ex his pravitatis portentis simul unitis, magnum monstrum effigiatum est, in unum cœuntibus sub istorum ductu pluribus hæreticis, scilicet *Samaritis*, *Judæis*, *Ossenis*, *Nazaræis*, *Cerinthianis*, *Carpocratianis*, & aliis, quorum omnium errores Ebion simul collegit, & prædicavit. Elexai, homo dissolutus, & dolosus, ortum sortitus est in Nabathæà Regione, quæ est ultra vallem salsam, quæ etiam appellatur mare mortuum. Pseudopropheta apparuit, scripsit siquidem librum secundùm Prophetiam, sive secundùm divinitùs revelatam (ut ipse dicebat) sapientiam, sed in re secundùm diabolicè inspiratam doctrinam; homo fraudulentæ mentis, ut ex erroribus, quos disseminavit, facilè colligitur. Ejus sectatores vocati sunt Elchezaitæ, sive Sampsæi. Vide verbo *Elchezaitæ*.

III. Electi. Sicut Ecclesià orthodoxa universum populum in duas partes distinguit, nempè laicos, & clericos, ità Manes suos sequaces inter electos, & auditores partitus est: Ex electis erant tantùm duodecim, quos appellabat Magistros, & à Magistris Manichæorum Episcopi ordinabantur.

IV. Eleusius natione Cizicus, Cizici in Propontide Macedoniorum Ecclesiæ præfuit circa finem sæculi 4. tempore Theodosii Primi. Plura in eumdem crimina objecta sunt ab ipsis hæreticis, à quibus fuit exauthoratus, siquidem à Macedonio hæretico, cujus errores profitebatur, Cizici Episcopus fuerat constitutus. In locum ejus suffectus fuit Euuomius hæresiarcha. Sub Juliano Apostata multa passus est Eleusius, quia fana Gentilium devastaverat; fælix utique in suis angustiis futurus, si hæresi Arianà non fuisset contaminatus, & Macedonianum dogma non propugnasset.

V. Eleusius Alter unà cum Constantino, & Constantio Monachis, Eutychetis procurator constitutus, accessit ad Conciliabulum Constantinopolitanum Chrisapii Imperatoris Eunuchi dolo convocatum, ad quod Eutyches non per se ipsum, sed per dictos procuratores causam suam erat propugnaturus: ideoque prædictus Eleusius una cum sociis Eutychetis libellum detulit. In Conciliabulum introductus, se Eutychianum comprobavit, quandoquidem causam Hæresiarchæ Eutychetis propugnandam assumpsit.

XVI. Eleutheropapistæ inter Antilutheranos, qui communi vocabulo Anabaptistæ vocantur, & in multis à Luthero discordant, plures in sectas divisos, reponuntur à Gravina, unam ex prædictis sectis constituunt, & emerserunt anno 1544.

1. Dicebant liberum unicuique esse si baptizari velit, etiam si sit in adulta ætate. R. ex his quæ dicta sunt contra *Armenos*, & *Buccerum* ad probandam necessitatem Baptismi; sicut etiam ex aliis rationibus adductis contra Anabaptistas circa Baptismum parvulorum, sequens Eleutheropapistarum error reprobatur in quo.

2. Asserebant nullum nisi adultum esse baptizandum. R. Quia cum Baptismus sit omninò necessarius ad salutem, ut alibi dictum est; in sententia Eleutheropapistarum nullius parvuli saluti posset Ecclesia consulere, & qui parvuli decederent, omnes privari deberent Dei consortio, qui ait: *Sinite parvulos venire ad me*. Vide verbo *Armeni*, *Buccerus*.

I. Elymas Magus, ille est, qui studens avertere Pauli Proconsulis conversionem, fuit à D. Paulo cæcitate percussus; sed tantùm abfuit, quòd lumine orbatus, mentis oculos aperiret ad veram

 fidem

fidem, quam D. Paulus euangelizabat, discernendam, ut pertinacior factus, teste D. Dionysio, librum ediderit adversùs Pauli prædicationem, & Christi fidem. Huic Mago nomen erat Bar.Jesu, sed voluit Elymas dici, quod interpretatur *Dei mei mensura*; ut tali nomine assumpto, Dei nuncius ab hominibus crederetur.

VI. Elias. Quæstio de tribus capitulis Synodi Chalcedonensis, sub Vigilio Rom. Pontifice exorta, diù Ecclesiam dilaceravit. Orta autem est hæc quæstio inter Episcopos Catholicos, quorum aliqui pro bono fidei credebant tria capitula esse recipienda, alii autem (sed delusi) ne scilicet, ut dicebant, magis ad Iram excitarentur hæretici, esse rejicienda asserebant. Hæc autem erant tria capitula: 1. damnatio Theodori Mops Uesteni: damnatio Epistolæ Ibæ Episcopi Edessensis: 3. damnatio scriptorum Theodoreti Episcopi Cyri contra Cyrillum. Inter præcipuos Episcopos, qui hæc tria capitula contra Pontificis sensum reticenda esse asserebant, & hac de causa schisma fecerunt, unus fuit Elias Aquilejensis Episcopus, quem, sed frustra ad suscipienda tria dicta capitula, hortatus est Sanctus Gregorius Papa, qui sub Pelagio prædecessore Pontifice eruditissimum librum super trium capitulorum causam conscripserat. Vide Baron. ann. 547. 586.

VIII. Elipandus. Archiepiscopus Toletanus, regnante Carlo Magno hæresim Nestorianam instaurare studuit. Sunt qui asserant Elipandum à Felice Urgelitano petiisse consilium, quid sentire deberet circa Christum ut hominem, & responso accepto Christum ut hominem dicendum esse Filium adoptivum, & non proprium, ac naturalem, juxtà Felicis erroneum documentum, etiam per scripta, hanc promulgasse sententiam, in quam adducere voluit Adolindam Silonis Galitiæ Regis Viduam, quæ in sensu Catholico perstitit, & eadem procurante adversùs renascentem hæresim statim scripserunt Etherius Oxomensis Episcopus, & quidam Sacerdos nomine Beatus Sanctitate conspicuus; Sed his salutaribus monitis haudquaquam correptus Elipandus, Nestorianam hæresim, datis ad diversas Provincias epistolis, propugnare non destitit, præcipuè in Asturia, & Galetia. Damnatus proindè in Concilio Toletano, celebrato anno 791. Præside Paulino Patriarcha Aquilejensi sanctimonià celebri, & iterùm in Ratisponensi; postremò in Francfordiensi celebrato anno 794., & propè hæc tempora in suo errore obstinatus decessit. Ex Spond. in Epitom. ann. 783.

Asserebat Filium Dei secundùm humanitatem dicendum esse Filium adoptivum & non proprium, ac naturalem, ac proindè duos constituebat Dei Filios in Christo, naturalem unum, adoptivum alterum. R. Quia nullibi in Scripturis legitur quòd Christus sit Filius Dei adoptivus, sed ex iisdem colligitur Filium esse naturalem, quapropter Divinus Pater in monte, Christum vocavit Filium suum dilectum: *Hic est Filius meus dilectus. In quo mihi benè complacui*; & S. Paulus ad Rom. 8. asserit Christum esse proprium Filium Dei, *Qui proprio Filio suo non pepercit*; Filius autem proprius est naturalis, non adoptivus. Insupèr in Psalmo legitur: *Filius meus es tu, ego hodiè genui te*; Sed Filius secundùm generationem est Filius naturalis, non adoptivus. Tum quia in Christo unica tantùm est persona, ut asseritur contrà Nestorium, ergo unica tantùm filiatio, sed hæc esse non potest adoptiva, quia Filius naturalis non potest esse adoptivus, ergo &c. Tum quia adoptio est assumptio extraneæ personæ in hæreditatem, sed persona Christi non est extranea respectu Patris, cum persona Christi una & eadem sit, ac persona Verbi, sed Verbum non est Filius adoptivus, ergo neque Christus; ex quo sequitur quòd Christus etiam quà homo, nullatenus potuit adoptari. Neque ex illo quod legitur Jo: 14. *Pater major me est*, potest inferri quòd Pater sit major Filio propter filiationem adoptivam, quæ nullatenus esse potest in Christo; sed hoc Christus dixit de se respectu Patris, quatenùs

tenùs assumpserat formam servi. Vide verbo *Bonosiani*.

IV. Elpidius luminibus orbatus uxorem habuit nomine Agapem, Agapetarum hæresis institutricem; amplexatus est uxoris errores. Vide verbo *Agapetæ*. De Elpidio scribit D. Hieron. lib. adversùs Pelag.

IV. Elpidius Alter, Juliani Apostatæ privatæ pecuniæ, & facultatum Procurator, quem Romani Comitem rerum privatarum appellare consueverunt; cum primùm esset Christianus, ut Juliano complaceret, apostatavit à Fidè unà cum Felice Regii Thesauri quæstore. Catholicis multùm infensos; sacris vasis, quæ Antiochenæ Ecclesiæ Constantinus Imperator splendidè donaverat, deprædatis, prædictum Felicem suorum sacrilegiorum comitem habuit. Vide Baron. anno 362.

IV. Elvidius Auxentii hæretici, Mediolanensis Episcopi, sectà Ariani discipulus, circà finem seculi IV., vir planè litterarum rudis, tempore D. Hieronymi vixit, qui eumdem confutavit.

1. Dixit Mariam peperisse quidem in virginitate Christum, sed posteà cum Sancto Joseph convenisse, & habuisse alios filios. R. verbo *Antimariani*.

2. Dixit virginitatem non esse apud Deum majoris meriti, quàm conjugium. R. Ex Epistola D. Pauli ad Cor. cap.5. in quà virginitatem supra conjugium commendat. Tum quia animæ virgines specialitèr Sponsæ Christi vocantur, Christus verò qui pascitur intèr lilia, specialiùs de cultu virtutis virginalis sibi complacet. Tum quia statum virginalem, perfectiorem esse quàm conjugalem, consentiunt SS. PP. Tum quia votum debet esse de meliori bono, virginitas autem vovetur, sed hoc foret superfluum, si virginitas non esset apud Deum majoris meriti, quàm status conjugalis. Tum quia Martyres reputantur, qui vitam exponunt pro virginitate servanda. Vide verbo *Ebion*. *Antimarianitæ*.

V. Emeritus. Donatistarum Episcopus in Cæsariensis Mauritaniæ Civitate, cum S. Augustino, qui ad dictam Civitatem, ex Pontificis ordinatione, Ecclesiæ causam acturus se contulerat, disputationem habuit, in quà à D. Augustino licèt convictus, non tamen ab errore resipuit. De Emerito scribit Possidius in Vita S. Aug.

II. Encratitæ ducem habuerunt Tatianum; dicti sunt Encratitæ, quòd idem est, ac *Continentes*, quia aversabantur matrimonium. Nominat hujusmodi hæreticos S. Augustinus de hæresi cap. 64. *Aquarios*. Theodoretus verò *Hidroparastatas*, ex hæresi quam profitebantur, solam aquam adhibentes in consecratione Calicis. Qui verò Encratitæ, id est *Continentes* vocari gloriabantur, turpitèr agebant cum mulieribus. Multi adhuc ex hac secta debachabantur tempore S. Epiphanii in Phrigia, Galatia, Pamphilia, Cilicia, Syria. Tatianus autem natione Syrus, ex Philosopho Platonico Christianus factus, aliquando floruit in Ecclesia sub disciplina Justini Martyris, circà annum Domini 173. Insignem ediderat librum prò defensione Catholicæ Fidei adversùs Gentiles, & aliquandiù Romæ diversatus Religionis specimen dedit, sed mortuo Justino præceptore in Orientem reversus, in errores Valentini delapsus est, illos Antiochiæ, & in Cilicia docuit, novisque adjuventis erroribus, Encratitarum sectam instituit, circa annum 178. Reprobare scriptis Encratitas aggressi sunt Clemens Alexandrinus, Origenes, S. Epiphanius.

1. Asserebat Tatianus diabolum habere principatum adversùs Dei opera oppositum, & Deo non subjectum. R. ex verbis Scripturæ. *Deum tuum adorabis, & illi soli servies*; Tum quia voluntati Dei nihil posse resistere, sæpè clamant sac. pag. Tum quia si diabolus haberet principatum adversùs Dei opera oppositum, & Deo minimè subjectum, Deus non esset omnipotens, & omnium Dominus, nec diabolus creatura ejus.

2. Nuptias dixit esse corruptelas, & fornicationes. R. ex iis quæ dicta sunt de matrimonio contra *Adamitas*. Tum quia si nuptiæ essent illicitæ, cum Deus insti-

instituerit matrimonium, ut colligitur ex Gen.cap.2.verf.18. fequeretur Deum esse malorum auctorem, quod nefas est, vel cogitare. Tum quia Matth.19.verf.4. legitur: *Quod ergo Deus conjuxit, homo non separet*, & prima ad Corinth. cap.7. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere*, ex quibus textibus manifestè colligitur Deum instituisse matrimonium, & consequenter nuptias non esse corruptelas, & fornicationes, quas Deus in præceptis Decalogi districtè prohibet. Insuper S. Petrus Epist. 1. cap.3. præcipit mulieribus, ut sint subditæ viris suis. Nec valet dicere nuptias esse fontem peccati originalis, ergo esse illicitas, quia fons peccati originalis non sunt nuptiæ, sed peccatum primorum Parentum. Vide verbo *Adamitæ*.

3. Dixit Adamum non esse salvatum. R. Quia in sacris pag. nullibi legitur Deum damnasse Protoparentes, sed quidem ratione culpæ ejecisse de Paradiso; nec Deus maledixit illis sicuti maledixit serpenti. Insuper Protoparentes post expulsionem, pœnitentiam (ut traditur à majoribus) fecerunt, pœnitentibus autem Deus veniam largitur. Tum quia Adamum Dei misericordiam fuisse consecutum afferunt omnes SS. PP. Demùm Christus, ut plurium sententia est, voluit crucifigi in ipso loco, ubi Adam fuerat sepultus, ut ostenderet Adamum beneficium Redemptionis obtinuisse, ubi Christus absolutissimam de morte reportavit victoriam.

4. Plura principia sive Deos assignantes Encratitæ, inter hæc diabolum constituebant. R. verbo *Politheismus*.

5. Mysterium Eucharistiæ in sola aqua conficiebant. R. verbo *Aquarii*.

6. Admittebant fœminas ad Sacra peragenda Mysteria. R. verbo *Colliridiani*.

7. Abstinebant à vino, quod diabolicum vocabant, & solos improbos illo uti asserebant. R. ex miraculo quod Christus fecit in nuptiis Cannæ Galilææ. Insuper Christus Sacramentum sanguinis instituit in vino. Tum quia D. Paulus præcipit Timotheo, ut utatur vino; sic prima ad Timoth. cap.5. verf.23. *Noli adhùc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*. Neque vinum est prohibitum quia generat ebrietatem, sed nimius potus est prohibitus, non enim ebrietas est à potu vini, sed ab immoderato potu vini, & hoc evincunt auctoritates Scripturæ, quas in contrarium adducunt hæretici, scilicet nimium vini potum esse prohibitum.

8. Abstinebant ab esu carnium. R. ex Concil. Bracharensi sub Joanne Papa III. cap.14. ubi asseritur esum carnium esse licitum. Tum quia Christus agnum Paschalem comedit. Tum quia malum esse abstinere à cibis tanquam à Deo prohibitis apertè asserit Paulus ad Timoth.1. cap.4. Tum quia Deum concessisse hominibus esum carnium constat Gen.9. verf.3. *Et omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum*. Eadem facultas vescendi carnibus data à Deo hominibus, explicitè habetur Deuter. c.14. verf.4. Estò autem quòd in lege veteri esus aliquorum animalium esset prohibitus, non tamen adhuc viget in lege gratiæ talis prohibitio, quia illa prohibitio erat figurativa, nunc autem cum expletum sit figuratum, non ampliùs subsistit. Tum quia Christus dixit Apostolis Luc.10. verf.8. *In quamcumque civitatem intraveritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis*. Neque aliquius animalis esum prohibuit, sed simpliciter dixit, *manducate quæ apponuntur vobis*. Verum quidem est, quod, ut ait Apostolus ad Rom.14. verf.21. cum ex esu carnium nascitur scandalum, tunc expedit abstinere, quod etiam nos asserimus, diebus potissimùm, quibus Ecclesia prohibet esum carnium ad mortificationem corporis, tunc opus est abstinentiâ, non tamen hinc potest inferri, quòd esus carnium sit absolutè prohibitus; sicut neque idem potest inferri ex eo, quod legitur Actorum 15. verf.28. & 29. ubi Apostoli in Concilio congregati prohibuerunt esum carnium, quæ immolatæ fuerunt Idolis, prohibuerunt enim, quia hinc acci-

accipiebant scandalum Judaei; & ne putarentur communicare sacrificantibus Ethnicis, non quòd talis esus esset in se absolutè malus.

9. Acta Apostolorum, & Pauli Epistolas non recipiebant. Repr. verbo *Albanenses*.

10. Ad suos confirmandos errores utebantur apocriphis scriptis, quae vocabant acta Andreae, Joannis, Thomae.

11. Encratitae legebant Euangelium à Tatiano compositum, quod Divinarum Scripturarum Canoni aggregarunt, *Diatessaron* nuncupatum, idest Euangelium ex quatuor Euangeliis compactum.

XVI. Energici emerserunt an. 1551. Staphilus horum nomine vult intelligi Zuinglianos illos, qui dicunt corpus Domini per energiam esse intelligendum, quasi effectum pro causa per metonimiam. Attamen tam à Staphilo, quàm à Gravina inter Sacramentarios reponuntur.

1. Dicunt panem, & vinum in Eucharistia esse efficacia signa Corporis, & Sanguinis Domini, undè verba consecrationi: *Hoc est Corpus meum*, sic interpretantur: *Hic panis est signum efficax corporis mei*, & dicunt re verà Corpus non manducari, sed per fidem, & in Eucharistia virtutes corporis Christi existere. R. verbo *Calvinus* ubi ostenditur vera existentia corporis Christi in Eucharistià.

IV. Entolpius. Cum Donatistae licet schismatici, & haeretici hanc tamen veritatem nemini non perspectam ignorare non potuerit, neminem siquidem posse Catholico nomine gloriari, nisi cum Rom. Episcopo communicationem habeat; ut fictè saltem, & velut sub quadam imposità larvà Catholicum nomen assequerentur, eò stultitiae adacti sunt, ut statuerint ex suis quempiam creare Episcopum, quem Romam amandarent, ut illic tanquam Pontifex sederet, ibique suae communicationis homines colligeret, quo facto gloriarentur se Romae habere Episcopum, ac proindè nomen Catholicum promereri. Ex his qui à Donatistis Romae Episcopi, sivè Antipapae successivè ordinati sunt, sex recensentur, nempè *Victor Gabriensis*, *Bonifacius*, *Entolpius*, *Macrobius*, *Lucianus*, *& Claudianus*. Vide Baron.

IV. Entusiastae variis nominibus nuncupati, nempè *Massaliani*, *Euphemitae*, *Psaliani*, *Euchytae*, sive *Precatores*, *Spirituales*, *Sataniani*, dicti sunt autem *Massaliani* ab insanis eorum deliramentis. *Psaliani* ab oratione, cui plus quam par esset, tribuebant. *Sataniani* à cultu daemonis. Item *Adelphiani* ab Adelphio uno ex eorum Principibus. Demùm dicti sunt *Entusiastae*, quia spirituales visiones habere gloriabantur. *Marytianos* quoque se appellarunt, eo quòd à Principibus Provinciarum persecutionem sint passi, eorumque plures fuerint à Lupicinio Praetore occisi. Entusiastarum Duces fuerunt quidam solitudinis incolae in Mesopotamià, quibus nomen erat *Adelpaius*, *Dadeon*, *Sabbas*, *Symeon*, *Ermas*, & alii: istorum socii, quorum nomina non recensentur ab antiquis Scriptoribus. Sub Constantino Imperatore paulò post medium seculi 4. haec lues Ecclesiam infecit. Duo Entusiastarum genera sunt qui statuant, unum ab Ethnicis, aliud à Christianis derivatum, sed eosdem profitentur errores. Damnati fuerunt Entusiastae in Synodo Sydae congregatà anno 383. cui praefuit Anphilocrius Iconii Episcopus. Scripsit contra Entusiastas Flavianus Antiochenus, de quibus agunt S. Epiphan. S. August. Theodoretus, & alii.

1. Negabant quemquam initiari posse Sacramentis, nisi super quem visibilis gratia descenderet; phantasticis enim hujusmodi visionibus à daemone illudebantur ut super eos visibili signo apparere videretur Spiritus sanctus, cum praesertim ordinationes celebrarent; eòque pertinet, quod de Entusiastis S. Augustinus tradit; eos de purgatione animae nescio quam phantasticam, & ridiculam fabulam narrare solitos; porcum scilicet cum procellis suis de ore hominis exire videri, quando purgatur, & in eum visibili specie ignem intrare, qui non comburit. R. Nam gratia est qualitas spiritualis

tualis à Deo infusa animæ, ergo non potest visibilitèr descendere; tum quia nemo potest certò scire se esse in gratia, nemo enim scit an odio, vel amore sit dignus; sed si gratia super initiatum visibilitèr descenderet, initiatus certò sciret se esse in gratia. Sed Entusiastarum phantasticæ visiones irrisione potiùs, quàm reprobatione indigent.

2. Tantum tribuebant orationi, ut per illam solam posse hominem salvari assererent. R. verbo *Adelphius*.

3. Dicebant solam orationem sufficere ad omnia peccata delenda; hinc non curabant Baptismum, quem non expiare sordes asserebant, sed solam orationem hoc efficere. R. ex his, quæ dicta sunt de necessitate Baptismi.

4. Oppugnabant virtutem, & efficaciam Sacramenti Eucharistiæ, quod dicebant nec obesse, nec prodesse. R. Joannis 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam . . . . . in me manet, & ego in illo*. Tum quia Christus instituit hoc Sacramentum in cibum animæ, dicens loco cit. *Caro mea verè est cibus*; in hoc Sacramento suscipitur ille à quo est omnis gratia, qui verè, & realitèr est in hoc Sacramento. Tum quia experientià constat, quòd qui dignè, & frequentèr accedunt ad hoc Sacramentum, perseverant in gratià, & validiores sunt ad vincendas tentationes. Eucharistiam conferre gratiam declaravit Concil. Florentinum sub Eugenio IV. & Trident. sess. 13. cap. 2. Neque hic ommittendum quòd tantùm manifestè evincitur Eucharistiam conferre gratiam, & prodesse eam dignè sumentibus, ut nullam rationem invenire potuerint tam antiqui, quàm recentiores hæretici ad oppugnandam hanc veritatem. Vide verbo *Adelphius*.

5. Jejunium reprobabant, dicentes satis sufficere ad expurgandam mentem, orationem. R. ex his, quæ dicta sunt verbo *Agapetæ*. Tum quia jejunium tendit ad salutem animæ, nostramque conversionem operatur, ut constat exemplo Ninivitarum. Bonam esse orationem cum jejunio legimus in sacris pag. Propheta in psalm. ait: *Operui in jejunio animam meam*; Sunt etiam plura exempla in Scripturà, ex quibus constat in veteri lege multos fuisse virtuti jejunii deditos, propterquam fuerunt Deo valdè accepti. Per jejunium eiiciuntur dæmonia; unde legimus: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in jejunio, & oratione*; ex quibus sequitur jejunium ad proficiendum in vià perfectionis, & ad expurgandam mentem, esse valdè utile.

6. Prohibebant Monachis laborem manuum, solam orationem ipsis præcipiendo. R. Nam opus manuum non esse Monachis, & Clericis interdictum, constat ex actibus Apostolorum cap. 20. vers. 34. *Ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt ministraverunt manus istæ; Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos*. Item ad Eph. cap. 4. vers. 28. *Qui furabatur jam non furetur, magis autem laboret operando manibus quod bonum est, ut habeat undè tribuat necessitatem patienti*. Insuper laborem manuum præcipiunt Monachis Institutorum Monasticorum Fundatores. Contra Monachos otiosos scripsit Sanctus Augustinus in lib. quem edidit, rogatus ab Aurelio Episcopo Carthaginensi. Demùm licere Monachis, & Clericis honesto labore exerceri, constat ex secunda ad Thessal. cap. 3. vers. 7. & ex prima ad Corinth. cap. 4. vers. 12. Tum quia cum opere manuum repellitur otiositas, quæ vitiorum est mater, neque homo potest semper in oratione perseverare; ergo bonum est intermissà oratione ad opus manuum recurrere, ut tentator nos semper occupatos inveniat. Posse Clericum, & Monachum manibus laborare definitum est in Concilio Carthaginensi 4. cap. 52. celebrato sub Anastasio Papa I. circa annum 394. Nec valet objicere illud Luc. 10. vers. 41. *Martha Martha sollicita es &c.* & illud Matth. 6. vers. 31. *Nolite ergo solliciti esse dicentes quid manducabimus &c.* nam per hos, & consimiles textus, Christus non prohibet opus manuum, sed

docet

doceet priùs nos debere orationi vacare, deinde labori; ità tamen ut labor orationem non impediat, vel ità ut non fiat labor ex immoderato desiderio lucri, sed præcisè ad acquirenda necessaria, vel ad expellendam otiositatem.

7. Ad preces accedebant permixti mulieribus. R. Nam quantùm à sanctis Christianorum institutis abhorreat hic modus orandi, satis per se patet, hoc enim non est præparare mentem ad orationem, sed ad tentationem; hoc est manifestè se exponere occasioni peccandi. Quod autem in Catholicorum templis quotidiè videmus; scilicet, viros, & mulieres simul ad orandum convenire, cum hoc fiat nulla præsumptà peccati occasione: omnisque utriusque sexus Catholicus Ecclesiam non adeat nisi à sola orandi devotione impulsus: ideo Ecclesia nunquam reprobavit utriusque sexus ad Ecclesiam concursum. Sed tamen aliud est per accidens contingere, aliud studiosè facere; hoc enim studium in pretio habet concupiscentiæ affectum. Vide verbo *Eustatius*.

8. Dicebant habere unumquemque hominem habitantem in se dœmonem, nec ipso caruisse Apostolos: eum verò tantùm oratione fugari. Rep. Nam legimus quidem Deum ad uniuscujusque hominis custodiam Angelum deputasse; nullibi autem de dœmone singulis hominibus inhabitante fit mentio. Insuper Apostoli expellebant ab aliquibus,sed tantum obsessis hominibus dœmones, ergo falsum est, quòd unusquisque hominum habuerit dœmonem inhabitantem. Tum quia Christus per mortem suam de potestate dœmonis nos liberavit; hæc autem potestas dœmonis in hoc sita non erat, quòd dœmon esset in homine, sed quòd homo per peccatum Protoparentis erat sub jugo dœmonis, idest sinè gratià, quæ nunc per Baptismum reacquiritur, undè fit, ut ab hac potestate homo baptizatus liberetur.

9. Dicebant per orationem posse hominem effici impassibilem. R. exemplo tot Sanctorum, qui orationi summè dediti, plura passi sunt tormenta. Verum quidem est, quòd homo orationi intentus, faciliùs suffert passiones hujus temporis, nullatenùs autem redditur impassibilis, nisi ex speciali Divinæ providentiæ miraculo, qui sæpè Sanctos suos in medio tormentorum illæsos conservavit.

10. Dicebant duas possidere animas, & earum alteram esse supercælestem. R. Nam animam hominis non esse super cælestem; idest ex Dei substantià, constat ex his quæ dicta sunt verbo *Dicarita*. Unumquemque autem hominem unam tantùm habere animam, evincitur non modò ex principiis philosophicis, ex quibus probatur incompossibilitas duarum formarum substantialium in uno composito, sed etiam ex sacra Scriptura, ex quà patet singulos homines unicam tantùm habere animam. Non enim ait sacer textus: ***Factus est homo in animas viventes; sed in animam viventem***, hinc in Euangelio legitur: ***Majorem charitatem nemo habet, ut Animam suam ponat quis pro amicis suis***. Dixit ergo Christus ***animam suam***, non animas suas, quia unicam tantùm animam unusquisque habet, & alibi legitur ***Animam pro anima***. Demùm ex Euangelio etiam apertè constat unicam tantùm animam unumquemque hominem possidere, ubi postquam Deus dixit hominem duos oculos, duas manus, duos pedes habere, subdit: ***Timete eum qui potest & corpus, & animam perdere in gehennam ignis***, ut nos doceret, quòd si unam perdimus animam, non possumus aliam salvare, sicuti amisso uno oculo, alium custodire possumus, ergo unicam tantùm habemus animam, cujus saluti inhærendum. Vide Concil. Lateran. Gener. XVII.

11. Negabant Ordinem esse Sacramentum novæ legis, quandoquidem per illum non admittebant conferri Clericis Spiritus sancti gratiam, sed solùm asserebant conferri potestatem aliquam, aut quoddam jus. R. ex Concilio Carthaginensi 4. à cap. 1. usque ad 9. in quibus agitur de hoc Sacramento. Insuper ex Concilio Trident. sess. 7. de Sacramentis in genere Can. 1. & sess. 23. Canon. 2. & Epist.

& Epist. 1. ad Timoth. cap. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii*. Etiam ex Epist. 1. ad Timoth. cap. 6. reprobantur hæretici, qui negant per Sacramentum Ordinis conferri gratiam sanctificantem. Insuper ordines in veteri lege, diversique gradus fuerunt à Deo instituti, per quos conferebatur ordinato sanctitas quædam legalis, & sic ordinati Altari ministrabant; ergo etiam in novà lege dicendum est Christum instituisse Ordines, quibus initiati ministrarent in sacrificio; & cum hoc sacrificium sit longè præstantius sacrificiis legis veteris, etiam major sanctitas debet conferri ordinatis, qui debent hoc excellens sacrificium offerre. Nec valet dicere Ordinem non esse Sacramentum, quia non ordinatur ad sanctificationem suscipientis, sed aliorum, scilicet populi; ordinatio enim nedum tendit ad sanctificationem aliorum, sed etiam ipsius ministri, ut scilicet dignè valeat ministrare. Nec sequitur, ut dicunt hæretici, quod si Ordo esset Sacramentum, cum septem sint Ordines, plusquàm septem essent Sacramenta in Ecclesia, scilicet tredecim: nam cum omnes Ordines tendant ad Eucharistiam ritè conficiendam, sequitur quòd omnes Ordines sint unum Sacramentum, quatenùs ordinantur ad unum, & eumdem finem, respectu cujus finis omnes Ordines habent inter se connexionem; omnes itaque Ordines per se singillatim sumpti sunt Sacramentum; sed quatenus tendunt ad eumdem finem, unicum tantùm sunt Sacramentum, quia rei unitas specificatur à fine ad quem regularitèr, & subordinate dirigitur; cum itaque omnes ordinationes sint successivè subordinatæ respectu ejusdem finis, omnes unum Sacramentum efficiunt, licèt in omnibus conferatur gratia; nam plenitudo omnium gratiarum, quæ in ordinationibus diversis conferuntur, invenitur in eo, qui accipit ordinem Presbyteratus, quo insignitus immediatè potest conficere Eucharistiam.

12. Dicebant se capaces esse videndi corporeis oculis SS. Trinitatem. Resp. ex sacris literis in quibus Deus invisibilis multoties prædicatur. Deindè communi Theologorum consensu, qui unanimitèr asserunt non posse oculum corporeum elevari ad videndum Deum.

13. Phantasticis visionibus, quæ per dœmonum illusionem solent fieri, vehementèr delectabantur, ac quibusdam rerum futurarum præsumptis revelationibus, eò insaniæ pervenerant, ut non tantùm dicerent se esse perfectos, sed vel Angelum, vel Prophetam, imò & Christum esse jactarent, reliquos autem indignos esse Christano nomine. Sed & repente saltantes, super dœmonem se saltasse jactabant, & digitis sagitantium speciem præseferentes, se in dœmonem jaculari allucinati, plura perpetrabant, in quibus insanum quemdam furorem erat reperire.

14. Negabant aliquid dandum esse mendicis, sed sibi omnia suppeditanda, eò quòd ipsi soli essent pauperes spiritu. R. Nam de bono eleemosynæ pauperibus erogato tot sunt Scripturæ, & SS. PP. testimonia, ut facilè sit convincere negantes irrogandam esse eleemosynam, quam tot repetitis vicibus nobis inculcant sacræ paginæ, quæ etiam exprimunt quot, quantaquè bona per eleemosynam nobis proveniunt.

15. Docebant ad libitum posse solvi conjugia. R. verbo *Abstinentes*.

16. Suadebant filiis neglectum Parentum. R. ex quarto Decalogi præcepto, & ab ipso naturæ instinctu, hæc siquidem non modò homines, sed etiam irrationabilia animalia docet obsequiosè vivere erga Parentes suos.

17. Dicebant posse hominem ad perfectionem, atque ad similitudinem, & æqualitatem Dei pervenire humanà virtute, ac scientia, ità ut assererent se neque cogitatione, neque ignorantià, cum ad consumationis culmen ascendissent, posse peccare. R. Nam hominem suis solis viribus, absque Dei gratia nihil boni meritoriè, vel rectè in finem ordinatum posse efficere, constat ex iis, quæ dicuntur de necessitate gratiæ contra

tra Pelagium. Hominem verò quantumcumque perfectum non posse ad æqualitatem Dei pervenire, superfluum est ostendere; quis enim adeò cæcus, ut non discernat magnum cahos esse inter Deum & hominem, inter Creatorem, & creaturam? quæ tanquam nihilum, & inane est ante Deum, cujus perfectionem infinitam, non modò inæquabilem esse, sed etiam incomprehensibilem, ex ipsa ratione infinitatis liquidò constat. Detrusùs est Lucifer in profundum abyssi qui se similem Altissimo præstolari ausus est; omnis creatæ, & acquisitæ perfectionis splendor, ante conspectum lucis æternæ statim obscuratur. Cæterùm quàm impudentissimum sit, quod asserebant se in culmine perfectionis constitutos, non posse cogitatione quidem, aut ignorantia peccare, satis perspicuum est; quis enim valeat culmen perfectionis attingere, cum ipsi justi ad majorem æmulandam justitiam à Deo excitentur? *Qui justus est justificetur adhùc*. Quis se impeccabilem gloriari valeat, cum nemo sciat an sit odio, vel amore dignus? Unde semper cum timore, & tremore nostram operari salutem sapienter nos hortatur Apostolus.

18. Alii ex Messalianis dicebant ab hominibus orantibus foras egredi dæmones per escrementa corporis.

19. Alii credebant peccatum esse hujusmodi excrementa expellere; abutentes ad confirmationem hujus erroris illo Matth. 15. *Non quæ intrant per os coinquinant hominem, sed quæ exeunt*; & hac ratione matrimonium damnabant, quòd in generatione prolis è corpore semen egredi necesse est, quos confutavit præcipuè circà hunc errorem S. Athanasius ad Amonem Archymandritam scribens. Cæterùm in illo textu Christum locutum fuisse de verbis impuris, contumeliosis, de malis cogitationibus, & similibus, non verò de excrementis corporis, satis clarè ostendunt sacri Expositores, Immò ipse sacer Textus. Hic recensendi errores quorumdam, de quibus refert S. Epiphanius in sua Anacephaloesi, quorum alii cum nullis penitùs hominibus preces faciebant; reprobante eos Domino, qui in medio illorum se esse profitetur, quandò in Dei nomine sunt congregati; quique præcepit Salomoni, ut templum ædificaret, ad hoc ut Judæi ad orandum convenirent,& eorum oratio efficaciam majorem obtineret. Alii licèt laici sacra Mysteria propriis manibus contrectabant. R. verbo *Carlostadius*. Alii se ipsos constituebant Episcopos, & Episcopalia munia obibant: in quo casu, si esset in uniuscujusque arbitrio se Episcopum constituere, jam patet omnes posse esse Episcopos, nullum esse gregem, & omnes esse Pastores. Alii se ipsos castrabant. R. verbo *Valesiani*. Alii cum nullo prorsùs communicare volebant. R. Quia qui non communicant cum Ecclesia Catholica, non potest esse Catholicus, qui enim non communicat cum Ecclesia vera, quæ una est, certum est esse extra Ecclesiam, qui est extra Ecclesiam non potest esse Catholicus; ergo verus Catholicus esse non potest, qui non communicat cum vera Ecclesia. Tum quia ratio veræ Ecclesiæ postulat, quòd sit unà unione membrorum intèr se cum suo capite, sed hanc unitatem tollit quantùm in se est, qui non communicat cum Ecclesia, ergo cum nemine communicare non licet, sed necessè est communicare cum membris, & cum capite Ecclesiæ, qui est Romanus Pontifex.

XVI. Entusiastæ Novi Iidem sunt ac Anabaptistæ, quos intèr Antilutheranos constituit Lindanus. Certum est ex Lutheri schola fuisse progenitos, siquidem gloriantur Anabaptistæ, qui dicti sunt Entusiastæ, Lutherum habere auctorem, & ob prætensas revelationes, quas jactitabant, Entusiastæ sunt nuncupati. Expectabant itaque Divinos afflatus, visionesque Cæleste: quibus repleri, & frui gloriabantur. Ex hac secta fuit Joannes Bahaldi Batavus Monasteriensis Sartor, qui suis persuasit spiritum ei mandasse ut Rex fieret in Israel, & Rex justitiæ super omnem terram, tantumque valuit apud idiotas hæc persuasio, ut in Regem eum receperint, quare facta solemni cæna, illaque exple-

tà, leges toti orbi dictavit, & Apostolos in mundum destinavit, ut eas leges cum doctrina sua promulgarent. Hujusmodi Entusiastæ totam Spiritus sancti abundantiam sibi pollicebantur, ut quæcumque in mentem venirent, opera Spiritus sancti esse arbitrarentur, allegando prò confirmatione tanti erroris illud Jeremiæ 31. ***Dabo legem meam in cordibus eorum***, & illud Joannis 16. ***Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem***. Quàm pestilentissima sit hæc hæresis, quis non discernat? quippè quæ ad omnia facinora viam parat, & quæcumque fingendi dogmata licentiam concedit. Patet juxtà hanc hæresim, quòd quotquot errores suggerere potest humana malitia, tanquam certissima dogmata habendi sunt, & executioni mandandi, & tot fore leges, quot erroneas opiniones posset homo adinvenire. Quot quantaque scelera patrata sint ab hujus hæresis sequacibus, non modò referre, sed etiam cogitare humano captui impossibile est. Contigit in quadam Italiæ Civitate, in quà cæperat hæc hæresis pullulare, quòd quidam Entusiasta volens alterius uxorem constuprare, dixit collegæ. Spiritus sanctus dixit mihi ut cum uxore tuà dormiam, collega annuens locum facinori daturus, è domo abscessit, sed stuprator filiæ majoris pulchritudine captus, cum eà concubuit. Reversus maritus de facto percunctatur, compertoque quòd non cum uxore, sed cum filia concubuisset; arrepto pugione, ità stupratorem est allocutus, quare mentitus es Spiritui sancto, non nè dixerat tibi, quòd cum uxore mea cubares? Quare ergo cum filia cubasti? Nunc Spiritus sanctus dixit mihi ut interficiam te, & tribus ictibus Entusiastam interfecit. Entusiastæ Divinam jactant habere inspirationem, quæ sufficiens sit ad explanandam Scripturam sacram, ab hac inspiratione solùm edoceri volunt: in suis conventiculis, inspirationem audituri conveniunt, nihil proferentes, usque dum qui se agitatum ab inspiratione primus sentit, surgit, & juxtà inspirationem prætensam loquitur. Mulieres etiam hac inspiratione frui gloriantur, & sæpè in præfatis conventiculis loquuntur. Gasparem Svvenhfeldium Silesium, primum modernorum Entusiastarum restauratorem fuisse, creditur. De Entusiastis Vide verbo *Montzerici*: dicti sunt etiam Entusiastæ *Extatici*: plura de iisdem refert Spondanus.

XII. Eon sivè Eudo, natione Brito agnomen habens de stella, homo illiteratus, & idiota, ludificatione dœmonum ità dementatus est, ut cum sermone Gallico *Eon* diceretur, ad suam personam pertinere crederet, quòd in Ecclesiasticis exorcismis dicitur, scilicèt ***Per eum qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem***; ità planè fatuus, ut *Eon*, & *eum* confunderet, unde se credebat dominatorem, judicem vivorum, & mortuorum. Mediis præstigiis, & incantationibus, quibus utebatur, modico tempore longa spatia peragrabat, sibique, & sectatoribus suis lautas mensas, sed in re aereas, & apparentes apponens, superbè indutus, unà cum suis, ope dæmonis se conspiciendum præbebat; ex quo lauto, & apparenti modo vivendi plures allecti, non cogitantes meras fuisse dœmonis præstigias quidquid *Eon* agebat, eumdem sequebantur, & tamquam terræ Dominum venerabantur. Tandem à Rhemensi Archiepiscopo anno 1148. captus est Eudo, quem frustra comprehendere plures Principes, missis satellitibus, conati fuerant; ipse siquidem accedentibus satellitibus, ope dœmonis statim ab eorum oculis evanescebat. Ad Concilium Rhemense Præside Eugenio III. deductus, quis esset, interrogatus, dixit se illum esse, qui judicaturus erat vivos, & mortuos: & quid significaret baculum bifurcum quod habebat præmanibus exquisitus, respondit: quandiù, sicut nunc videtis, hoc baculum duobus cælum capitibus suspicit, duas orbis partes Deus possidet, tertiam mihi partem cedens: quòd si duo superiora baculi capita submitto, jam duas orbis partes ego possideo, & tertiam Deo relinquo. Irriserunt omnes adeò dementatum virum, quem carceri mancipandum ex Decreto Con-

Concilii sancitum est, ubi exiguo tempore supervixit, & plures ejus sectatores, obstinati perstistentes, igni traditi fuerunt. Ex Bar.

IV. Epictetus. Secta Arianus interloquitur in Dialogo Liberii cum Constantio, quem Dialogum ex Theodoreto lib.1. cap.16. desumptum refert Baronius anno 355., ex quo quanta esset, & quàm impia Epicteti pertinacia facilè comprehenditur. Pravos mores Epicteti qui fuit ordinatus ab Arianis Episcopus, describit S. Athanasius epistolâ ad Solitarios. Fuit Epictetus proptèr Arianam hæresim, quàm acritèr tuebatur, Constantio familiaris, & carus; tantæ autem fuit crudelitatis, ut Ruffinum Catholicum Episcopum, antè Rhedam suam tandiù currere coegerit, quousque ruptis præcordiis, fuso sanguine expiravit.

I. Epicurei. Aristipius Epicuri, qui propè Athenas ortum habuit, discipulus, multùm ante Christi adventum, hoc est Olympiade centesima nona in ea fuit sententia, ut Deum nullatenùs hæc Inferiora curare effutiret; proinde illum solum esse beatum contendebat, qui præsentibus voluptatibus, quantum posset frueretur, nec mortem, nec Deum extimesceret. Deum quidem, utpotè hæc inferiora non curantem, mortem verò, quia animam cum corpore mori dictitans, nullam post mortem voluptatem superesse prædicabat. Dicti sunt autem hujus sententiæ sectatores Epicurei, non Aristipiani, quia cum Aristipius fuerit Epicuri Discipulus, hanc sententiam Aristipium ab Epicuro didicisse aliqui sed falsò, ut reor, sunt arbitrati; nam teste Lactantio, & aliis antiquis Scriptoribus, Epicurus beatitudinem in voluptatibus animi constituit, nullatenùs verò in voluptatibus corporis; fuit enim Epicurus vir (ut traditur) continentissimæ vitæ & probitatis, sed hanc notam improbus discipulus probo magistro inussit. Verum quidem est, quòd cum Epicurus non satis distinxerit de quà voluptate loqueretur, pluribus occasionem præbuit dicendi, quòd in voluptatibus corporis beatitudinem constituerit. Attamen Aristipio non Epicuro debetur hæc sententia, nàm si opera laudant magistrum, Epicurum virum fuisse virtutibus moralibus, intèr cæteros Philosophos ornatissimum, asserit etiam Cicero lib.2. de fine. Cum verò hæc sententia, licèt antè Christi adventum, auctore Aristipio intèr plures invaluerit, & post Christi adventum etiam plures sectatores habuerit, ideò de hac etiam in hoc opere agendum censuimus, & utinam, proh dolor! etiam hac nostra ætate sectatores habere non gloriaretur tàm perniciosa sententia, in quam facilè labuntur plurès Calvinistæ, & Lutherani, sic enim Diabolus consuevit multos ex ipsis agitare, ut dum summà inconstantia, nunc hoc, jam illud credunt, tandem nihil prorsus credant. Nonnullos ex his esse intèr Calvinistas facilè noverit, qui unum ex illis Ministris Genevæ prædicare ausum fuisse compererit, animam cum corpore extingui, ut refert Prateolus ver. bo *Athei*. Certum est quòd ex quo cœpit serpere hæc lues, semper plurès infecit; unde etiam tempore D.Pauli quosdam Epicureos cum eodem Athenis disputasse, constat ex actibus Apostolorum 17. Epicureorum dogma est sequens.

Beatitudo in solis voluptatibus corporis consistit, ede, bibe, post mortem nulla voluptas. R. Ex Epist. ad Rom. cap.6. vers. 23. *Gratia Dei vita æterna*. Ex Psalmo 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Jo. cap.14. vers. 2. *Vado parare vobis locum*, & Psalmo 35. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*; ex quibus, & aliis Scripturæ textibus constat beatitudinem haberi non posse in hac vita, & consequenter non posse reponi in voluptatibus corporis, de quibus ait Ecclesiast. *Vanitas vanitatum*; quas omnes Apostolus arbitratus est ut stercora, ut Christum lucri faceret. Tum quia de essentia beatitudinis est quòd sit æterna, sed nulla mundana voluptas est æterna ergo &c. Tum quia beatitudo perfectè satiat beatum, sed voluptates mundanæ nauseant ipsos, qui illas prosequuntur, ergo &c. Insupèr beatitudo

titudo est status perfectus, status hujus vitæ est oppositus, quia in hac vita homo non potest pervenire ad statum omnium bonorum aggregatione perfectum. Tum quia viri magis perfecti, à voluptatibus hujus mundi quantum possunt declinant, ergo beatitudo non potest reponi in voluptatibus corporis.

III. Epigonius. Epigonium fuisse auctorem hæresis Patripassianorum refert Theodoretus, hæretic. fabul. lib. 3. quam quidam tribuunt Noeto Sabellii præceptori. Hæc hæresis verbo *Noetus* reprobatur.

II. Epiphanes filius Carpocratis ex matre cui nomen erat *Alexandra*, Cæphalenus, Samæ quæ est Urbs Cæphaleniæ fuit sepultus, & tanquam Deus a suis colebatur. Vixit tantummodò annis 17. sed in impietate provectus, plura scripsit contrà CatholicamReligionem cum à Patre Platonicam Philosophiam didicisset, auctor fuit monadicæ cognitionis, docens uxores debere esse communes. Edificatum est templum Samæ à Carpocratianis in honorem Epiphanis, ubi recurrente nova luna ipsi sacrificabant. Reprobatur quoad communitatem uxorum verbo *Adamitæ*.

XV. Episcopius. Simon Amstelodami anno 1583. natus, post exactum in universitate Leidensi litterarum studium, & Magisterium in artibus assumptum, Theologiæ incubuit. Amstelodami minister electus, in hac electione contrarios habuit Gommaristas, eo quòd Arminianis adhæreret; hinc Galliam profectus, & Hollandiam reversus, propè Rotherodamum iterùm minister constituitur, & Theologiæ professor in Academia Leidensi electus, ad Dordectanam Synodum se contulit, à qua instigantibus Gommaristis expulsus, & à suo ministerio exauthoratus recessit; sed iterùm prævalente Arminianorum factione, denuò Amstelodamum revocatur, ubi anno 1643. decessit.

Docuit tolerantiam cujusque sectæ, dummodò Scripturæ auctoritatem admitteret, quocumque sensu explicaretur. R. Ex iis quæ dicta sunt verbo *Bifidi*. Tum quia licèt certum sit quòd vera fides fundatur in Verbo Dei, aut scripto, aut tradito, certum etiam est, quòd Scripturæ sacræ intelligentia non est à Deo omnibus concessa, sed Doctoribus Catholicis, iisque, ac humilibus Sanctis Dei, lumen veritatis Scripturarum affulget; atque certò, & infallibilitèr est concessa soli Pontifici Rom., & Ecclesiæ sivè ex consensu Rom. Pontificis in Conciliis congregatæ, sivè sub ejusdem magisterio, per Orbem diffusæ: ex quo sequitur solam Religionem Catholicam Rom., quæ habet verum sensum sac. Script. esse admittendam, nec alias sectas esse tolerandas, quæ ad suum beneplacitum Scripturæ sensum interpretantur. Tum quia data positione Episcopii, sequeretur posse dari duas sectas veras, quarum una esset in sensu Scripturæ alteri sectæ omninò contraria, quandocumque una interpretaretur Scripturam in sensu opposito, ab alia secta explanatam.

II. Eraclitæ à quodam viro, cui nomen erat Eraclius exorti sunt circa annum 182.

1. Monachos recipiebant, & abominabantur reliquos. R. exemplo Christi & Apostolorum, qui omnes ad eos accedentes dirigebant in viam salutis. Tum quia Christus diversos status in Ecclesia esse voluit, ubi alios ad statum Religiosum vocat, alios in statu laicali perseverare permittit. Tum quia Christus præcepit Apostolis ut omnibus prædicarent Euangelium, non autem præcepit ut omnes ad statum Religiosum capessendum hortarentur, status enim Religiosus est consilium, non præceptum. Tum quia etiam in statu laicali potest homo Deo servire, fidem Euangelicam servare, & viam perfectionis arripere, sicut de facto in statu laicali plures sanctificati sunt.

2. Conjugia respuebant. R. verbo *Adamitæ*, & verbo *Armeni*.

3. Parvulos licèt babptizatos, ante usum rationis decedentes, salvari posse negabant. R. ex iis quæ dicta sunt verbo *Anabaptistæ*.

XVI. Erasmus inter Unitarios celebris.

bris, Antuerpiæ ſtudiis præfectus, hinc abſcedere coactus propter doctrinæ novitatem, quam promulgabat, Transylvaniam ſe contulit, ubi miniſter electus fuit ab Unitariis, eà tamen conditione, ut Arianiſmum doceret. Cum Socino biduò Cracoviæ diſputationem habuit, quæ diſputatio poſtmodum à Socino publicata fuit.

1 Dei filium ante omnia creatum fuiſſe aſſerebat. R. Illis omnibus rationibus, quibus Divinitas filii Dei aſſeritur. Tum quia implicat eſſe Deum, & eſſe creatum. Tum quia de filio Dei, ait Joann. in Euangelio; *Omnia per ipſum facta ſunt*, ergo dici nequit quòd Dei filius creatus ſit ante omnes creaturas; creatura enim quæcumque illa ſit, eo ipſo quòd eſt creatura, nequit elevari ad creandum, ergo ſi omnia per Dei filium creata ſunt, Dei filius non eſt creatus, ſed à Patre genitus ante omnia ſecula, Deus verus, de Deo vero. Vide verbo *Achillas*.

2. In diſputatione, quam habuit cum Socino, oſtendere niſus eſt, Jeſum Chriſtum non fuiſſe Dei filium, antequam à matre naſceretur in tempore. R. Quia involvit contradictionem eſſe Dei filium, conſequentèr eſſe Deum, & naſci in tempore, cum ratio Divinitatis eſſentialitèr dicat eſſe ab æterno, & idem eſt dicere Jeſum Chriſtum eſſe Dei filium in tempore, ac abſolutè negare Dei filium eſſe verum Deum, ſeu verum Dei filium.

Erarsmus. Vide *Deſiderius Eraſmus*.

XVI. Erasmus Sarcerius, ſecta Calviniſta, vixit circa medium ſeculi 16. Methodo in præcipuos Scripturæ locos, cui conſentit Bartholomæus Weſtemerus ad Pſalm. 33. negat Angelos pro nobis orare, & rectè à nobis invocari, & honorari. R. verbo *Calvin.*

XV. Erastienses Secta hæreticorum Eraſtienſium à Thoma Eraſte Anglo nomen ſortita eſt, currente ſeculo decimoquinto. Vide *Salmonetum*. in hiſt. Anglic.

Aſſerebat penès Eccleſiam non eſſe poteſtatem infligendi excommunicationem. R. verbo *Albanenſes*.

Erigena. Vide *Joannes Scotus Erigena*.

VIII. Ernuolsus à Sancto Bonifacio Germanorum Epiſcopo, cum viſitaret Bajoariam, quidam hæreſiarcha nomine Ernuolſus damnatus eſt, & ejus hæreſis vix nata, ſtatim fuit extincta. Quos autem in errores Ernuolſus impegerit, ignoratur; Auctor ſiquidem vitæ S. Bonifacii, de hæretico damnato ſolùm mentionem facit, non autem de qualitate hæreſis, quam promulgabat circa medium octavi ſeculi, ex Baron.

VIII. Esaias unus eſt ex illis hæreticis, quos currente octavo ſeculo S. Sophronius primò monachus, deindè Jeroſolymorum Epiſcopus anathematizavit, unà cum Barzanufio, & aliis. Iſtos hæreticos fuiſſe Monothelitas, ex hæreſi, quæ tempore S. Sophronii in Oriente vigebat, & quam eradicare idem Sanctus enixè ſtuduit, facilè colligitur.

XVI. Essentiatores inter Antichriſtianos reponit Gravina, & ſunt quidem Trinitarii emerſi anno 1565. qui dicebant.

1. Solum Patrem habere Divinam eſſentiam. R. ex iis, quæ dicta ſunt contra *Arium* ad oſtendendam conſubſtantialitatem Filii cum Patre. Vide etiam verbo *Accacianus*, *& Anomæi*.

2. Filium & Spiritum ſanctum eſſentiatos eſſe à Patre; ac proinde ſi ante non erant, cæperunt eſſe, ſicque in eis nulla eſt Deitas eſſentialis, ſed creata Divinitas que eſt dicta eſſentiatio, conſequentèr eſſe perſonas veluti titulares blaterabant. R. ex locis ſupracit.

VII. Ethnophrontes orti ſunt ſeculo ſeptimo, Chriſtianos ſe eſſe jactabant, & mores Ethnicorum ſectabantur, ſiquidem fortunæ, fato, Aſtrologiæ judiciariæ, variiſque obſervationibus, & ſuperſtitionibus dediti erant. R. verbo *Baſilides*. De his agit S. Joann. Damaſc. de hæreſ.

IV. Evagrius origine Iberus citra Pontum Euſinum, quem S. Hieronymus appellat *Hyperboritum*, fuit à S. Baſilio Le-

Lector ordinatus, & à Sancto Gregorio Nazianzeno Constantinopoli factus Diaconus, indè Jerosolymam se contulit, postmodùm inter Monachos Nitriæ secessit, ubi ad plures annos ferè incognitus vixit. Plura scripsit, utpotè vir literarum scientiâ celebris, præcipuè in disputationibus contra hæreticos disertus, sed adeò mordicùs sectatus est Origenis errores, ut, teste D. Hieronymo, præparaverit Pelagianis materiam dubitandi. Indolentiam stoicam in Ecclesiam introducere conatus est, asserendo hominem statim ad culmen perfectionis ex se posse conscendere. R. ex omnibus Scripturæ locis, ex quibus evincitur necessariam esse gratiam ad benè operandum, ergo à fortiori ad acquirendam perfectionem, ad quam nonnisi gradatim de viâ ordinariâ perveniri, ipsa experientia rerum omnium magistra comprobat, & testatur unanimis SS. PP. consensus. De Evagrio scribit S. Hieronymus ad Ctesiph.

XVI. Evangelici, dicti sunt sectatores Lutheri, qui doctrinam Euangelicam à Luthero corruptam sectari gloriabantur, sed quam perperàm hoc nomen sibi usurpent, qui omninò à veritatibus Euangelicis aberrantes, potiùs dœmoniaci sunt nuncupandi, quandoquidem Lutherus ipse plura quæ scripsit à dœmone accepisse gloriatur, satis ex ejus operibus patet, & eruditè ostendit Lindanus in suo dubitantio Dialogo 3.

XVI. Euchitæ. Veterum Euchitarum, seu Entusiastarum sectam, quantùm ad efficaciam orationis spectat, renovarunt quidam, qui anno 1544. ex schola Lutheri prodierunt, à quâ deindè discordantes, inter Antilutheranos communitèr sunt recensiti, dicti etiam *Orantes*, & *Psaliani*.

1. Christiano numquam ab oratione vocali fore cessandum asserebant. Rep. primò ex ipsa impossibilitate, nam cum homo debeat plura alia exercitia ad victum, & vitam necessaria peragere, iisque animo & sensu intendere, constat non posse semper orationi vocali vacare. Tum quia plures Sancti, inter quos D. Paulus identidem vacabant ab oratione, & operi manuum attendebant. Tum quia nullum de hac continua oratione vocali extat in sacris pag. præceptum, & ubi legitur: *Oportet semper orare*, significat quòd opera nostra debemus semper ad Deum, vel actualiter, vel virtualiter dirigere.

2. Summam Fidei, & salutis in sola oratione constituebant. Rep. verbo *Adelphius*.

Istis hæreticis opponuntur ex diametro *Non orantes*, quibus, ut scribit Philopater, Anglia abundat. De utilitate, & necessitate orationis dictum est contra *Cœlestianos*. Extat etiam de eodem argumento insignis tractatus inter opera Card. Roffensis.

IV. Eudoxius in Arabisso minoris Armeniæ Oppido natus; & S. Luciani Martyris discipulus, à magistro suo omninò degener, Diocletiani Imperatoris cedens crudelitati, Idolis obtulit sacrificium; deindè in Arianam hæresim prolapsus, novis etiam adinventis erroribus, impietatem impietati superaddidit. Primùm Germaniciæ urbis Syriæ Episcopus fuit, deindè ad Antiochenam sedem translatus, demùm Constantinopolitanam invasit. A Constantio in exilium ejectus, brevi revocatur, & cum in Antiochena sede moraretur, conatus est in Ecclesiam reducere jam damnatum Actium, & convocato ad hunc effectum Episcoporum conciliabulo, eumdem in Diaconatus gradu studuit restituere, cum quo jam pridem amicitiam injerat, & à cujus pravis moribus nullatenùs discrepabat. Quia verò Eudoxius Sancti Cæsarii Martyris filius fuit, hac prærogativa utebatur ad suas hæreses stabiliendas, illam præcipuè, quâ Filium in Divinis Patri substantialitèr dissimilem asserebat. Hoc etiam à suæ impietatis collegis, Aetio scilicet, & Eunomio obtinere nisus est, ut ejus sectatores Eudoxiani potiùs, quàm Aetiani, vel Eunomiani nuncuparentur. Sed tanta Eudoxii impietas, cum ipsis hæreticis facta esset exosa, à Semiarianis in conciliabulo Seleuciensi damnatur. Attamen Constantii Imperatoris Ariani patro-

patrocinio fretus, ad Constantinopolitanam sedem se transtulit, ubi Valentem Imperatorem baptizaturus, priùs exegit ab Imperatore juramentum de propaganda hæresi Ariana, pro qua ipse Eudoxius acritèr militabat, qui senio confectus, tandem in impietate sua decessit, à Lampsaceno Concilio damnatus, de quo plura videre est apud Nicæph.

1. Dixit Filium esse dissimilem Patri. R. verbo *Anomæi*.

2. Deum Filium solùm æquivocè Deum dici, ac nominis solius participem esse. R. verbo *Georgius David*.

3. Dei Verbum non secundùm substantiam, sed secundùm virtutes tantùm humano corpori unitum esse. R. verbo *Apollinaris*, *Budneita*, *Dimetrita*. Fortius adhuc rejicitur; quia Verbum verè, & realitèr est incarnatum, legimus enim: *Verbum caro factum est*, sed hoc dici non posset, si tantùm secundùm virtutem unitum esset humano corpori; ergo &c.

4. Fidem, quam ipse prædicabat, dicebat sufficere ad salutem, etiamsi gravia crimina quis perpetrasset. R. Quia fides illa potiùs ducit ad damnationem; est enim perfidia. Tum quia nihil coinquinatum intrare potest in regnum cælorum, cum tamen rectè credant multi coinquinati. Tum quia pœnitentiam homini lapso esse necessariam ad salutem identidem proclamant satis nota Scripturæ testimonia. Tum quia solam fidem non sufficere ad salutem, dictum est contra *Antinomos*. Tum quia Deus per os Prophetæ nos monet declinare à malo, & facere bonum, quod superfluum esset, si pèr solam fidem posset homo salvari.

5. Dixit Deum ità esse comprehensibilem ab homine viatore, sicut à se ipso, proindè gloriabatur se cognoscere Deum. R. Ex Concilio Lateran. sub Innocentio III. cap. *Firmiter:* ubi Deum ab humano intellectu incomprehensibilem esse asseritur. Tum quia virtus intellectus creati est limitata, ergo intellectus creatus non potest comprehendere objectum infinitum, quale est Deus, cujus cognoscibilitas est infinita; undè Jeremiæ cap. 32. legitur: *Deus magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu*. Tum quia si intellectus creatus posset comprehendere Deum, posset homo æquè esse beatus, ac ipse Deus, sed hoc non; creatura enim non potest æquare Creatorem; & ad comprehendendum Deum opus est cognitione infinita, quam solus Deus possidere potest. Tum quia quidquid scientià comprehenditur, scientis comprehensione finitur, sed Deus non potest finiri à scientia creata, cæterùm jam non esset infinitus. Nec valet opponere illud Joannis: *Videbimus eum sicuti est*, nam opportunè dixit S. Joannes: *Videbimus*, non *comprehendemus*, aliud enim est videre, aliud comprehendere objectum: videbimus ergo sicuti est, quia videbimus essentiam, attributa, & personas, non autem comprehendemus, quia infinita objecti perfectio, non potest æquari ab intellectu creato.

6. Reliquias Sanctorum, illorumque cultum contemnebat. Repr. quoad cultum Sanctorum, verbo *Beza*, quoad cultum reliquiarum etiam reprobatur exemplo Moysis Exod. 13. ubi legitur, quòd ossa S. Joseph honorificè collegerit, & 4. Regum 23. Josias ossa S. Prophetæ asservari jussit. Item ex Concil. Nic. 2. artic. 3. & 7. & Carthag. 5. can. 14. reliquias esse colendas decernitur. Tum quia plura miracula per reliquias Sanctorum Deus fecit, & aliorum Sanctorum reliquiæ divinitùs fuerunt revelatæ, ex quo evidenter deducere est, cultum sanctarum reliquiarum Deo placere. Tum quia corpora Sanctorum sunt destinata ad æternam gloriam, fuerunt organa animarum ad omne opus bonum, sunt instrumentum Dei ad patranda miracula, ut narrat Scriptura de ossibus Elisæi; ergo &c. Apostolus autem per verba ad Col. 2. vers. 18. *Nemo vos seducat*, non improbat cultum Sanctorum, aut reliquiarum, ut contendunt Hæretici, sed significat nihil infra Deum esse adorandum superstitiose, more Gentilium, sive eodem modo quo colitur Deus, nempe adoratione latriæ.

7. Miracula Sanctorum dixit esse præ-

præstigias dæmonum. Rep. verbo *Waldenses*.

8. Docuit Baptismi reiterationem. R. verbo *Anabaptistæ*.

9. Negavit Mysterium SS. Trinitatis. R. verbo *Bogomilli*.

10. Solùm pectus in Baptismo voluit esse abluendum. Ridiculum prorsus commentum.

11. Licere absque peccato se carnis libidinibus quomodocumque polluere. R. ex præceptis Decalogi, ubi libidines districtè prohibentur, contrà quas sæpè invehitur S. Paulus in suis epistolis, ubi expressè asserit libidinosum nullatenùs posse regnum Dei possidere, quam veritatem docent omnes SS. PP.

IV. EUNOMIUS natione Cappadox, Aetii discipulus, Eudoxii impii hæretici amicissimus, & in erroribus collega, ab eodem edoctus est hæresim suam occultare, dum contra eum proferebantur ab Orthodoxis accusationes, quam deindè commodiùs patefaceret, & propagaret. Licèt autem juxta Eudoxii consilium studuerit Eunomius sua impia scelera tegere, nihilominùs de sua impietate convictus, consilio præfati Eudoxii fugam arripuit, & scriptis hæresim suam audaciùs defendens, insignis evasit Hæresiarcha, impio Aetio magistro non impar. Vir fuit corpore & animo leprosus, interiùs exteriùsque morbo regio corruptus. Eleusio ab Episcopatu Cysiceno exturbato, ejus locum obtinuit; factus Macedoniæ sectæ audacissimus propugnator. Sicut autem nullus hæreticorum invenitur Macedonio crudelior, ita nullus planè fuit Eunomio scelestior, qui se similem scientià prædicabat Altissimo. Quoad doctrinam spectat, cum dialecticis tantummodò sophismatibus deditus esset, & sacrarum litterarum omninò imperitus, planè insulsa sunt, quæ contra Catholicam veritatem ausus est dicere, & scribere; cumque ad Concilium Constantinopolitanum à Theodosio Magno Imperatore vocatus, ut ibidem causam suam diceret, accessisset; Catholicis adhærere renuens, cum suis sequacibus damnatus fuit, ex quibus potiores fuerunt *Theophronius Cappadox*, *Eupsychius Urbicus*, & *Philostorgius*. Ad tantam impietatem pervenerat Eunomius, ut nihil curaret præcepta à Deo hominibus præscripta, dicens nihil aliud Deum à nobis expetere, quàm ut eum cognoscamus.

Ex hoc falso principio, totius moralis sequebatur corruptela. Quàm sint necessaria opera ad salutem, & observantia mandatorum Dei, satis constat ex iis quæ dicta sunt contra *Antinomos*, & *Lutherum*, qui solam fidem ad salutem sufficere asseruit. Tum quia si opera non essent necessaria, superfluum fuisset, quòd Christus præcepta observanda proposuisset hominibus, quorum observantiam adeò inculcavit in lege, & Euangelio, ut sinè illorum observantià nullatenùs posse obtineri salutem expressè asserat. Eo quòd Eunomiani secretos conventus agerent, dicti sunt etiam *Troglodithæ*. Severissimè hæreticos Eunomianos exagitavit Arcadius, suadente S. Chrysostomo, intimato etiam capitali supplicio contra Eunomianorum receptores; diversisque pœnis Eunomianos subjecit Theodosius Junior; horumque hæreticorum conventus, jam ante prohibuerat Gratianus Imperator. Egregiè verò scripserunt contra Eunomii errores Apollinarius, Didymus, Basilius Cæsariensis, ambo Gregorii Nazianzenus, & Nyssenus, quos errores verbo *Eudoxius* reprobatos adducimus.

EUNOMIO THEOPHRONIANI. Vide *Theophronius*.

EUNUCHI. Vide *Valesii*.

IV. EUPHEMITÆ Iidem sunt ac Entusiastæ, dicti etiam *Euphemitæ*.

II. EUPHRATES in schola Valentini hæretici educatus auctor fuit hæresis Ophitarum. Vide *Ophitæ*.

IV. EUPSYCHIUS. Primò fuit Eunomii Discipulus, & Theophronii collega, sed cum orta esset intèr Eunomianos quæstio, an Christus ultimam horam noverit, & plures ex Eunomianis affirmativam partem assererent, alii negativam, ducti ex verbis Euangelii perperam intellectis. *De die illo nemo scit*, & similibus

bus textibus malè ad rem interpretatis, Eupsychius negativam partem defensurus, ab Eunomianis se segregavit, & errorem suum scriptis stabilire curavit, In reliquis omninò sentiens cum Eunomianis. Vixit 4. currente seculo, & suam hæresim in urbe Constantinopolitana propagavit; cujus sequaces dicti sunt *Eupsychiani*, & etiam *Eunomio Psychiani*. De quibus mentionem facit Nicæph. hist. Ecclef. lib.12. cap.30.

IV. Eusebiani ab Eusebio Nicomediensi Episcopo nomen sortiti sunt. Hic favore Constantiæ Augustæ à Sede Beritensi ad Nicomediensem translatus, protectionem Arii suscepit. Fuit autem Eusebius Luciani Martyris discipulus, à cujus doctrina, & fide, non modò degeneraſſe, sed etiam sub Diocletiano Imperatore Idolis sacrificaſſe, refert Eusebius lib.8. cap.31. sed à magistro ad pœnitentiam revocatus, iterum lapsus, Arianæ hæresi adhæsit, & renuens subscribere anathemati Arii, contrà eundem in Conc. Nicæno promulgato, à Patribus exauctoratur: iterumque simulatà ab Eusebio pœnitentia, iterùm à clementia Patrum restituitur, sed ab Arianismo nunquam deflectens, neque umquam destitit conspirare contrà S. Athanasium i seductà etiam Constantià Augustà ad Arii protectionem suscipiendam. Ob promulgatas contrà Athanasium calumnias à Constantino anno 329. in exilium pulsus, ope Constantis Cæsaris, ut creditur, ab exilio revocatur, à quo etiam ad Sedem Constantinopolitanam circà annum 340. transfertur, quam Sedem duobus tantùm annis cum occupaſſet, tandem infelicitèr moritur, intèr homines sui ævi sceleſtiſſimus, bis apostata, Imperatorum seductor, in omnes contumeliosus, blasphemus, & ubique tyrannus; siquidem ejus livore ex Christianis plures in exilium pulsi, alii bonis spoliati, alii crudelitèr sunt trucidati. Ex Socrate, & Sozomeno.

IV. Eusebius Eunuchus, Constantii Imperatoris cubiculi perfectus, & in ejus aula præ cæteris præpotens, Arii causam defendere ità accerrimè studuit, ut Arianorum antesignanus diceretur. Contrà Nicænam fidem se se multum invexit, ubique Arianos protegens, & Orthodoxos dispergens. In Deum impius, in sanctos Episcopos, præcipuè D. Athanasium contumeliosus, ab ima sorte ad usque jubendum penè Imperatori elatus, tandem Deo sic permittente, sub Juliano apostata pœnæ lethali fuit addictus. Ex Nicæph. lib.9. cap.2.

IV. Eusebius. De hoc Eusebio secta Novatiano narrat Caſſiodorus, quòd tantos libros memoriæ mandaverat, ut legentes probabilitèr admoneret in quà parte codicis, quod prædixerant, invenirent. In omnibus disciplinis eruditus, etiam expositionibus elucidavit: utique celeberrimus apud posteros futurus, nisi scientiam suam Novati erroribus obnubilaſſet: Scribit de eodem Caſſiodorus, instit. Divin. cap.7.

III. Eusebius Natione Alexandrinus secta Origenista primum ex Ægypto, deindè ex Palestina fugatus, ad eandem hæresim promovendam, unà cum Armonio, & Euthymio Constantinopolim navigavit, ut ibi Origenis errores promulgaret. Vixit seculo tertio.

IV. Eustatius & Eutactus. Quemdam hæreticum, nomine Eustatium in Concilio Gangrensi damnatum temporibus Constantini circà annum 319. certum est. An autem hic Eustatius fuerit Monachus, vel Episcopus, diſſensio est intèr auctores. Fuerunt duo Eustatii hæretici, qui seculo IV. vixerunt, unus qui Archonticorum sectam profitebatur, sed nullam de novo hæresim instituit; alius hæresiarcha. At illum de quo hic agimus fuiſſe quemdam Eustatium Sebastensem Episcopum in minori Armenia, aſſerunt Socrates, & Sozomenus, quibus contradicit Baronius ad annum 361., qui ex levibus conjecturis defendere nititur Eustatium hæresiarcam, non fuiſſe Sebastensem Episcopum, sed Eustatium quemdam Pseudo-Monachum, de quo agit Epiphanius hær. 40. contrà Archonticos: sed ex D. Epiphanio probare numquam poterit Baronius Eustatium hæresiarcham fuiſſe Monachum, sed potiùs

tiùs secularem Presbyterum, siquidem discipulus fuit cujusdam Petri, qui certi loci Presbyter fuerat constitutus, & proptèr hæresim à Presbyterio depositus, teste D. Epiphanio. Ad hunc ergo Petrum à Presbyterio depositum se contulit Eustatius hæresiarcha, qui ex Armenia oriundus ad Palæstinorum terram transmeavit, ubi sub disciplina præfati Petri, ibi in spelunca ab omnibus despecti degentis, hæresis veneno contaminatur. Exindè profectus in Patriam suam, plures divites, Nobiles, & Senatorii ordinis infecit; hæreses, quas à Petro didicerat promulgando; ex quo colligere est Eustatium hæresiarcham numquam fuisse Monachum, cum Monachi sub disciplina Presbyterorum secularium degere numquam consueverint: sed ex ipsis erroribus Eustatii facilè evincitur hunc fuisse Episcopum, siquidem Episcopalem habitum, nempè Birrum contemnendo, in Philosophico habitu, unà cum suis asseclis incedere voluit. Licèt autem Spondanus ad annum 319. Baronii sensum, expressum ab eodem Baronio ad annum 361. prosequatur, nullatenùs verò prædictum Eustatium Monachum fuisse cum Baronio audet asserere, imò nec si Monachus fuerit, aliquo digno teste probari posse expressis verbis constantèr affirmat. Nescio ergo quà auctoritate fretus Baronius, Eustatium hæresiarcham Monachum faciat. Hoc certum est, quòd Baronius plures notas inussit Ordini Monastico, undè veterum Scriptorum monumentis facilè convincitur erroris in pluribus, & à studiosis veritatis indagatoribus identidem emendandus occurrit, ut historicæ notitiæ, quæ sinè veritate in fabulam convertitur, sincera notitia habeatur, quam qui legendo Baronianos Annales assequi desiderat, non in solà ejus Annalium lectione debet quiescere, sed unà simul auctores classicos, qui ipsum emendarunt, debet revolvere: quod sinè tanti viri injuria dictum sit; novit etiam ille, doctissimos viros aliquando fuisse erroribus obnoxios.

1. Dixit Christum solùm prò Apostolis, & eorum imitatoribus legem instituisse. R. Ex verbis Christi præcipientis Apostolis ut Euangelium prædicarent omni creaturæ. Tum quia Christum, non præcepisse omnibus observantiam vitæ Apostolicæ quoad austeritatem, quam ipsi profitebantur, constat ex eo, quod tempore Christi & Apostolorum plures divites, & uxorati legem Euangelicam profitebantur solùm quoad præcepta, non quoad omnia consilia. Tum quià lex Euangelica non potest ab omnibus observari quoad omnia consilia, cæterùm non posset propagari genus humanum, ex quo sequitur etiam falsum esse, quod.

2. Dicebat quemcunque salutis cupidum debere renunciare seculo, & vitam Monasticam profiteri. R. Nam Christus Juveni interroganti quid opus esset ad salutem æternam consequendam, respondet: *Serva mandata*, sed nullibi Christus mandavit ut omnes obligarentur ad suscipiendum institutum monasticum, quod est purum consilium.

3. Damnabat Nuptias, & virum cum uxore dormientem execrabatur. R. verbo *Adamitæ*.

4. Non permittebat esum carnium. R. Ex his quæ dicta sunt verbo *Abstinentes*, & verbo *Encratitæ*.

5. Docebat servos prætextu Divini cultus contemnere dominos suos, & filios sub eodem prætextu despicere parentes. R. quoad primum ex D. Paulo præcipiente servis ut subditi sint dominis suis. Quoad secundum R. ex præcepto Decalogi: *Honora Patrem, & Matrem &c.* ex quibus constat obsequium debitum à servis erga dominos, & à filiis erga parentes, non esse contrarium, imò consonum legi Divinæ.

6. Presbyteros, qui aliquando uxores habuissent, contemnendos inculcabat. R. ex Epist. ad Titum. Tum quia Ecclesia semper consuevit unius uxoris viros, post uxoris mortem, vel ipsa permittente ad Presbyteratum promovere, dummodò aliud non obstet impedimentum: & plures Sacerdotes qui uxorati fuerunt, tanquàm Sancti venerantur

tur ab Ecclesia; imò fuerunt aliqui Pontifices sanctissimi, qui antequàm Sacerdotio initiarentur uxorem duxerunt, & mortuà, vel ex pari consensu dimissa uxore, fuerunt ad Sacerdotium promoti: sed & D. Petrus primus inter Apostolos à Christo constitutus, uxorem habuit. Ante Concilium Nicænum, sive in primordio Ecclesiæ, in sacris constituto non fuisse requisitum cælibatum, & fuisse tolerantiam, quòd tam Græcus, quàm Latinus uti posset uxore, quam habebat, ostendit Faustus Naironus in suo opere inscripto *Evoplia Fidei Catholicæ Romanæ*. Vide etiam Cardinalem de Lauræa disput. 9. art. 9. parag. 3. de Sacramento Ordinis.

7. Dixit contemptibiles esse Ecclesias, in quibus fideles utriusque sexus orandi causà conveniunt. R. ex actibus Apostolorum, ubi legitur quòd discipuli cum essent omnes simul congregati perseverantes in oratione, unà simul cum sanctis mulieribus receperunt Spiritum sanctum; neque à loco ad orationem ordinato scimus umquam Apostolos, mulieres orandi causà accedentes ejecisse, quod factum est etiam in primitivà Ecclesia, quando in locis subterraneis Deo dicatis, metu persecutionum, clàm conveniebant viri, & mulieres, ut sacris assisterent, ut Corpus Dominicum reciperent, & ut orarent. Insuper bonum esse ædificare Ecclesias ad sacrificandum Deo, ad orandum, ad conservandas reliquias Sanctorum, ad ministranda Sacramenta, & ad explanandum populo verbum Dei, quibus de causis meritò templa consecrantur, probatur, ex sacra Scriptura Matth. 26. *Quotidiè apud vos sedebam docens in templo*, ex Epistola prima ad Corinth. cap. 11. *Convenientibus vobis in Ecclesiam*, ex Concilio Gangrens. can. 20. Tum quia si non essent Ecclesiæ impossibile esset omnes seorsim edocere. Tum quia omnes SS. PP. mentionem faciunt de templis, & de respectu debito Ecclesiis. Tum quia Deus faciliùs exaudit orationes, quæ fiunt in Ecclesiis. Tum quia ibi faciliùs excitamur ad devotionem, ergo bonum est templa erigere, de quorum dedicatione agunt SS. PP., inter quos abundè satis S. Bernardus in sermonibus quos habuit in dedicatione templi, ubi explicat quid significent ritus, & cæremoniæ quas adhibet Ecclesia in dedicatione templorum.

8. Docebat fœminas sub prætextu continentiæ virilem habitum gerere. R. Quia fœminæ debent diversimodè, ac homines habitum deferre, qui usus apud omnes gentes invaluit, ut scilicet mulieres diversimodè à viris indutæ incedant. Quod necessarium esse ad servandam honestatem, natura ipsa etiam barbaris gentibus indicavit, statutis etiam pœnis mulieribus, quæ in habitu virili auderent incedere. Et Deuter. 22. vers. 5. legitur: *Non induetur mulier veste virili . . . . . abominabilis enim apud Deum est &c.*

9. Jejunium die Dominico instituit. R. ex variis definitionibus Ecclesiæ, quæ In diversis Conciliis decrevit ut die Dominico non servaretur jejunium.

10. Jejunia ab Ecclesia præcepta abolevit. R. verbo *Aeriani*, & *Cathaprocli*.

11. Sanctorum memorias execrabatur, dicens Sanctos non esse invocandos, nec venerandos. R. verbo *Beza*, & *Vigilantius*.

12. Decimas non Ecclesiæ, sed sibi esse solvendas ordinavit. R. verbo *Apostolici*, & *Dulcinus*.

13. Spiritum sanctum nec Deum vocare volebat, nec creaturam. R. verbo *Airani* contra quos Spiritum sanctum esse consubstantialem Patri, & Filio ostenditur, & consequentèr esse Deum.

V. Eutyches Constantinopoli Archimandrita, & ex eadem urbe oriundus, cum summo odio in hæresim Nestorii inveheretur, contra quam tempore Ephesini Concilii cæteris præstantiùs dimicaverat, inconsiderato impulsus ardore, in oppositam extremitatem præcipitem se dedit, & in suo errore obstinatus persistens, resurgere pertinacitèr recusavit, proindè à pluribus Concilis damnatus, nempe à Flaviano Episcopo in Synodo Con-

Conſtantinopolitanâ, rursùmque in alio Concilio Conſtantinopolitano ſub Legatis Apoſtolicæ Sedis, deindè in Chalcedonenſi. Solebant Euthychiani accuſare Catholicos Neſtorianiſmi, ſed perperàm hoc ab ipſis factum probant condemnationes ab Ecclesia contra Neſtorium factæ. Plura ab Eutychianis paſſi ſunt Catholici Palæſtinæ, quorum audaciam Marcianus Imperator, deindè Leo Imperator compeſcere, pœnis contra eoſdem inflictis ſtuduerunt. Plura de Eutyche videre eſt apud Baronium ab anno 448. uſque ad annum 451. Vide etiam D. Auguſtin. de hæreſ. cap. 90.

1. Duas in Chriſto naturas eſſe negavit, aſſerens naturas, quæ ante unionem duæ erant, poſt unionem in unam coaluiſſe, ita ut naturam humanam in Divinam converſam eſſe blaſphemaret. R. Ex Concilio Nicæno primo; ex Romano ſub Damaſo; ex Epheſino, Chalcedonenſi, Bracharenſi, Aurelianenſi, Conſtantinopolitano tertio, & quarto, in quibus duas in Chriſto naturas eſſe aſſeritur, quod conſtat ex verbis Joannis cap. 1. *Verbum caro factum eſt*. Hoc enim ſignificat: Verbum Divinum naturam humanam aſſumpſit. Tum quia Chriſtus humanitatem ſuam realem eſſe oſtendit Apoſtolis, Lucæ 20. verſ. 30. Chriſtus verè paſſus eſt, ut oſtenditur verbo *Agareni*, *Arnaldus Brixienſis*, ſed non potuit pati qua Deus, ergo quà homo, ergo verè habet naturam humanam. Neque natura humana converti potuit in Divinam, quia Chriſtus, Matth. ultimo aſſerit ſibi datam omnem poteſtatem à Patre, ſed hanc non potuit recipere quà Deus, quia quà Deus erat æqualis Patri, ergo quà homo. Tum quia implicat ex intrinſecis principiis, converſio humanitatis in Divinitatem. Nec illa verba Joann. *Verbum caro factum eſt* ſignificant mutationem unius naturæ in aliam, ut contendunt Eutychiani, quia hoc eſt impoſſibile, ſed ſignificant unionem Verbi, abſque ſui mutatione factam cum natura humana. Vide verbo *Coſmiani*, *Cerinthus*.

2. Negavit Chriſtum natum eſſe de Virgine, ſed voluit deſcendiſſe de cælo cum corpore, & tranſiiſſe per uterum Virginis, quaſi per canalem. R. verbo *Albanenſes*, & *Balthaſar Pacimontanus*. Tum quia ſi Chriſtus in utero Virginis non fuiſſet incarnatus, non poſſet verè dici filius hominis, filius Abrahæ, factus ex ſemine David, ſicut conſtanter de eodem aſſeritur in ſac. pag. Tum quia Chriſtus verè ex matre eſt natus, ſcilicet Maria Virgine, ut affirmat Scriptura, ergo verè ex eadem corpus aſſumpſit; non verò per illam tranſivit; filius enim ille dicitur, qui verè à matre generatur. Inſuper dictum eſt ad Mariam Luc. 1. *Ecce concipies; & paries filium*; ſed hoc non poteſt verificari niſi Chriſtus verè eſſet de ſubſtantiâ matris, à matre genitus.

3. Dixit corpora noſtra in reſurrectione futura eſſe inviſibilia, & aerea. R. Ex Symbolo Apoſtolico, ex Concil. Lateran. 4. de Fide, ubi aſſeritur quòd homo reſurget cum eodem corpore, quod in vita habuit, non verò cum corpore aereo; inſuper ex Job cap. 19. verſ. 25. apertè convincitur Eutyches. *Scio enim quòd Redemptor meus vivit &c.* ait ergo Job, *Quòd rursùm circumdabitur pelle ſua, & in carne ſua, & oculis ſuis videbit Deum*, ergo non in aereo corpore, ut contendit Eutyches. Tum quia Chriſtus reſurrexit in proprio corpore; nos autem in reſurrectione Chriſto conformabimur. Tum quia in reſurrectione Anima informabit corpus; ſed hæc nequit informare corpus aereum, & apparens, ergo non in corpore aereo, ſed in noſtro corpore reali reſurgemus.

XVI. Eutychiani Novi inter Antichriſtianos, qui Chriſti Œconomiam & præcipua gratiæ oppugnant myſteria, reponuntur à Gravina, orti circa annum 1528. quorum duces fuerunt *Adam Paſtoris*, *Mennon*, & *Zuvenchefeldius*, veterum Eutychianorum dogmata renovantes, quam hæreſim quidam Poloni, & Tigurini in Poloniam aſportarunt.

IV. Euzoius Arii ſocius indiviſus, Alexandriæ Diaconus, ejuſdem doctrinæ profeſſor, exauctoratus fuit ab Epiſcopo Alexandriæ, unà cum Ario, quæ exau-

exauctoratio confirmata fuit à Concilio Nicæno; in exilium pulsus temporalis, & æternæ Arii damnationis etiam consors extitit. Plura de eodem videre est in annal. Baronii; cum tamen Arii socium indivisibilem diximus, omnia in hoc verbo comprehendisse credimus, quæ ad ejusdem perfidiam explorandum possunt enarrari. Confessionem fidei apparentèr Orthodoxam obtulit Constantino Imperatori, ut in Ecclesia reciperetur: ab Arianis Antiochenus Episcopus constitutus, Constantium Imperatorem baptizavit. De Euzoio scribunt *Socrates*, & *Sozomenus*.

IV. Euzoius alius apud Thespesium Rectorem, cum Gregorio Nazianzeno fuerat eruditus Cæsareæ, ejusque urbis factus Episcopus, successit Accacio Ariano, æquè ipse Arianus. Plurimo labore corruptam Bibliothecam Origenis, & Pamphili in membranis instaurare conatus est, sed eo quòd Arianus esset, sub Theodosio pulsus fuit; Porrò in his elucrationibus Euzoius utpotè Arianus plura in favorem Arianæ perfidiæ commiscere voluit; ut monet S. Hieronymus, qui proinde cautè scripta Euzoi legere consuevit, ut caveret à sordibus.

XVI. Examinatores inter Antichristianos liberæ fidei reponuntur à Gravina in sua tabula analytica, & ex Edero tales dicuntur illi, qui Scripturam vocant ad examen, & an cum regula fidei conveniat (quasi regula fidei ipsa non sit) discutiunt, idem facientes de Conciliis. Horum caput videtur Martinus Kemnitius, qui vocavit ad examen Concilium Trid. addito supra hoc examen alio examine, sed nusquam in veritate quievit, quò magis enim dilucidare est ausus regulas fidei, eò magis à fide aberravit.

Extatici. Vide *Entusiastæ novi*.

XVI. Extravagantes Confessionistæ in tres sectas divisi, cum invicem congregati convenire non possent, unam ex his cohortibus *Extravagantium* duxerunt qui Extravagantes in septem sectas fuerunt subdivisi. Dicuntur etiam Lutherani mixti, mediant siquidem inter Lutheranos molles, & rigidos, & neque cum illis, neque cum istis sentientes, suam peculiarem sectam constituunt, quæ secta nihil plus certi habet, quàm quod ejus sectatores, cum nihil certum credant, in incertum vagantur; apparuerunt anno 1530. ut refert Spondanus.

IV. Exucontii ex Arianis progeniti sunt, cum enim pro causa Meletii Pseudo-Synodus Antiochiæ esset congregata, nova fidei formula in hac Pseudo-Synodo condita est omnium teterrima: usque adeò enim fuit Catholicæ veritati contraria, ut neque admitteret nomen *simile*, quod juxtà Concilium Ariminense, & Constantinop. asserebatur de filio in Divinis, ac proptereà etiam illud damnatæ postmodum temperaturæ vocabulum aboletum, abrasum, & condemnatum est. In hoc conciliabulo Filium Patri, non solum substantia, sed etiam voluntate penitùs esse dissimilem, atque ex nihilo ortum, sicut jam Ario placuerat, decretum est. Qui ergo hanc fidei prævaricatæ horrendam formulam secuti sunt, Exucontii, hoc est Filium Patri dissimilem, & ex nihilo ortum asserentes; sunt nuncupati. Repr. verbo *Arius*, & *Anomæi*, contra quos Filium in Divinis esse similem substantiali quidem ratione, sivè propter essentiæ identitatem Patri asseritur, quem non ex nihilo, sed ex Patre genitum profitetur Concilium Nicænum; quam veritatem perhibet ipsemet Christus, qui sæpè in sac. pag. se æterni Patris Filium nominat; & certè si Filius esset ex nihilo, non autem à Patre genitus, non posset æterni Patris Filius nuncupari; quod tamen expresè habetur ex sac. pag. Tum quia si Pater in Divinis non generaret Filium, neque distingueretur à Filio, &. Pater esset imperfectus in ratione Genitoris, ergo Filius non est ex nihilo, sed à Patre genitus. Vide Socr. lib. 2. c. 25.

XVI. Ezechiel. Medersis secta Lutheranus ex Thuringia, filius Rectoris scholæ Largentulii, ætate adhùc juvenis, sed litteris sufficientèr imbutus, se esse Dei Verbum jactabat, & sibi Spiritum sanctum in somnis doctrinam, quam præ-

prædicabat revelasse dictitans, se etiam portare in corpore suo eamdem carnem, quam Christus assumpsit, blasphemabat; & cum discipulos, jam congregasset, omnibus immortalitatem promisit: à Concistorio Dresdensi vocatus, sacræ Scripturæ testimoniis, perperàm adductis, deliria sua defendere pertinacitèr voluit.

F

IV. Aerdius ille est, qui Diaconos Presbyteris æquare contendens, magnam contentionem inter Diaconos, & Presbyteros Romanæ urbis excitavit, quam Anastasius Papa opportuno decreto componere studuit, de quo mentionem facit S. Augustin.

Dixit Levitas esse æquales Sacerdotibus, & Diaconos Episcopis. Rep. Ex his quæ dicta sunt verbo *Aerius*. Tum quia in omni Republica benè ordinata datur subordinatio unius ad alium, ratione cujus subordinationis inferior Superiori inservit; sed Diaconus ex officio inservire debet Presbytero offerenti Sacrificium, ergo Diaconus non potest esse æqualis, sed inferior dignitate Presbytero.

I. Falsi Prophetæ, sive Pseudo-Prophetæ illi sunt, qui verbi Dei scientiam se habere gloriantur, & sub hoc prætextu populos seducunt. Proprium hoc semper fuit Hæreticorum de expresso Dei verbo intelligentiam sibi solummodò vindicare. De horum cavendà nequitià; nos admonet Christus Matth 7. *Cavete à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, interiùs autem sunt lupi rapaces*. His lupis rapacibus abundat, post alias hæreses, Lutherana, & Calviniana secta; undè plures prodierunt, qui perperàm interpretantes Scripturæ testimonia, hactenùs decipiunt plurimos, sed à fructibus eorum cognoscuntur, & à veris, & sinceris verbi Dei promulgatoribus facilè est illos discernere.

XVI. Fanatici. Anabaptistæ, eò quòd gloriarentur se habere extases, & raptus, in quibus secretas, & Divinas inspirationes jactabant, dicti sunt Enthusiastæ, & Fanatici. Postmodùm Fanatici sunt nuncupati Calvinistæ in Gallia. Ad uberiorem de Fanaticis notitiam, sciendum Fanaticos Calvinismi germina, in tot tantosque surculos esse divisos, ut perdifficilè sit omnes eorum latebras rimari, & detegere, maximè si Fanaticorum Anabaptistarum deliramenta omnia quis vellet adamussim recensere; qui Regem ex sua secta constituentes, ab ejus nutu, & voluntate pendebant, in his quæ in materià fidei, & morum concernerent, vel recipiendis, vel abdicandis. Stabat itaque Fanaticis Anabaptistis pro regula fidei suorum caliphorum, quos Reges vocitabant, depravata voluntas; cumque ad plures annos perduraverint; in sustinendo ideali regno ab ipsis confictо, & plures successivè Reges sibi constituerint, tot diversas amplexati sunt fidei regulas, quot diversæ fuerunt pro tempore, & animi levitate suorum Regum voluntates. De primariis autem Fanaticis, qui tamquam Reges Fanaticorum agmen duxerunt sub eorum proprio nomine agimus. Vide verbo *Joannes Becbaim, de Leindem, Matthias Brocoldus*. Plurium etiam ex eorum consodalibus in regimine Fanatico nomina reticuimus, quippè qui vix cogniti, à Magistratibus capti, & occisi, nova non valuerunt suis sectatoribus publicare, tanquam fidei normam, deliramenta, cujusmodi fuerunt *Joannes Cerdon*, qui vitam, & Regnum Bruxellis in furcam actus amisit. *Cornelius Apelmanus*, ultimo supplicio Trajecti affectus, & plures alii quorum uberiorem notitiam sparsim in suis annalibus inserit Spondanus.

XVI. Farellus: cujus vitam perstringit Spondanus anno 1523. 35. 38. nomine Guillelmus Delphinas, natus anno

anno 1489. ex nobilibus genitoribus, literis sufficienter eruditus, nec non Græcâ, & Hæbraicâ lingua instructus, hæresi Lutheranâ infectus, hanc primùm disseminavit in Gallia, undè expulsus abiit in Helvetiam ad Zuinglium, atque indè Genevam, ubi fuit præcipuus auctor subversionis illius Civitatis, ope amici Perini, hominis in Urbe potentis, ac militiæ Ducis; primuus sacrilegiorum, quæ in urbe Gebenensi patrata sunt pœnam luit, capitis obtruncatione, procurante Calvino damnatus, qui in Gebenensi Synagoga lector Pseudo Theologiæ fuerat à Farello constitutus; sed Calvinus mala pro beneficiis à Farello receptis rependens, adversùs Farellum insurrexit, & omnia ejus decreta rescidit, ut suum nomen ubique supponeret; ita ut qui primùm Farellistæ erant dicti, postmodùm Calvinistæ nuncuparentur. Farellus itaque primus est, qui Religionem Protestantem in urbe Gebenensi stabilire nisus est; cum pridem diversis in locis à potioribus hæreticis, nempè *Bucero*, *Capitone*, *Zuinglio*, & *Æcolampadio* fuisset receptus, ætatis annorum 64. uxorem duxit, & anno 1563. morte damnatus, præter communes Sacramentariorum errores.

1. Docuit Spiritum sanctum esse quemdam motum creatum. R. verbo *Aetiani*, *Airani*, & *Efrontes*.

2. Dixit non esse damnandos illos, qui periculorum formidine fidem dissimulant, dummodò idololatriam exteriùs non profiteantur. R. verbo *Dulcinus*. Tum quia Christus hortatus est Apostolos, ut tempore persecutionis fortes permanerent in fide, & disponerentur ad tormenta. Nullibi autem dixit, ut ad evadenda pericula fidem dissimularent, maximè quandò dissimulatur cum damno gloriæ fidei, & præjudicio adstantium, qui ex dissimulatione possent pati scandalum: imò Dominus promisit, se confessurum coram Patre, confitentem se coram hominibus.

* XV. Fascinarii sivè Fascinatorum secta Atrebati orribiliter fætens sub Pio II. detegitur, ubi utriusque sexus homines congregati, subterraneis in antris convenientes, ibi adorato diabolo sub umana formâ, tecto tamen capite apparente, Fereulis à dæmone subministratis reficiebantur usque dum ingurgitati, libato fantastici corporis à diabolo assumpti ano, pecudum more in promiscuos ruebant concubitus; pluribus ex eis carceri mancipatis, & igni traditis visa est impura secta evanescere, quæ tamen post quadriennium eàdem in civitate reuiviscens, à solertiâ Summi Pontificis exterminata fuit.

V. Faustus Regiensis vixit inclinante jam seculo quinto. Epistolâ ad Paulinum asseruit Angelos esse corporeos. Quod tamen asserere error à fide Catholica quondam non fuit, cum id ipsum nonnullos ex PP. innoxiè docuisse, aut dubitasse reperiatur. Nihilominùs post Concil. Lateran. sub Innoc. III. à nemine opinor posse sustineri. Ideo R. tum ex ipso Concil. tum ex Psalmo 103. *Qui facis Angelos tuos spiritus*; & apertiùs Tobiæ 12. 19.

V. Faustus Manicheus natione Afer, ex urbe Milevitana viguit initio seculi quinti, scripsit contra fidem Catholicam, quem validissimè confutavit S. Augustinus.

1. Dixit Animam hominis esse aut Dei substantiam, aut ex Dei substantia. R. verbo *Dicaritha*.

2. Christum nec nasci, nec mori potuisse asseruit. R. pluribus in locis hæc insania, ubi contra alios hæreticos sæpè de Christi Nativitate, & morte agere occurrit in hoc opere. Rep. etiam ex Scripturæ locis, ubi apertè de Christi Nativitate, & morte fit sermo, de quo legitur in Symbolo: *Natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato*.

3. Negavit Christum natum esse de Virgine. Repr. verbo *Baltasar Pacimontanus*.

4. Dixit Christi mortem fuisse apparentem. R. verbo *Albanenses*, *Agareni*, *Arnaldus Brixiensis*, *Basilidiani*.

5. Negavit vetus Testamentum. R. verbo *Albanenses*.

6. Dixit Christianos esse Idololatras; quia

quia venerantur sacras Imagines. Rep. Quia Christiani non colunt imagines tanquam Idola, eodem modo quo Gentiles colebant statuas, sed honorem imaginum in Christum referunt, & ejus Sanctos; Ecclesia proponit imagines ad excitandos Christifideles, ut sequantur vestigia Sanctorum, ergo Christiani non sunt Idololatræ dum venerantur Imaginis, quibus debitam esse venerationem ostenditur verbo *Iconoclastæ*.

7. Non approbat templa, & quid quid ad eorum ornatum pertinet, quæ omnia abolenda esse dicebat. R. verbo *Eutactus*. Tum quia in lege veteri erant Synagogæ, in quibus congregabantur Judæi orationis causa, & Deus præcepit Salomoni, ut ædificaret Templum, cujus structura quàm fuerit magnifica, & Deo grata, constat ex lib.2. Paralyp., ibique Deum faciliùs exaudire preces nostras, veritas ipsa testatur. Ecclesias esse Dei domos, & summo cum respectu ad ipsas accedendum Christus ipse ostendit, quandò ejecit ementes, & vendentes de Templo, quod certè non fecisset, si Ecclesiæ essent quid indifferens, vel improbandæ, uti dicebat Faustus.

8. Negabat Sacrificium Missæ. Rep. Ex ipsa deffinitione sacrificii, quam convenire Sacrificio Missæ non est qui rationabilitèr negare valeat. Definitur Sacrificium. *Actus Religionis ab habente auctoritatem institutus, quo protestamur media oblatione rei sensibilis permanentis, à legitimo ministro facta, summum Dei jus, & infimam nostram servitutem*. Tum quia de hoc Sacrificio prophetavit Malachias cap.3. vers.3. *Et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia*. Ad Hebr.c.5. vers. 1. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia prò peccatis*. Insupèr ex paritate, quam adducunt SS. PP. de sacrificio Abrahæ, Abel, & Melchisedech, à fortiori deducitur Missam esse verum Sacrificium. Tum quia Christus est Sacerdos in æternum, scilicèt usque ad finem Mundi, sed hoc non esset verum quandocumque nullum esset Sacrificium, ergo de facto debet dari in Ecclesia vera actio sacrificandi, scilicèt Missa, quæ actio per ministros Ecclesiæ tribuitur Christo. Tum quia hujusmodi actioni Missæ, conveniunt omnia, quæ requiruntur ad rationem Sacrificii, ut consideranti patet. Objectiones quas adducunt adversarii, probant solùm Missam non esse Sacrificium cruentum, quale fuit Sacrificium Crucis, in quo Christus occisus est, neque Catholici intendunt afferere Missam esse Sacrificium cruentum, sed incruentum. Nec valet objicere, idem non posse simul esse Sacramentum, & Sacrificium; nam in lege veteri Agnus Paschalis habebat rationem Sacramenti, & Sacrificii, ut conceduat ipsi Calvinistæ congregati in sua Synodo Gapicensi; ergo etiam Eucharistia potest habere rationem Sacramenti, & Sacrificii.

IV. Felicianus. Cadente Seculo IV. vixit hic hæreticus, contrà quem scripsit D. Augustinus librum De unitate Trinitatis, in octodecim capita destributum. Secta erat Arianus, & pratèr Arii errores.

1. Dicebat de rebus fidei potiùs agendum esse rationibus, quàm Scripturæ testimoniis. R. verbo *Arnaldus Brixiensis*; & ex definitione fidei, quæ communitèr accipitur ab omnibus. Tum quia fides innititur infallibili Dei verbo revelato. Tum quia fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum. Tum quia mysteria fidei superant rationem humanam, & si solis rationibus de fidei mysteriis esset agendum, qui non essent capaces intelligendi rationes humanas speculativas, non possent fidem recipere; itaque major pars hominum esset sinè fide.

2. Dixit Filium non esse coæternum Patri, sed creaturam. Repr. verbo *Arius*.

IV. Feliciani à quodam Felice nomen sortiti sunt, quasi circà finem seculi IV., sed cum plures nomine Felices circà hæc tempora viguerint, quis ex iis fuerit hujus hæresis auctor, difficile est perspectum habere. Abrogata fuit hæc

hæc hæresis in Concilio Franconiæ celebrato sub Adriano Pontifice.

1. Negabant Sacras Imagines adorandas. R. verbo *Iconoclastæ*.

2. Dicebant Christum esse Filium Dei adoptivum. R. verbo *Elipandus*.

3. Duas hypostases, seu personas ponebant in Christo. R. verbo *Bonosiani*, ubi ostenditur in Christo non esse duas filiationes; quod sequeretur, si in Christo essent duæ hypostases. Tum quia si duæ essent hypostases in Christo, non posset dici de Christo quòd esset homo Deus, & Deus homo. Tum quia si essent duæ personæ in Christo, non esset facta unio hypostatica; nec dici posset quòd Maria conceperit Dei Filium.

III. Felicissimus. Scribit Sanctus Cyprianus Epistolà 77., quòd Felicissimus fuit Presbyter Carhtaginensis, fautor schismatis Novati, ex quo posteà orti sunt Novatiani, & Donatistæ à Fortunato Episcopo Carthaginensi; qui illam sedem, Sancti Cypriani propriam, eodem Sancto extruso, ocupaverat. Missus est Legatus ad Cornelium Papam, à quo fuit repulsus, cum jampridem ob varia scelera fuisset à Concilio Carthaginensi excommunicatus.

Dicebat omnes lapsos absque ulla pœnitentia, vel aliquo gradus, aut honoris dispendio suscipi debere. R. Exemplo Apostolorum, qui lapsos nonnisi ad pœnitentiam recipiebant: ex sacris Canonibus, in quidus pœna lapsis decernitur. Tum quia secùs daretur ansa iteratis excessibus. Vide verbo *Aetius*.

V. Felix Manichæus. Disputavit contrà hunc hæreticum D. Augustinus, & de actis cum hoc hæretico à D. Augustino, duo fuere libri editi, qui intèr ejusdem Sancti opera circumferuntur. Fuit vir indisciplinatus; sed versutiis multùm instructus, & in Civitate Hipponensi, circà initium seculi V., suos disseminavit errores; sed eumdem S. Augustinus præsente populo in Ecclesia, per publicas disputationes gloriosè perstrinxit, siquidem ad sanam frugem reduxit.

1. Dicebat suum præceptorem Manichæum de promissione Spiritus sancti fuisse Apostolum.

2. Terram esse Deo coæternam. R. verbo *Hermogeniani*.

IV. Felix Diaensis, & Felix Idicrensis. Hi duo Felices, secta Donatistæ anno 362. sub Juliano ab exilio revocati, non tanquam homines, sed tanquam feræ à speluncis egressæ, Christianorum sanguinem quàm crudelitèr dispserserint, quàm immania scelera perpetraverint, videre est apud S. Crysost. lib. contrà Gentes.

VIII. Felix Urgellitanus. Urgela est Civitas in Pirinæi montis jugo sita, cujus Episcopus fuit in fine seculi VIII. Felix, natione Hispanus; qui cum per litteras poposcisset ab Elipando, quid de Christo quà homine sentire deberet, an scilicèt esset dicendus Filius Dei adoptivus, vel naturalis; adoptivum dicendum esse perperàm instructus fuit; sed convocato apud Ratisponam Concilio Episcoporum, auditus est Felix, & errasse convictus, missus est Romam ad Adrianum Summum Pontificem, antè cujus conspectum hæresim confessus est, atque abdicavit; sed ad suam Civitatem reversus, instigante Elipando, iterùm suscitavit; an autem in illa decesserit, dubium est. Felicis & Elipandi errores damnati fuerunt in Concilio Francofordiensi anno 794., & iterùm in Concilio Romano sub Leone III. anno 799.

1. Dixit Christum quà hominem esse Filium Dei adoptivum. Rep. verbo *Elipandus*.

2. Dixit Dei Filium nullatenùs dici debere Crucifixum, quia Christus, (dicebat) figuratus est in Isaac, pro quo Aries est immolatus. R. verbo *Agareni*. Ex figura autem arietis pro Isaac immolati, nihil evincitur; quid enim hoc significaverit, exponunt Scripturæ interpretes. Tum quia si ex hac non in toto, sed in parte solum simili figura aliquid evinceretur; plura etiam alia fidei nostræ mysteria essent alitèr accipienda, quæ per figuras in veteri testamento fuerunt non onnimoda conformitate expressa.

XI. Foemina Italica, cujus nomen ignoratur, hæresi Manichæorum infecta, Diabolo plena, proinde facilis ad seducendos quoscumque volebat, non solùm idiotas, sed etiam plures, qui videbantur doctiores in urbe Aurelianensi, circà initium undecimi seculi Manichæismum disseminavit, plerosque in Clero subvertit, qui cum, instante Rege Roberto, hæresim abjurare renuissent, igni traditi fuerunt. Simili modo in Aquitania eadem hæresi serpere cœpit. Porrò ex præcipuis, qui in urbe Aurelianensi à præfata muliere seducti fuerunt, nominantur *Heribertus*, & *Lisoius*, unà cum aliis perfidiæ sociis combusti, qui priùs interrogati quid de fide sentirent.

1. Dixerunt deliramenta esse quidquid in veteri, ac novo Canone, de trina unaque Deitate, beata confirmat auctoritas. R. verbo *Bogomilli*.

2. Cælum & terram fuisse ab æterno. R. verbo *Hermogenes*.

3. Nullam esse pœnam constitutam peccatoribus. R. verbo *Albanenses*.

4. Negabant Baptismum. R. pluribus in locis, ubi contrà alios hæreticos de hoc Sacramento agimus.

5. Illicitum esse esum carnium. R. verbo *Encratitæ*.

6. Improbabant conjugia legitima. R. verbo *Adamitæ*, *Armeni*, & *Encratitæ*.

7. Negabant Sanctos esse honorandos. R. verbo *Beza*.

VI. Ferquardus I. Scotorum Rex Confessionem in aurem Sacerdotis factã irridens, à suis habitus est hæreticus, & è solio in carcerem deturbatus. Hæc ad literam transcripsi ex libro cui titulus *Fax Cronologica auctore Jo: Dominico Musantio*. Nihilominùs rationes suppetunt, quæ insubsistentiam præfatæ assertionis evincunt: vixit enim Ferquardus primus, non seculo sexto, ut cribit Musantius, sed seculo septimo, nempè ab anno 622. usque ad annum 636. Ferquardus frater fuit S. Fiacris, & improbabile videtur Ferquardum in tantam potuisse impietatem irrumpere sub exemplo fratris sanctitate conspicui. Successit Ferquardo mortuo Donaldus frater, qui tutelam Regni, & Ferquardi II. Ferquardi Primi filii, sed ratione pubertatis nondum ad regimen idonei, assumpsit. Nec populus habet auctoritatem deturbandi à solio legitimum Regem, quamvis de hæresi suspectum; quæ dicta sint ut judicet lector, an, quæ de Ferquardo scribit Musantius, subsistant.

IV. Firmianus, de quo mentionem facit Hieronymus ad cap. 4. ad Galatas; vixit seculo 4. In epistola 8. ad Demetrianum asserit, Spiritum sanctum sæpè Patrem, sæpè Filium nominari, ideoque negat esse tertiam personam Sanctissimæ Trinitatis. R. Matt. 28., ubi Christus postquàm nominavit Patrem, & Filium, addidit & Spiritum sanctum, dicens. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Alibi etiam docet Christus Patrem missurum ad Apostolos alium Paraclitum, ergo Spiritus sanctus verè est tertia persona Sanctissimæ Trinitatis.

III. Firmilianus tertio currente seculo Iconii Episcopus conciliabulo præfuit, in quo declaratum fuit nullum esse baptisma collatum ab hæreticis, ad quod conciliabulum convenerunt Episcopi ex Cappadocia, Cilicia, & Galacia; quapropter Firmilianus à S. Stephano Papa fuit communione privatus.

XVI. Flaciani. Matthias Flacus, natione Illirycus, ex oppido Albola, adhùc juvenis vigintiocto circitèr annorum, rigidorum Lutheranorum princeps, sectam de suo nomine instituit Flacianorum, sivè Illirycianorum dictam, fuit Magdemburgensis minister, Lutheri antagonista, Centuriarum Magdemburgensium præcipuus compilator, & editor; plura scripsit contrà Philippum Melancthonem, Witembergenses, aliosque confessionistas molles, & sequentes errores promulgavit: referente Spond. ann. 1549. 1560.

1. Opera non esse necessaria ad salutem. R. verbo *Antinomi*.

2. Renovavit hæresim Arii.

3. Asseruit peccatum originale esse ipsam hominis substantiam. R. Nam si pec-

peccatum originale esset ipsa hominis substantia, jam non contraheretur ab hominibus, sed esset innatum in homine, & Adam creatus fuisset in culpa originali, non verò cum innocentia originali; neque originalis culpa, dici posset, quòd esset ex peccato Protoparentum in posteritatem diffusa; neque ab eo peccato mundari possemus, quòd esset substantia nostra. Transmutationem illum docuisse non me latet; sed hanc infrà num. *6.* reprobandam reservo.

4. Ecclesiæ dogmata esse Romanorum Pontificum inventa blateravit. R. Quia constat Ecclesiæ dogmata in Scriptura, & traditionibus fundata esse, sicut per singula discurrenti patebit.

5. Asseruit imaginem diaboli esse humano cordi essentialitèr impressam. R. Quia hominem factum esse ad Dei imaginem, constat ex sacra Scriptura Gen. 1. 26. ***Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram***; Gen. 27. ***Fecit Deus hominem ad imaginem suam***. Gen. 9. 6. Eccles. 17. 1. Ad imaginem Dei factum esse hominem perhibent sancti Patres. Ex his quæ dicta sunt contrà ***Antropomorphitas*** etiam constat hominem factum ad imaginem Dei. Tum quia quando Deus creavit hominem jam diabolus prævaricaverat, ex quo deducitur Deum, qui creavit hominem, ut sufficeretur Angelis prævaricatoribus, noluisse imprimere essentialitèr in homine imaginem prævaricatoris.

6. Fingit humanæ naturæ corruptionem esse ad modum physicæ transmutationis, ut nova substantia generetur per corruptionem, sicque hominem creaturam Dei per primam creationem, fieri post lapsum creaturam diaboli. R. Nam si sermo sit de corruptione physica, certum est humanam naturam corrumpi, cum separatâ animâ à corpore, introducitur forma cadaverica; neque cadaver dici potest creatura diaboli; sic enim in hoc rerum ordine Deus disposuit ad ornatum mundi, ut materia nunquàm existat spoliata formâ, ità ut expulsionem unius formæ à materia, statim subsequatur introductio alterius; si verò sermo sit de corruptione morali, falsum est post lapsum generari novam substantiam ad modum physicæ transmutationis, & hominem lapsum esse creaturam diaboli; nam per peccatum homo amittit quidem gratiam, sed non fit in homine generatio novæ substantiæ ope dæmonis, ità ut homo post lapsum dici debeat creatura diaboli: cæterùm cum homo post peccatum ad pœnitentiam revertitur, & à gratia iterùm cadit, quoties à peccato convertitur, & à conversione revertitur per novum peccatum, toties dicendum foret fieri physicam transmutationem, & generari novam subsistantiam in homine, à Deo quidem, cum homo convertitur, à diabolo verò, cum homo peccat; qui loquendi modus plurium absurdorum satis feracissimus, patet quàm sit insulsus, facilè reprobandus à quocunque, qui vel à limine physicam scientiam salutasset.

7. Veritatem, & auctoritatem Doctrinæ Ecclesiæ negavit. R. Nam ad confirmandum quemcumque in veritate doctrinæ, quam docet Ecclesia Catholica Romana, sufficit reflectere ab initio Ecclesiæ, usque ad hæc tempora, Ecclesiam Romanam semper docuisse, & propugnasse eadem fidei dogmata; ex quo facilè evincitur insubsistentia doctrinæ, quam promulgarunt aliæ omnes sectæ, quæ vel omninò post aliquos annos ab earum exordio exterminatæ fuerunt, vel ita confusæ sunt in suis assertionibus, ut earum sequaces, penè omnes sint in credendi formà divisi, ita ut ferè quot capita tot sententiæ, sicut adhuc in præsens videre est; ex eadem enim familia, quæ se Calvinianam, V. G. vel Lutheranam perhibet, sæpè contigit, quòd Pater diversimodè sentit à Matre, Mater à filio, filius à sorore, ex quo sicut evincitur insubsistentia cujuscumque aliæ sectæ in doctrina fidei, ita comprobatur veritas doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, tot confirmata miraculis, pro quà tot insignes doctrinâ, & nobilitate viri gloriosè sanguinem fuderunt; quam profitentur tot eruditissimi homines, tot Prin-

Principes & Reges. Nonne hoc solo instante motivo, temeritas est nuncupanda, velle ab Ecclesiæ doctrinâ dissentire? Nonne dissentientes convincitur audaciæ, quasi sibi quid tutius revelatum jactent, quod tot prætererit Sanctos, tot effugerit sapientes, & velint sapere supra tot Reges, tot nobiles, tot Doctores, quos Ecclesia Romana tanquam obsequentissimos filios suo alit in gremio?

8. Primatum Petri, illiusque successionem inEcclesia negavit.R.verbo *Armeni.*

9. Sacrificium Missæ contempsit. R. verbo *Confessionistæ Provinciales*, *&* *Faustus Manichæus*.

10. Transubstantiationem in Eucharistiæ confectione irrisit. R. verbo *Lutherus*.

11. Indulgentias despexit R. verbo *Lutherus*.

12. Invocationem Sanctorum. R. verbo *Vigilantius*.

13. Sanctarum imaginum cultum. R. verbo *Iconoclastæ*.

14. Sanctarum Reliquiarum venerationem. R. verbo *Eudoxius*.

15. Communionem sub utraque specie laicis injustè negatam dixit. R. verbo *Bohemi*.

16. Institutum Monachorum reprobavit. R. Quia institutum Monasticum est juxtà consilia Euangelica; conformatur vitæ Apostolicæ; valdè conducit ad acquirendam perfectionem; plures in tali instituto sunt sanctificati; approbatum est à Summis Pontificibus; ergo institutum Monasticum est commendabile. Vide verbo *Dulcinus*.

17. Purgatorium negavit. R. verbo *Albanenses*.

18. Asseruit Ecclesiasticum regimen non esse Monarchicum. R. verbo *Calvinus*.

19. Dixit epistolas decretales robur non habere. R. Ex his quæ dicta sunt verbo *Confessio-Augustana*.

XIII. Flagellantes. Initium non habuit hæc hæresis anno 1349. ut aliquibus placuit, sed anno 1260. qui dictus fuit annus devotionis; apparuerunt in Italia homines, qui devotionis causa se flagellis cædebant, sed hic devotionis excessus prorupit in hæresim. Dicti sunt etiam *Cruciferi*, quia prœeuntibus Crucibus procedentes, in omni vestium parte Crucibus rubeis erant signati. Repullulavit hæc hæresis in Hungariâ, & brevi per totam ferè Europam sese diffudit. Seminudi incedentes tantam in hac flagellatione vim constituebant, ut epistolâ quadam divinitùs missâ ad has macerationes se se invitatos jactarent. In plures turmas divisus erat hic cætus, & unaquæque turma parebat uni, quem Principem dicebant, duobusque magistris. Oblata spontè sumentes, sed nihil petere audentes, soli suæ fidebant insaniæ. Contra hos scripsit Joannes Gerson; cum jam pridem à Clemente Sexto condemnata fuisset Flagellantium secta, & prohibitus excessivus modus publicè se cædendi flagellis, quemadmodùm consueverant isti sectarii, asserentes sinè tali flagellatione, obtineri non posse peccatorum remissionem; & per eam continuatam ad quadragintaquatuor dies, omnia deleri peccata; ex quo factum est, ut Flagellantes Sacramenta contemnerent, & liberiùs peccatis se coinquinarent. Jam penè per totam diffusos Europam hosce sectarios, à sui regni ingressu prohibuit Philippus Rex Galliæ, quæ narrat Spondan. ad ann. 1349. 1414.

1. Docebant Christi Euangelium, ex quo ipsi advenerant, penitùs desiisse, nullamque habere vim obligandi. R. verbo *Ægidius*, contra quem ostenditur qualiter lex gratiæ non mutabitur, quam usque ad finem seculi semper in suo vigore permansuram probatur ex sacra Scriptura Isaiæ cap. 40. vers. 8. *Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, Verbum autem Domini manet in æternum*. Matth. 24. vers. 34. *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*. Matth. 28. vers. ultimo: *Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis*, scilicet legem Euangelicam; *& ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*. Tum quia Euangelium debet prædicari in universo mundo, & tunc veniet consummatio, sicut legitur Matth. 24.

ergo

ergo non cessavit lex Euangelica, sed usque ad consummationem seculi est in suo robore permansura. Tum quia lex Euangelica vocatur testamentum æternum, ergo non debet ampliùs mutari. Tum quia Christus dixit, quòd ad obtinendam vitam æternam, opus est servare mandata Euangelica, ergo hæc adhuc in suo robore persistunt, nec desierunt, sicut contendunt Flagellantes. Tum quia nulla est ratio ex quà colligi possit cessasse legem Euangelicam. Demùm in Euang. gelio consummata sunt omnia, quæ olim Deus in Scripturis hominibus promiserat, ergo lex Euangelica adhuc perseverat, & debet usque ad finem seculi permanere.

2. Baptismum aquæ mutatum esse in baptismum sanguinis asserebant, ideò usque ad sanguinis effusionem flagellis se cædentes, finè hac flagellatione neminem posse salvari blaterabant. R. Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei*; hinc evincitur perpetua necessitas baptismi aquæ, ex quo talis baptismus fuit à Christo institutus ad obtinendam salutem; neque alicubi legitur in Scriptura, aut constat ex traditione aliqua Apostolicà, Christum mutasse baptismum aquæ in flagellationem. Tum quia tale remedium non potest hominibus infirmis, & infantibus applicari, ideò plures non possent obtinere salutem, quam Deus omnibus vult; quapropter remedium instituit, quod omnibus possit finè salutis corporalis præjudicio applicari. Tum quia nulla potestas est in terris, quæ valeat Sacramenta mutare, & de novo instituere, quæ auctoritas propria est solius Christi, sed Christus hanc mutationem non fecit; ergo &c. Verum quidem est, quòd Baptismus sanguinis, sivè martyrium, supplet pro baptismo aquæ; sed hinc inferri non potest, quòd baptismus aquæ, mutatus sit in baptismum sanguinis, tunc enim supplet sanguinis effusio, per carnificis manum intuitu fidei facta, (non verò per propriam manum, sicuti consueverant Flagellantes) quando qui martyrio coronandus est, non potest ampliùs concurrere ad baptismum aquæ, quem tamen habere debet in voto; ita ut si facta sanguinis effusione superstes, & sui juris remaneret, teneretur baptismum aquæ recipere, non obstante præmissa sanguinis effusione. Qui hæresim Flagellantium suscitarunt, dicebant opera justorum injuriosa esse sanguini Christi, qui ità nobis meruit gratiam, & vitam æternam, ut nullus homo mereri possit. R. Psalmo 17. vers. 21. *Retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam &c.* ad Corinth. cap. 3. vers. 8. *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm laborem suum*. Tum quia gloria æterna sæpè in sac. pagin. vocatur merces nostra; sed non posset vocari merces nostra, nisi per bona opera possemus illam promereri, & sæpè Deus propter bona opera nostra promisit nobis retributionem, ergo opera quæ facimus propter Deum sunt meritoria. Tum quia opera mala imputantur ad demeritum, ergo bona imputari debent ad meritum: hinc Deus promisit unicuique mercedem secundùm laborem.

3. Omnem culpam, & pœnam illi esse remissam, qui per dies quadragintaquatuor flagellationem bis in die, & semel in nocte continuasset. R. Nam auctoritatem remittendi omnem culpam, & pœnam Christus dedit Ecclesiæ, cum dixit Petro: *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum in cælis*; nec in flagellationis efficacià legitur alicubi Christum, qui fuit auctor legis gratiæ, reposuisse remissionem culpæ, & pœnæ: quòd si esset, jam lex Christi dici non posset lex gratiæ, jugum suave, onus leve, maximè cum multi dentur ita imbecilles virium, ut finè evidenti periculo vitæ, non possent sustinere prædictam flagellationem, quibus consequentèr nullus pateret aditus ad obtinendam remissionem culpæ, & pœnæ. Esto Ecclesiam aliquando per suos ministros ordinare peccatoribus flagellationes; sed hoc peragit cum discretione, consideratis cum gravitate peccati, pœnitentis viribus, statu, & conditio-

ditione. Ecclesia autem ut pia Mater, non nisi mitè agit cum pœnitentibus; immò peccat, quisquis prudentiæ terminos in flagellationibus transgreditur.

4. Aspernabantur omnia Sacramenta. R. Nam Sacramenta omnia à Christo sunt instituta ad conferendam infallibiliter gratiam, de quibus omnibus fit expressa mentio, quæ in numero septenario ab institutione Sacramentorum, usque ad hæc tempora semper Ecclesia recepit; quorum aliqua sunt necessaria necessitate medii, nempè omnibus baptismus, de quo legitur Joann.3. vers.5. *Nisi quis renatus fuerit &c.* & adultis post peccatum, pœnitentia; alia verò Sacramenta necessaria sunt necessitate præcepti, licèt non omnia omnibus. Sacramentorum novæ legis virtutem, & efficaciam testantur identidem omnes sancti Patres; comprobarunt sæpè stupenda miracula, quæ per Sacramenta Deus est operatus, ut debitam Sacramentis venerationem haberemus; sed tam de numero Sacramentorum, quàm de difficultatibus circa Sacramenta occurrentibus, agitur copiosiùs verbo *Bissacramentales*, *Lutherus*, *Calvinus*.

5. Flagellationem spontaneam æquabant martyrio. R. ex ipsà definitione martyrii, Martyrium enim est *effusio sanguinis pro defensione fidei, instante aliquo persecutore facta*.

6. Sacramentalia, utpotè aquam benedictam, dicebant nullius esse virtutis. R. Ex Concil. Ravennatensi sub Clemente V., ex Moguntino sub Paulo Papa IV., ex Regiensi sub Xisto III. in quibus decernuntur benedictiones faciendæ super aquam, panem, & alios fructus. Aquæ benedictionem esse de jure Ecclesiastico constat ex Constitutione Alexandri Papæ Primi, qui Ecclesiam Dei rexit ineunte seculo secundo, ut videre est in Canone *Aquam* distinctione 3. Aquam benedictam magnam habere virtutem ad expellendos dœmones, ad sedandos morbos, constat ex infinitis propemodùm miraculis, quæ referuntur à Sanctis PP., inter quos D. Bernardus in vità Sancti Malachiæ. Neque imitamur Gentiles, dum aspergimur aqua, hoc enim diversà intentione, & virtutis fide ab illis facimus. Cæterùm dicendùm foret etiam Christianos imitari Gentiles, dum templa ædificant, dum genuflectunt in Ecclesiis, & similia præstant, quæ etiam faciebant Gentiles: diversa autem est intentio Christianorum, ab intentione Gentilium, dum actus hos exercent, dirigunt enim ad veri Dei cultum actus istos Religionis, quorum speciem Ecclesia non reprobat; sed superstitionem agentium contra veram fidem execratur: & falsum est, quod dicunt hæretici, aquam non posse fieri meliorem per benedictionem; estò enim quòd non fiat melior physicè; fit autem melior moraliter, & acquirit aliquam virtutem moralem ratione benedictionis; ait enim Apostolus prima ad Timoth. c.4. vers.5. *Sanctificatur omnis creatura per verbum Dei*. Sicut à pari per infusionem gratiæ anima fit melior moraliter, licèt physicè nequeat melior evadere.

7. Extinctam esse auctoritatem Romani Pontificis, aliorumque Episcoporum asserebant. R. Nam Ecclesia Dei non est immutata, stabilita est enim supra firmam petram; ergo & auctoritas data à Christo Ecclesiæ, ejusque ministris adhuc perseverat. Quod si extincta esset auctoritas Pontificis, & Episcoporum, ergo dicendum esset nullum ampliùs esse regimen in Ecclesia; quod non potest asseri: vel dicendum foret auctoritatem Ecclesiasticam translatam esse ad laicos; sed neque hoc subsistit, ergo perseverat auctoritas in Romano Pontifice, & aliis Episcopis. Tum quia constat datam esse à Christo Pontifici, & Episcopis auctoritatem regendi Ecclesiam, sed nullibi legitur hanc esse sublatam, ergo Flagellantium assertio est purum figmentum. Vide verbo *Arnulphus*.

8. Licitum esse pejerare. R. verbo *Domus Charitatis*.

9. Dicebant Deum creasse simul omnes animas, eas collocasse in Paradiso, à quo extrahuntur cum fœtus debet animari. R. verbo *Hæretici de Barulo*.

10. Conradum Smeth virum perditissi-

tiffimum, quem Enoch effe dictitabant, futurum Judicem in die extremà, non verò Chriftum, afferebant. R. Chriftum feffurum Judicem in die judicii adeò clarè perhibent facræ paginæ, & Symbolum Apoftolorum, ut hac de re nullum poffit dubium intercedere.

11. Nullum effe Purgatorium. R. verbo *Albanenfes*.

12. Nullum feftum celebrandum nifi diei Dominicæ, Nativitatis Chrifti, & Affumptionis Mariæ. R. verbo *Ebion*.

13. Nullum obfervandum jejunium, nifi ferià fextà, in vigilià Nativitatis Chrifti, & Affumptionis Mariæ. R. verbo *Aeriani*. De Flagellantium fectà differit Spondan. anno 1349. & 1414.

V. Flavitas mortuo Acacio malis artibus mercatus thronum Conftantinopolitanum, Catholicus apparere ftuduit; fed fuit hæreticali labe contaminatus, quippe qui veftigiis prædecefforis Acacii inhæfit, & hoftis Concilii Chalcedonenfis; plura de eodem videre eft etiam apud Nicæphorum, & apud Liberatum in Breviario cap. 18. vixit cadente feculo quinto.

Docuit Papam non effe Epifcopum fupremum, ac proindè nullam habere auctoritatem in universà Ecclefià, fed folum effe Epifcopum Romæ, & eamdem auctoritatem habere, quam habent cæteri Epifcopi in fuo refpectivè Epifcopatu. R. verbo *Armeni*, & fufiùs verbo *Joannes Jandunus*.

II. Florinus Blafti focius, Valentini hæretici affecla, Romæ Presbyter, propter fua fcelera à Sacerdotio degradatus, Florianorum auctor fuit; Contigit autem Florini degradatio fub Victore Pontifice currente feculo fecundo: fed licèt excommunicatus, & degradatus fuerit, non hinc ad meliorem frugem fe convertit, quin imò deterior factus, majori pertinacià fuos ftuduit promulgare errores. Romam dum pertranfiret S. Irenæus, cum Florino difputationem habuit, eumque convicit, contra quem etiam fcripfit librum de Monarchia. Fuerat autem Florinus fub magifterio D. Polycarpi S. Irenæi condifcipulus.

1. Dixit Deum facere mala effectivè, homines provocando ad malum. R. verbo *Blaftus*; item Jacobi Epift. Catholicà cap. 1. verf. 13. *Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum eft*. Tum quia Deus utpotè fummum bonum, neceffariò excludit à fe omne malum, etiam effectivè. Tum quia parem culpam incurrere cenfetur, tam provocantes ad peccatum, quàm peccantes; Deus autem neceffariò eft impeccabilis. Tum quia omne peccatum eft per receffum à Deo, utpote fummo bono, & fine ultimo, & fi Deus effet auctor peccati recederet à fe ipfo, quod eft impoffibile.

2. Dixit animas tam bonas, quàm malas ita à Deo creari, ut bonæ fint neceffariò bonæ, malæ neceffariò malæ. R. Quia Deus nullam animam malam creat, quòd enim anima contrahat peccatum originale, non eft à Deo, fed à culpa Prothoparentis; cæterùm animæ omnes funt bonæ; quidquid enim à Deo eft, bonum eft, & nihil malum effentialiter creare poteft Deus; anima creata eft propter Deum, ergo effe non poteft effentialiter mala. Quòd autem aliquæ animæ fint malæ, ideft peccatis coinquinatæ, hoc procedit à proprià malitià, non autem à Deo, qui diftrictè peccata prohibet; & licèt dentur aliquæ animæ moraliter malæ, ideft ratione peccatorum, non ideò dici poffunt effentialiter malæ: videmus enim plures animas, quæ diù fuerunt peccatis immerfæ, converti ad Deum, & bona facere; quòd fi darentur animæ effentialiter malæ, fruftrà Deus hortaretur peccatores ad converfionem.

3. Dixit Chriftum non veniffe in carne, fed effe merè fpiritualem; infuper non effe natum de Virgine. R. verbo *Balthafar Pacimontanus*.

4. Negavit Refurrectionem, & extremum Judicium. R. verbo *Bafilidiani*, & *Borborfiani*.

5. Approbabat nefandos coitus. R. Ex punitione Sodomæ, & Gomorrhæ, quæ

quæ propter nefandos coitus sequuta est: Levit. c. 18. v. 23. prohibet Deus coitum cum omni pecore: *Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo*; Levit. c. 20. vers. 10. Deus prohibet homini coitum cum uxore alterius; item primâ ad Corint. c. 6. v. 10. legitur: *Nolite errare: neque fornicari, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt*; in his autem textibus Christus loquitur de fornicatione specificè, ex quo sequitur contra Græcos (licet non omnes) fornicationem simplicem esse etiam à Deo prohibitam, quia fornicatio simplex est species luxuriæ; omnis autem luxuria est prohibita; unde ait Apostolus ad Ephes. cap. 5. vers. 3. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, nec nominetur in vobis*. Tum quia si fornicatio cum liberâ, ut volunt aliqui hæretici, non esset mala, sequeretur quòd status meretriciùs non esset malus; quia meretrix innupta est libera: sed Deus prohibet statum meretricium Deuter. cap. 23. *Non erit meretrix de filiabus Israel*; ergo non modò omnis nefandus coitus, sed etiam simplex fornicatio est à Deo prohibita: ergo &c. undè ad Thessal. 1. cap. 4. vers. 3. & 4. legimus: *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione &c.*

XII. Folmarus. Præpositus Petræ stillantis in Franconiâ infra Herbipolim, varios errores promulgavit suis in scriptis, duodecimo cadente seculo, quos postmodùm retractavit, ut constat ex Epistola ab eodem scripta ad Præsules Bavariæ, & Austriæ: de eodem agit Natal. Alex. sec. 12.

1. Docuit sub specie panis, non manducari Filium hominis, sed solùm ejus carnes sinè membris corporis, & sinè corporis humani plenitudine: pariter sub specie vini sumi sanguinem sinè carne. R. verbo *Calvinus*, contra quem ostenditur sub specie panis, & vini esse totum, & verum corpus, & sanguinem Christi. Dicebat autem Folmarus, tam in sumptione corporis, quàm sanguinis sumi Divinitatem, ideoque quòd à sumente carnem, aut sanguinem totus Christus sumeretur: sed non totum, quia scilicet totum corpus, ut ipse dicebat, non sumebatur: sed Christi corpus totum esse tam sub speciebus panis, quàm vini post consecrationem, constans est Ecclesiæ assertio, fundata in ipsis Christi institutoris Sacramenti Eucharistici verbis, dixit enim Christus: *Sumite hoc est Corpus meum*: corpus autem humanum dicit carnem, ossa, & sanguinem, & quidquid ad constituendum corpus humanum concurrit. Tum quia si sumeretur corpus sinè sanguine, & sanguis sinè corpore, neutrum esset animatum, sumitur autem, ut docet fides, tam sub specie panis, quàm vini, totum Corpus, Anima, & Divinitas, quia sub utraque specie sumitur Sacramentum Eucharisticum, cujus existentia dicit Corpus, Sanguinem, Animam, & Divinitatem Christi secundùm præsentem statum ejus; nempe corpus vivum, & vivum sanguinem; quapropter si in sumptione panis, ut dicebat Folmarus, reciperetur sola caro, & non sanguis, & in sumptione vini reciperetur solus sanguis non caro, sequeretur, quòd in sumptione unius tantùm speciei, haud quamquam sumeretur totum Sacramentum; quod falsum esse constat, etiam ex Scriptura, nam Actor. 2. legitur: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis*; item ibidem. *Vnâ autem Sabbathi cum convenissemus ad frangendum panem*; item discipuli euntes in Emaus cognoverunt Christum in fractione panis; sed in his casibus certum est, quòd convenientes accipiebant totum Sacramentum, nulla autem fit mentio de sumptione sanguinis, ex quo evincitur, sub una tantùm specie, sumi totum corpus, & sanguinem. Confutavit Folmarum Gerochus Præpositus Beicherspergensis in Bavariâ, cujus opuscula inserta habentur in Bibliotheca Patrum.

V. Fortunatus viguit circa annum 405. Hic, cum apud Hyponem in Presbyteratus Ordine esset constitutus, Manichæismum, quo erat infectus, propa-

pagare cœpit, ejusque sectatores dicti sunt *Fortuniani*. Iniit contra hunc hæreticum solemnem disputationem S. Aug. & librum scripsit, qui in Tomo 6. ejus Operum invenitur.

IV. Fortunatianus natione Afer, Episcopus Aquilejensis, vixit circa initium seculi quinti. Quam hæresim profiteretur, facilè colligitur ex eo quòd Liberium Summum Pontificem, prò fide in exilium pergentem primus sollicitavit, ut ad subscriptionem Arianæ deceptionis compelleret. Ex S. Hieron. Lib. de Viris Illustrib.

XIII. Fornicarii. In nonnullis Germaniæ, Galliæ, & Italiæ Provinciis anno 1215., ut refert Spond. grassari cœpit quædm hæresis, cujus sectatores permulti ab Episcopo Argentinensi igni traditi sunt.

1. Asserebant licitum esse singulis totius anni diebus carnes manducare. R. verbo *Carlostadius*.

2. Dicebant fornicationem non esse peccatum. R. verbo *Florinus*.

I. Fortunatitæ vocantur illi, qui apud Judæos Reginæ Cæli, quam Fortunam vocabant, sacrificia offerebant, de quibus legere est apud Hieronymum cap. 24. Hoc autem præstabant ex eo decepti, quòd viderent aliquos, Fortunæ frequentèr sacrificia offerentes, & superstitiosè colentes, bonis temporalibus auctos; alios verò, qui Fortunam despexissent, miseriis obrutos; verumtamen sortes nostras non in manu fortunæ, sed in manu Domini esse, qui vivificat, & mortificat, qui solus hæc inferiora gubernat, cujus nutu omnia moventur, clamant facræ Paginæ. Reginam verò Cæli Lunam esse arbitrabantur, quam solam hominibus dominari credebant. Fortunam tanquam Deam in sensu Gentilium non dari in rerum natura, evincit etiam ratio, nàm si mundi regimen, & quæ occurrunt, Fortunæ essent adscribenda, frustranea esset quæcunque nostra solicitudo ad avertenda mala, & acquirenda bona, quandoquidem hæc omnia fortuna impertiretur. Tum quia sacræ Paginæ nos docent in nostris necessitatibus ad Deum recurrere, non ad fortunam. Hinc David *Ad Dominum cum tribularer clamavi, & exaudivit me*. Aliqui ex his Idololatris primo currente seculo adhuc erant superstites.

IV. Fortunius. Indicto Concilio contra Donatistas Circæ in Numidia, dum S. Augustinus ad illud properans Tuburbium pervenisset, cum Fortunio, secta Donatista, ejus Civitatis Episcopo, de causa Religionis disputationem habuit; quem Fortunium convictum quidèm, sed non emendatum fuisse, colligi potest ex his quæ narrat S. Augustinus. Ep. 163.

XVI. Fossarii in fossis & speluncis nocte convenientes anno 1501 detecti sunt in Bohemia; ad novendecim millia hominum horum hæreticorum numerus jam excreverat, turpiter se invicem more brutorum commiscebant, Ecclesiæ ministros, & Sacramenta irridentes: suos turpissimos mores, ut pietatis specie tegerent, in elargiendis eleemosynis erant abundantissimi, ità ut eorum unus quadraginta florenorum millia, in eleemosynam erogaverit. Apostolorum se imitatores profitebantur, & superstitionibus dediti, per incantationis vim, grandem muscam in os suorum ministrorum ingredi somniabant, post cujus deglutionem, mirè astutos factos esse gloriabantur. Adeò autem erant in suis erroribus obstinati, ut nullis tormentorum generibus, ad rectam fidem reduci potuerint. Hos hæreticos Ladislaus Ungariæ, & Bohemiæ Rex exagitavit, & dispersit. Ex hist. Bohem.

Fotius. Vide *Græci*.

* Francici. Vide *Interimistæ*.

XIV. Franciscus de Lutra sectæ Fraticellorum propugnator accerrimus, natione Germanus, cum à Religione apostatasset, se Prophetam esse jactavit, sibique revelatum dicebat eos, qui Decretis, & Privilegiis Apostolicis fidentes, paupertatem regulæ ad verbum non observassent, peccato lethali esse inquinatos, & ipsum à Deo constitutum fuisse ad reparandam labentem S. Francisci Regulam, proinde se lucis bajulum ausus est proclamare. Condemnatus fuit à

 Joan-

Joanne XX. dicto XXII. Propagata est etiam in Catalaunia Fraticellorum secta à *Petro Olerii*, & *Bonanato*, atque à *Jacobo Justi*, quorum duo priores in erroribus obstinati, seculari Magistratui traditi, flammis damnati fuerunt. Jacobus Justi resipiscens, cum errores ejurasset, in carcere usque ad obitum fuit detentus.

XVI. Franciscus Lambertus secta Lutheranus, qui vixit circa medium seculi 16., docuit Christum ignorantia laborasse. R. Ex sacra Scriptura Isaiæ 2. Joannis 1. 6. 16. 21. ad Coloss. 1. 2. ex quibus locis evidentèr evincitur in Christo omnem scientiæ plenitudinem habitare.

XVI. Franciscus David in hæreticali perfidia *Blandratæ* comes indivisibilis, Arianæ hæreseos propagator indefessus, Calviniana fæce infectus, præcipuè in Transylvania theses nequissimas promulgavit contra Christum, Spiritum sanctum, & potiora Christianæ Religionis dogmata; qui tandem jussu Christophori Batorii Transylvaniæ Principis, in arcem ductus captivus, ex mœrore in insaniam incidens, intèr assidua spectrorum terriculamenta infelicitèr obiit, postquàm turbas in Transylvania suis disputationibus, & scriptis excitasset, & tamquam Reipublicæ proditor suspectus fuisset Transylvaniæ Principi, à quo capitali sententia damnatus, sententiæ executionem horribiliori morte prævenit.

XVI Franciscus Puccius Felidinus, secta Calvinianus, vixit jam cadente seculo 16. In assertione de Christi Salvatoris efficacitate, *ratione* 11. 15. 34. 36., negat *ratione* peccati originalis homines contrahere labem, & pœnam mortis incurrere. R. Ex Epistola ad Roman. 5. *Sicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, ità & in omnes homines mors pertransiit; in quo omnes peccaverunt*. Item ex eadem Epistola ad Roman. 19. ex prima ad Corin. 15. ex secunda ad Corin. 5. constat peccatum originale omnes inficere, & mortis pœna dignos constituere.

In eadem assertione *ratione* 23. & 56., asserit homines posse salvari sinè Baptismo. R. verbo *Bucerus*.

XVI. Franchen dictus Christianus, apostatavit à Religione, ineunte seculo decimo sexto, & aliquos errores in Pannonia, & Polonia disseminavit; sed suæ impietatis eum pœnituisse, testatur illius Epistola, quæ circumfertur hoc titulo: *Christiani Franchen Epistola*, in qua deplorat suum è Religione discessum, & fidem temerè à se oppugnatam. Dixit

1. Dominum Jesum Christum esse merum hominem. R. verbo *Artemon*, *Cerinthus*, *Ebionitæ novi*.

2. Christum neque colendum, neque invocandum esse. R. Argumento deducto a fortiori: nam si Sancti sunt honorandi, ut ostensum est contra Bezam, à fortiori Christus qui cum sit homo Deus, debet adoratione latriæ adorari, & invocari.

3. Librum contra Sanctissimam Triadem edidit Cracoviæ. R. verbo *Michael Servetus*.

XVIII. Franchen. In universitate Hallensi in Saxonia Theologiæ professor Pietistarum sectam instituit, quæ tam in Germania, quàm in Hælvetia hoc seculo dilatatur, referente *F. Francisco Van-Ranst* in sua Historia Hæresum: fucata specie spiritus se pascunt hisce sectarii, dicti *Pietistæ* ab affectata pietate quam ostentant, de quibus actum verbo *Pientes*. Varii Pietistarum ministri in Hælvetia virgis cæsi sunt, & mulctati.

XIV. Fratres Joannes de Latone, & Petrus de Bonagetta. Nuncupantur Fratres, quia eandem Religionem ingressi, eosdem errores è suggestu evulgarunt anno 1371. in Provincia Taraconensi, & Cæsaraugustana. Errores autem sunt circa Sacramentum Eucharistiæ, de quibus Gregorius XI. Pontifex Maximus certior factus, auctoritate Apostolica præcepit, nè quis propositiones istas deinceps prædicare auderet, videlicet.

1. Si Hostia consecrata cadat, vel projiciatur in cloacam, lutum, aliumve turpem locum, sub speciebus illis desinit

nit esse Corpus, & panis substantialitèr redit.

2. Si Hostia consecrata à mure corrodatur, vel à bruto quovis edatur, simile ferendum est judicium.

3. Quoties Eucharistia sumitur, sivè ab homine justo, sivè à peccatore, dum species dentibus teruntur, Christus ad cælum rapitur, & non in stomachum hominis trajicitur. Rep. Quia quousque integræ perseverant species panis consecrati, semper sub iisdem est verum Corpus Christi, quod deducitur ex verbis Christi dicentis: *Manducate, hoc est Corpus meum*, ex quibus constat Christum dedisse Corpus suum manducandum discipulis, quod falsum esset, si dum panis Eucharisticus dentibus teritur, sub specibus panis desineret esse Corpus Christi; manducare enim non est cibum dentibus terere, sed ille dicitur manducare, qui cibum ab ore in stomachum transmittit, ergo verè manducatur Corpus Christi, ergo &c. De his hæreticis fit mentio in vita Gregor. XI.

XVI. Fratres Charitatis, sivè fratres amoris dicti sunt, qui ex Anabaptistis progeniti, omnia vendebant, & si pretium non dabatur, gratis concedebant, cætera egentibus dividentes. Vide *Domus Charitatis*.

XVII. Fraternitas Rosæ Crucis. Detecta est referente Spond. anno 1623. secta quædam dicta *Fraternitas Rosæ Crucis*, quæ jam ab aliquot annis in Germania orta fuerat, sed ejus sectatores cum se totis viribus occultare studerent; etiam invisibiles, & incogniti dicebantur; cum autem anno 1615. solùm deprehensi fuerint aliqui, erroribus hujus sectæ infecti, iidem asseruerunt ducentos annos à legis suæ primordiis ad ejus divulgationem effluxisse, ex quo sequeretur anno 1413. hanc sectam ortum habuisse; attamen ex erroribus, quos profitebantur Fratres Rosæ Crucis, facilè evincitur Lutheranismi surculum fuisse hanc sectam ex empirismo, & magià, ad ingenia levia, & curiosa meliùs decipienda conflatam. Quidam nomine *Michael Majulo*, Imperialis Consistorii Comes, Philosophus, & Medicus, librum Francofurti promulgavit, inscriptum: *Themis aurea*, hoc est de legibus Fraternitatis Rosæ Crucis tractatus; an hic fuerit hujus sectæ institutor, incertum est. In secundo præfati libri capite, scriptæ inveniuntur sex leges ad dictam Fraternitatem spectantes. Primò, ut nemo ex hac secta iter agendo aliud profiteatur, quàm morbi curationem, & hanc gratuitam. Secundò, ut nemo eo quòd in Fraternitatem ingressus sit, certo habitus genere uti compellatur, sed regionis dumtaxat consuetudini se se conformare debeat. Tertiò, unumquemque Fratrum debere singulis annis, die determinato, in loco stabilito convenire, vel absentiæ suæ causas literis declarare. Quartò, debere unumquemque Fratrum personam aptam, & idoneam, quæ sibi vita functo succedat, eligere. Quintò, vocabulum *Rosæ Crucis* debere illis esse instar symboli characteris, aut sigilli. Sextò, Fraternitatem hanc debere centum annorum spatio latere. Hujus sectæ professorum doctrina erat Epicurea, multumque affinitatis habebat cum Atheismo, Romanumque Pontificem tyrannum esse in Religionis, ac status negotio asserebat: plures etiam assertiones de magià suspectas in dicto libro est invenire. Qui ampliorem de hac secta notitiam desiderat, consulat auctorem Mercurii Gallici, Naudæum, & Garastium, qui de eadem scripserunt.

XIV. Fraticelli. Qui Fraticellos eosdem fuisse ac Bizochos, opinantur, hujus turpissimæ sectæ auctorem faciunt *Hermannum Pongiluppum*, de quo agimus verbo *Bizochi*; sed vero similius est Fraticellos progressu temporis, cum Bizochis convenisse, tam in erroribus, quàm in turpitudinibus, ideò Fraticellos Bizochos posteà dictos. Cæterum Fraticelli, etiam dicti Apostolici, quia Apostolicam vitam se renovare asserebant, auctorem habuerunt non *Hermannum Pongiluppum*; sed *Petrum de Macerata*, & *Petrum de Foro-Sempronio*, qui

qui sub specie strictioris observantiæ, sed reverà motivo laxioris vitæ inducti, apostatarunt ab Ordine Franciscano; dum à Cæleſtino V. facultate obtenta eremiticam vitam agendi, ut ad literam (sicut ipsi dicebant) meliùs observarent Regulam S. Francisci, sectam Fraticellorum dictam, quæ posteà cum Bizochis commercium habuit, instituerunt. Invalescentem sectam, statim Bonifacius VIII. per Inquisitores compescuit; unde aufugere coacti præfati sectarii, Siciliam apulerunt, ubi contra Romanam Ecclesiam cantilenis compositis, etiam à fidei censoribus exagitati, profugi in Græciam se receperunt. Dum Regulam S. Francisci observare ad literam gloriabantur, paupertatis Evangelicæ speciem sibi arrogabant, & eleemosynis victitantes, labore manuum abrogato, plures plebejos, quibus labor est odiosus, statim sectatores habuerunt, qui ut otiosi comederent panem, libentèr Fraticellorum institutum sunt amplexati; sic Fraticellorum congregatio est ampliata, confluentibus ad eam, vel otiosis, vel luxuriandi stimulo allectis, quippè intèr Fraticellos jam factas communes mulierculas compererant. Tanto malo se opponere studuit Summus Pontifex Joannes XXII. edita, adversus hanc Fraticellorum sectam, constitutione anno 1318. Hujus sectæ patrocinium suscepit, qui jam pridem eandem damnaverat *Michael de Cesena*, qui adhærens Schismati Ludovici Bavari, contra Joannem XXII. Fraticellorum errores eo insipientiùs propugnavit, quò sapientiùs pridem oppugnaverat. Diversos hujus sectæ fautores recenset Natalis Alex. sec. 13. art. 11. Fraticellorum errores, prætèr jam reprobatos verbo *Beguini*, sunt sequentes.

1. Duplicem constituebant Ecclesiam, unam carnalem, nempè Romanam, spiritualem alteram, nempe congregationem Fraticellorum, in quà solà vitæ sanctitatem, & veram jurisdictionem ordinis esse blaterabant.

2. Juramentum esse illicitum. Rep. verbo *Catharistæ*.

3. Licet legitimè ordinatum, si tamen peccato infectum, non posse conficere Sacramentum Eucharistiæ. Repr. Quia potestas Ordinis non dependet à gratià sanctificante: & ideò Deus non aufert à ministro Sacramentorum, propter peccata potestatem illi datam ad conficienda Sacramenta; ergo etiam si peccato sit infectus minister, validè conficit Sacramentum. Tum quia infans baptizatus à laico, etiam si peccatis inquinato, benè est baptizatus, dummodò baptismus sit collatus in formà, & materià à Christo Domino præceptà, ergo à fortiori Sacerdos, licèt in peccato constitutus, validè conficit Sacramentum Eucharistiæ. Prætèr præfatos errores effutiebant Evangelium Christi, solùm apud ipsos esse completum. Professos regulam S. Francisci non teneri obedientiam præstare Romano Pontifici. Sancti Francisci regulam coæquabant Evangelio Christi, in quà neque Pontifex posset dispensare. Insuper propugnabant Fraticelli doctrinam cujusdam *Petri Olivi*, de quo sub tali nomine agemus. Demùm colebant ut martyres quosdam de suà sectà, quos in erroribus pertinaces Massiliæ sacra Inquisitio igni tradiderat. Vide Natal. Alex. sess. 23. art. 10

XVI. Fraticelli alii. Veterum Fraticellorum insanias renovarunt quidam perditi viri, Posnoniæ in Polonià, anno 1570. qui suprà recensitos errores, partim Calvini, partim Lutheri dogmata profitebantur. Porrò isti à Gravina inter Antilutheranos collocantur, & unam ex pluribus sectis constituunt, in quas Antilutherani sunt divisi.

IX. Fredevardus, sivè Frudegardus, Sacramentariorum præcursor ab aliquibus creditur: vixit circa medium seculi noni; excitavit quæstionem in quà asseritur, nihil esse in Eucharistià nisi figuram corporis Christi, cui doctissimè respondit magnus ille Abbas Corbejensis Paschasius, qui librum scripsit omni eruditione refertum de Sacramento altaris. Error Fredevardi reprobatur verbo *Berengarius*: scripsit etiam Pascasius Epistolam ad dictum Fredevardum,

dum, quæ in tomo 4. Bibliothecæ Patrum invenitur.

IV. Fulgentius secta Donatista, solà hæresi non contentus, Manichæis etiam adhærens, vixit circa finem seculi quarti, & initium quinti, scripsit contra eundem S. Augustin.

1. Duo esse principia sustinuit. Rep. verbo. *Politheismus*: idem enim est asserere duo principia, ac asserere duos Deos.

2. Baptisma reis, & peccatoribus nihil conferre asserebat, proindè baptismi virtutem, conferendi scilicet gratiam sanctificantem, & delendi omnia peccata negabat. Repr. Ex Symbolo Nicæno: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum*; ex Concilio Carthaginensi 4. celebrato anno 418. in quo hæc veritas stabilitur. Ezechielis 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*; ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*: item ex verbis Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu &c.* constat baptismum delere omnia peccata, quia nihil coinquinatum potest intrare in regnum cælorum; ergo si renatus ex aquà intrat in regnum cælorum, consequens est, quod aqua baptismalis deleat omnia peccata. Demùm baptismus vocatur Sacramentum mortuorum, quia scilicet vivificat peccatores; ergo &c. Vide verbo *Aucerus*, *Albanenses*, *Archontici*, *Armeni*.

Fullo. Vide *Cnaphæus*, dictus Petrus Fullo.

XVI. Functius vixit tempore Maximiliani II. Imperatoris, anno 1568. in suà Chronologià fabulatur Petrum numquam fuisse Romæ. R. verbo *Carolus Molinæus*. Vide Sanderum de visibili Monarchià lib. 7.

G

IV. ajanitæ à Gajano Ecclesiæ Alexandrinæ Archidiacono, Juliani Alicarnassæi incorruptibilis auctoris sequaci, Eutychianæ hæresis professore, originem habuerunt: fuerat ab una parte populi in duas factiones divisi, electus Gajanus Episcopus Alexandrinus, alia siquidem pars Theodosium quendam, æquè hæreticum, & Severi corruptibilium hæresis inventoris sequacem, Episcopum proclamabat. Fuit autem Gajanus post quartum sedis mensem à Judicibus expulsus, & hinc maximè in eà urbe seditiones, & cædes exortæ, quæ omnia circà medium seculi sexti contigisse testantur Liberatus, Leontius, & alii auctores; iidem autem sunt *Gajanitæ*, ac *Aphtartodocitæ*; hoc enim nomen fortitos esse Gajani sectatores, constat ex Nicæforo histor. Eccl. lib. 17. cap. 29. & ex Leontio de sectis.

1. Dixit corpus Christi alienum esse à corruptione mortis, asserens Christum assumpsisse corpus impassibile, & incorruptibile. R. verbo *Aphtartodocitæ*, ubi evincitur Christum passum, & mortuum esse, in cujus persona dixit Jeremias: *Ob vos omnes qui transitis per viam? attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus*; ibi tamen notandum, quod dum asserimus corpus Christi fuisse corruptibile, intelligimus de corruptibilitate, sumptà pro humana affectione, scilicet fame, siti, fatigatione, doloribus, & disjunctione animæ à corpore; non autem intelligimus de dissolutione corporis in putredinem, & pulverem, à qua utique Christus fuit præservatus, juxtà illud quod legitur Psalm. 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Nec valet instare ad probandum corpus Christi fuisse incorruptibile, scilicet non potuisse mori, quod Verbum assumpsit carnem immaculatam, & sicut Adam antè peccatum erat incorruptibilis; ita Christum qui fuit impeccabilis, fuisse incorruptibilem; nam Christus assumpsit carnem

nem ex eàdem massà communi hominum procreatam, licet absque concupiscentià: cum autem caro hominis post peccatum Adæ sit corruptibilis corruptione, quæ dicitur mortis, ità etiam tali corruptione corpus Christi fuit corruptibile. Nec propterea assumpsit aliquem effectum peccati; non enim est mortalitas effectus ejus, immò naturale est hominibus mori; licet ex privilegio, si integra mansisset in Adamo natura, non moreretur. Itaque assumpsit Verbum humanitatem, secundùm ejusdem naturalia.

V. Gainas genere Barbarus, ex Schytià oriundus, initio quinti seculi imperialibus copiis præfectus, ubi secundas sibi res esse vidit, potentià suà fretus, Arianam hæresim, quà erat infectus patrocinari aggressus est, ita ut auserit petere ab Imperatore Ecclesiam in urbe Bizantii pro Arianis, cujus audaciam Joannes Crysostomus compescuit; ex Nicæfor. hist. Eccles. lib. 13.

IV. Galla. Mulier maga, & hæretica, circa annum Domini 388. Priscillianum hæreticum sequebatur, quem in propagandà hæresi adjuvit: & eamdem Priscillianus moriturus suæ hæreseos hæredem constituit; ex D. Hieron. ad Chtesifontem.

XV. Gallecus, dictus Nicolaus, ex Bohemià oriundus, conditione Presbyter, & artium liberalium Bacalaureus, unus eorum extitit, qui Legatus cum *Nicolao Roqnezane*, à Bohemis ad Concilium Basileense missus fuit, Sigismundi Cæsaris, & Eugenii IV. temporibus, congregatum anno 1434. inter reliquos suos errores dixit Joannem Hus, & Hieronymum de Praga injustè fuisse damnatos à Concilio Constantiensi: doctrinam Wicleffi Catholicam fuisse propugnabat, ex Spondan. ann. 1416.

1. Asseruit quod in nova lege non licet quemquam, quamvis perversum morti tradere, etiam si id fieret ex Judicis sententià, quia novum testamentum id non dicat. R. Nam in veteri lege contra facinorosos inflictæ erant pœnæ, & etiam pœna mortis, quando enormia erant delicta: istæ autem pœnæ inflictæ à judicibus, quorum est præmium bonis, & pœnam malis decernere, infligebantur ad coercendos homines à malo, & pro communi bono Reipublicæ, sed in lege gratiæ urget eadem ratio; ergo &c. Tum quia si in lege gratiæ non liceret punire facinorosos, sequeretur in lege gratiæ posse liberè scelera committi. Tum quia in lege gratiæ sunt Principes, & Magistratus, quorum jura utique Christus non abolevit, imò iisdem parendum esse præcipit: Principes autem, & Magistratus possunt morte damnare facinorosos; ergo &c. Et ratio est, quia lex Gratiæ, naturæ legis jura non destruit, sed perficit. Insuper hæreticos posse ab Ecclesià puniri ostensum est contra *Confæderatos*; demum nullum regimen potest subsistere sinè administratione justitiæ: in lege autem novà datur regimen & seculare, & ecclesiasticum, ergo in lege novà debet administrari justitia.

* XVI. Gallileus Gallilei Pisæ ortum habuit, Copernici sistemate refricato, quòd sol esset immobilis, terra autem continuo motu circa solem orbitaret: suo tandem errore abjurato decessit in Communione Romanæ Ecclesiæ, quæ a Sacris edocta Scripturis nempe Josuè 10. Psal. 49. Matth. 5. & alibi sententiam docentem solem continuo motu terram circumdare, verbo Dei autumat magis esse conformem.

XI. Gandulfus natione Italus, in Diœcesi Cameracensi anno 1025. propagavit sequentes errores, damnatos in Synodo Attrebatensi, à Gerardo Episcopo Cameracensi, congregatà contra Gandulfum, in quà Synodo etiam proclamata est realis existentia corporis, & sanguinis Christi in Sacramento altaris, *ex Natal. Alex. seculo 11.* ex quo colligitur etiam circà hoc Sacramentum errasse Gandulfum.

1. Prædicabat quamdam justitiam, quà solà homines purificari dicebat, nullumque Sacramentum posse justitiam lapsis conferre asserebat. R. Ex his quæ alibi dicta sunt de necessitate baptismi; lapsis autem confessionem sacramentalem

lem esse necessariam, nec ullum aliud esse medium ad acquirendam justitiam, probatur contra *Wiclefum*.

2. Nullam recipiebat Scripturam: ejusque sectatores, sola Gandulfi præcepta vim habere Euangelici mandati, blaterabant. R. verbo *Albanenses*; monet autem Apostolus, quod etiam si Angelus nobis Euangelizaret de cælo aliud, præter quam quod scriptum est, nullatenùs debeamus præstare assensum.

3. Negabat Sacramenta. R. verbo *Bissacramentales*.

4. Cruci Salvatoris, sacris immaginibus, & templis, nullam adhibebat venerationem. R. verbo *Claudius Taurinensis*.

5. Sepulturam ecclesiasticam nihil prodesse defunctis asserebat. R. verbo *Valdenses*.

XVI. Gaspar Olevianus, sectâ Lutheranus, qui vixit circa medium seculi 16. libro Germanico ab ipso ædito, per descensum Christi ad inferos, nihil aliud intelligit, quam humiliationem Christi, in quà infernales dolores tam in anima, quàm in corpore sit passus. R. verbo *Joannes Præmonstratensis*.

V. Gaudentius sectâ donatista, & Episcopus, ineunte quinto seculo scripsit contra D. Augustinum duas epistolas pro tuenda Donatistarum perfidia, cujus Gaudentii insanias abundè confutavit D. Augustinus, scriptis contra eundem duobus libris.

Gazari. Vide *Cathari*.

I. Gentiles, licet non sint propriè inter hæreticos censendi, cum non defecerint à fide Euangelica, ab eà tamen quodammodo deficere, & à Christi Ecclesia recedere sunt dicendi, cum illam audire nolint: negant omnes veritates Catholicæ religionis; adeòque ut convincantur erroris superfluum est recurrere ad sacras Scripturas, sed cum ipsis agendum est humano modo, & naturalis luminis necessario utendum est auxiliis, hac enim & non alià via ad Catholicæ religionis sinum, Dei opitulante gratia, converti possunt Gentiles. Reprobantur autem suadendo eis ratione naturali, legis Euangelicæ credibilitatem; seu ita credibilem esse ostendendo, ut quilibet prudens credere possit, & debeat, hoc pacto. Ut aliquid sit evidenter credibile, evidentià scilicet morali, seu prudentiali, satis est quod motiva credibilitatis ejus, seu motiva, quæ suadent illud esse credibile, sint talia, ut de iis nemo prudens rationabiliter dubitare possit; atqui motiva credibilitatis legis Euangelicæ sunt talia, & tanta, ut de iis nemo prudens rationabiliter dubitare possit; ergo &c. major est per se nota, probatur minor, explicando præcipua nostræ fidei credibilitatis motiva.

Primùm credibilitatis motivum petitur ex propagatione Catholicæ fidei per totum orbem, seu ex conversione totius universi, in quo quinque ponderanda occurrunt. Primum est, tot, tamque varias nationes assensum præbuisse mysteriis, intellectum præ difficultate penè obruentibus; voluntatem verò præ arduitate deterrentibus: nam rationi statim propositi fuerunt articuli, humanæ rationi prorsùs impervii, ut sunt Trinitas, Incarnatio, Resurrectio, Eucharistia, &c. voluntati verò intimata fuit mortificationis necessitas, pœnitentiæ labor, cupiditatum repressio. Secundò ponderandum venit à quibus prædicatoribus fides tam præcelsa annunciata est, nempè à duodecim Apostolis, viris rudibus, & imperitis, qui non potestatis secularis viribus, non divitiarum copià, non armorum vi, non voluptatum illecebris, non honorum fastu, non eloquentiæ blandimentis, sed laborantes rerum omnium penurià, laborum tolerantià, deliciarum contemptu, humilitate morum, simplicitate sermonum, de supremis mundi rectoribus, potestate tremendis, divitiarum copià affluentibus, voluptatum sordibus immersis, honorum gradu auctis, sapientia etiam, & eloquentia humana claris, gloriosissimè triumpharunt: hanc rationem prosequitur Paulus 1. Corinth. 1. *Videte fratres vocationem vestram, quod non multi potentes secundùm carnem, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut con-*

fundat sapientes ; & infirma mundi elegit Deus , ut confundat fortia , & ignobilia mundi , & contemptibilia elegit Deus , ut ea quæ non sunt , & ea quæ sunt destrueret . Tertiò , considerandum est quibus auditoribus prædicatum sit Euangelium , nempè Judæis obduratis, & obcœcatis,& gentibus idolorum cultu fascinatis . Quarto , id completum est resistentibus Imperatoribus , & Regibus ; indignè ferentibus præfectis , adhibità etiam cruciatuum omnium excogitabilium carnificina . Quinto , his ferè insuperabilibus obstaculis devictis , obfirmatas hominum voluntates , lex Domini immaculata convertens animas , tam citò subegit , ut totum ferè orbem seculo secundo , radiis suis illustratum , Christi jugo subjecerit .

Secundum credibilitatis motivum est puritas fidei Christianæ : non loquor de puritate , & veritate dogmatum , constat enim omnibus qui attentè ipsa considerant , esse in omnibus , & per omnia sancta , pura , veneranda , & admiratione plena ; loquor de sanctitate , puritate , & rectitudine legum . Quam sit immaculata lex Christi , luce clarius , Euangelii sacra lectio demonstrat . Quæ enim est, vel unquam fuit institutio eà purior , & defecatior , quæ non solùm nihil rationi naturali repugnans docet , sed insuper jubet Deum super omnia , proximum sicut se ipsum diligere ; omne furtum , mendacium , dolum , turpitudinem , nec dum ab opere , sed etiam à corde removet ; peccata quamvis levia reprobat , ad cuncta virtutum officia hortatur , premiis invitat , impellit minis , accendit promissis , exemplis inflammat, & usque ad culmen perfectionis , salutaribus consiliis conducit . Quid plura ? Lex Euangelica præcipit benefacere his qui oderunt nos , pro persequentibus orare , inferentibus damna referre beneficium , non vinci à malo , sed vincere in bono malum ; percutienti dexteram maxillam , præbere sinistram , tollenti tunicam , dimittere pallium : misericordiæ autem , eleemosynæ , & totius pietatis officia , tam impensè commendat , ut in ipsis solis æternæ salutis spem collocasse videatur ; undè si omnes , qui Christiana professione censentur , actus suos ad Euangelii normam dirigerent , nihil aliud esset Christianà respublicà , quam Paradisi illustre specimen , & anticipatà æternæ beatitudinis prægustatio .

Tertium credibilitatis motivum est innumerabilis miraculorum varietas, quibus Deus fidem Christianam obfirmatam voluit *Variis virtutibus & Spiritus sancti distributionibus* , ut ait Apostolus Hæbr.2. nam illa miracula fuerunt primò multitudine innumera , unde Euangelistæ nè in enarrandis Christi signis essent prolixiores compendiosè tradiderunt , quòd nempè ex omni parte afferrebantur infirmi , & curabantur , quia virtus de illo exibat , & sanabat omnes . Totque deinde à Christi Discipulis patrata sunt , ut numerari non possint . Secundò miracula illa fuerunt arduitate stupenda ; nam quid portentosius suscitatione mortui quatriduani ? Ecclipsi solis tempore passionis Christi obscurati ? Tertiò fuerunt miracula illa certitudine indubitata ; si enim miracula falsa narrassent Euangelistæ , se Judæis ridendos præbuissent , à quibus potuissent mendacii crimine damnari : siquidem statim post Christi mortem , Euangelicam Historiam texuerunt , superstitibus adhuc Judæis , qui eos falsi testimonii convicissent , si sub aliqua veri specie facere potuissent . Adde quòd miracula in Christiana Religione sunt perennitate perpetua ; nullus enim in albo Sanctorum describitur , de cujus miraculis fides plenissima , & liquidissima , intervenientibus cunctis certissimæ auctoritatis præsidiis non habeatur , quibus eorum sanctitas post mortem demonstratur . Nec est quòd dicas miracula , quæ referuntur in sacris Historiis , vel ad dæmonum præstigia referenda esse , vel antiquitate obsoleta , vel denique præ distantia incerta esse : nam præterquamquòd hæc omnia suo loco confutantur verbo *Marbach* , qui veritatem miraculorum negat cum Luthero , & Calvino : urget etiam auctoritas D. Augustini , qui in oratione con-

contra Infideles ait: *Negando miracula ingens miraculum ingeris; quid enim potest dici mirabilius, quàm Romanum Imperium, totamque Gentilitatem, Religionem quàm anteà impugnabant, desertis paternis ritibus, nullis visis signis mirandisque operibus, spontè suscepisse, & in eâ retinandâ tam constantes fuisse?* meritò igitur exclamat idem Augustinus lib.22. de Civitate Dei cap. 8. num.1. *Quisquis adhuc prodigia ut credat inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit; & si qui miracula facta esse non credunt; nobis hoc unum grande miraculum sufficit, quòd terrarum orbis sinè ullis miraculis credidit.* Posito ergo dari vera miracula in Ecclesia Christi, sic argumentum instauro. Vera miracula sunt signa veræ Religionis; Deus enim falsitati Testimonium non præbet, nec miracula facit nisi ut veritatem illustret: si enim vesanus esset Rex ille, qui aliquod falsum, vel sibi, suisque populis perniciosum proprio firmaret sigillo, quantò magis hoc suspicari non debet de Deo? Qui cum sit infinitè sapiens, falli non potest, vel nos fallere nequit; sed unum ex his duobus præstaret Deus, si vera non esset Christiana Religio, & tamen Christianam Religionem miraculorum testimonio comprobaret: hoc enim esset Deum falsæ doctrinæ subscribere, atque ità vel se ipsum fallere, vel homines in fraudem, & errorem inducere. Atqui in Religione Christiana fuerunt semper miracula spectabilia, quæ idemtidem ad bonorum solatium renovantur, ergo Religio Christiana est vera ob testimonium miraculorum. Concludamus igitur cum illa voce Ricardi Victorini lib.1. de Trin. cap.2. *Domine si error est quòd credimus, à te decepti sumus: ista enim in nobis iis signis, & prodigiis confirmata sunt, quæ nonnisi à te fieri potuerunt.* Non desunt alia plurima credibilitatis motiva, ut sunt Unitas, Sanctitas, Catholicitas, & Apostolicitas Ecclesiæ Romanæ, quæ pertractavimus, quantum operis institutum exigit, verbo *Protestantes*, quæ si benè perpendantur à Gentilibus, additis etiam tot Sanctorum exemplis, qui quovis seculo in nostræ Religionis gremio decesserunt, ad amplectandam Catholicam Fidem, relictis illorum superstitionibus, facili negotio induci poterunt.

XVI. Gentilistæ intèr Antichristianos qui præcipua fidei evertunt Mysteria, & Trinitatem potissimum opugnant, collocantur à Gravina; orti sunt anno 1562. à Valentino Gentili. Vide verbo *Valentinus*.

XIII. Georgiani, proùt asserit Spond. anno 1219. Populi sunt habitantes in interiori parte Armeniæ ad Septentrionem & Euxinum versus: bellicosi valdè: Georgiani dicti, quia S. Georgium præcipuum habent Patronum, & quocunque incedunt ad prælium, vexillum D. Georgii Imagine insignitum circonferunt; fidem susceperunt circa annum 325. sed progressu temporis ad Græcorum declinarunt errores, maximè in his quæ ad Sacramenta spectant. Archiepiscopum habent, qui in Monte Sina Claustrum S. Catharinæ habitat, cui per omnia, uti nos Summo Pontifici, obtemperant. Apostatarunt à fide circa initium seculi decimi tertii; eorum Episcopi Sacramenta & Sacramentalia vendunt. R. verbo *Symon Magus*.

IV. Georgius Arii sectator, qui circa medium quarti seculi vixit, improbat eleemosynam, quæ à pietate fidelium, indigentibus erogatur. Sic refert S. Athanasius in epistola ad agentes vitam solitariam. R. Ex sacris paginis tam veteris, quàm novi Testamenti, ubi eleemosyna sæpenumero commendatur: ut videre est. Deuteronom. 15. Tob.4.18. Psal.40. Proverb. 13. 14. 15. 25. 28. Ecclesiast. 12.17. Isaiæ 58. Danielis 4. Matth. 6. 19. 25. Luc. 6. 14. 16. Actor. 10. prima ad Cor. 16. secunda ad Cor. 9. ad Hæbr. 13. eleemosynam etiam apud Ethnicos commendat quidam naturæ instinctus: quantum sit efficax ad obtinendam Dei misericordiam, constat ex sacris paginis locis mox citatis.

IV. Georgius Alexandrinus, Georgii Laodicensis in perfidia, & in hæresi

comes indivisibilis fuit. Hic favore Constantii Arianorum fautoris suffectus, imò intrusus fuit in locum D. Athanasii in Episcopatu Alexandrino, cujus perfidiæ D. Athanasius cedendum ratus fecessit: itaque Georgius Pseudo-Episcopus omnes ad suam Arianam perfidiam venire compellebat, & renuentes persequebatur. Narrat D. Athanasius in libro Apologetico, quem de sua fuga inscripsit, tantam fuisse Georgii perfidiam, ut rogo accenso, atque virginibus ad ignem admotis, easdem ad Arianam perfidiam proclamandam compelleret. Plures alias immanitates commisit; accusatus fuit in Concilio Seleuciæ, ubi etiam dignitate sua privatus, & à furente in eum populo interfectus est, igni tradito ejus corpore, postquàm multis ludibriis, idem camelo superpositum publicè populus impetierat.

IV. Georgius Laodicensis, olim Presbyter Alexandrinus, ab Alexandro Episcopo Alexandrino, ob Arianam hæresim, quà erat infectus, tum etiam ob alia nefanda crimina, è gradu dejectus; postmodùm Eusebianorum arte in Ecclesia Laodicena, defuncto Theodoro, factus fuit Episcopus: in hoc gradu constitutus, Apolinarem, eo quòd cum Sancto Athanasio familiare colloquium habuisset, ab Ecclesia expulit: cum autem Apollinaris sæpè à Georgio iterùm in suo gradu, & communione admitti exposceret, nec obtinere valuisset ab indurato, & contra eum injustè malevolo Antistite; tantæ obstinationis pertæsus Apollinaris, ut Laodicenam Ecclesiam, unà cum Georgio ejus Episcopo turbaret, Apollinaristarum sectam instituit, quòd malum certè numquam contigisset, si Georgius, ut par erat, Apollinarem injustè non divexasset. *Ex Socrate lib.2.* Georgius autem primus fuit, qui hanc vocem *Consubstantialis*, quà post Nicænum Concilium Ecclesia utitur, ad exprimendam æqualitatem Filii cum Patre, palàm & citrà pudorem oppugnare aggressus est. Dicens insuper filium in Divinis ex non existentibus genitum fuisse: filium autem esse *ex Patre natum ante omnia secula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.* Docet Ecclesia in Concilio Nicæno congregata: perhibet hanc veritatem in sacris Paginis ipsa veritas Christus, qui se à Patre exiisse, atque se, & Patrem unum esse, profitetur: imò intelligibile non est, quid Georgius exprimere vellet, dicendo filium in Divinis, ex non existentibus genitum fuisse; nam ex non existentibus, non evadit generatio, sed creatio; cum generatio sub præexistentis naturæ veritate, terminum requirat in eàdem naturà subsistentem, sivè natura divisa sit numero, ut in rebus finitis, sivè indivisa sit, ut infinitæ naturæ convenit. Præterea non existentia non habent esse, undè ex illis nihil fit, nisi per creationem; ideò juxta naturæ virtutem, quæ tantum est generativa, verum est illud Satyrici.

Ex nihilo nihil; in nihilum nil posse reverti.

De Georgio Laodicensi scribit Socrates lib.2. cap.36.

XVI. Gerardus Ruffus, dictus Rousellus, natione Piccarous, hæresi Lutherana clam infectus, Lutherum adiit, indeque Germania Galliam reversus, à Margarita Navarræ Regina benignè exceptus est, & inter ejus familiares adscriptus; ejusdem favore Abbas Cleriacensis ac subindè Episcopus Oloronensis in Bearnià constitutus, externæ probitatis specie, falsam doctrinam contegens, dum Lutheri, & Calvini errores improbare ostentabat, eosdem ferventius fovebat in animo. Primus fuit qui in habitu Episcopali Eucharistiam sub utraque specie universæ plebi dispensare ausus est. Unde etiam Hussitarum errore imbutus deprehenditur, & cum publicè de festis Sanctorum resecandis, tanquam inutilibus temerè prædicasset, à quodam viro, è pulpito præceps actus, non multo post decessit. Præter Lutheri dogmata, quæ præcipuè profitebatur, peculiarem errorem circa Eucharistiam somniavit. Ex Spond. anno 1521. & 1529.

Fingebat in Eucharistia esse corpus spiritua-

rituale, carnem, & ossa non habens. R. verbo *Calvinus*, contra quem ostenditur in Eucharistia esse verum, & reale corpus Christi.

X. Gerbertus natione Gallus, è Claustro Aurelianensi in quo vitam Monasticam agebat, ad erudiendum Robertum Hugonis Regis filium assumptus, Regio favore ad Rhemensem Archiepiscopatum viam sibi paravit; sed cum à Joanne XV. Pontifice Maximo fuisset ab illa Sede depositus; ægrè hinc depositionem ferens, diversa conscripsit, præcipuè adversus supremam Ecclesiæ Sedem, quæ postmodùm retractasse certum est, quandoquidem procurante Othone Imperatore ad Sedem Ravennatensem fuit iterùm assumptus, & à Ravennatensi ad Romanam, cujus Epitaphium ab ejus Successore inscriptum hodiè adhuc legitur in Ecclesia Lateranensi.

Scandit ab R. Gebertus in R. post Papa viget. R. Quæ Gerbertus caussatus, quòd à Rhemensi Sede fuisset depositus, indignatione potiùs, quàm hæreticali sensu vexatus scripsit contra Orthodoxum sensum, sed postmodùm antequam Sedem Ravennatensem obtineret retractavit, sunt.

1. Si Romanus Pontifex in fratrem peccaverit, & Ecclesiam sæpè monentem non audierit, præcepto Dei habendus est sicut Ethnicus, & publicanus. R. Ex his quæ dicta sunt contra *Arnulfum*. Tum quia Pontifex per hoc quòd peccet, non amittit potestatem Pontificiam, dummodò non contingat falsa docere in rebus fidei, quòd tamen hactenus à nullo Pontifice actum est, propter specialem Spiritus sancti assistentiam, quàm habent Pontifices in rebus fidei definiendis: quod Pontifex peccando, quà specialis homo, non ammittat dignitatem Pontificiam, constat exemplo D. Thomæ, qui licèt peccaverit peccato incredulitatis, non ideò amisit dignitatem Apostolicam, ad quam fuerat à Christo assumptus. Tum quia si per hoc quòd Pontifex peccet, habendus esset sicut Ethnicus, ergo à fortiori hoc dicendum esset de Episcopis, de Regibus, & quibuscunque Christianis: sed nemo est, qui fratrem peccantem habeat tamquam Ethnicum, nisi præmissa declaratione Ecclesiæ; sed Ecclesia non potest declarare Pontificem licèt peccantem tamquam Ethnicum, quia Pastor non judicatur à Grege, & Ecclesia non habet auctoritatem in caput suum; imò hanc auctoritatem neque habet Ecclesia congregata, quia numquam visum est Ecclesiam congregatam confirmare, vel reprobare acta Pontificum, sed è converso Pontifices semper confirmarunt, vel reprobarunt acta Ecclesiæ, etiam congregatæ, prout ad bonum Ecclesiæ regimen, Spiritu sancto specialitèr assistente, melius expedire judicarunt, ergo falsum est quòd asserebat Gerbertus.

2. Si Papa excommunicat Episcopos, talis excommunicatio non ligat. R. Quia Episcopi sunt subditi Pontifici; ergo &c. Tum quia si excommunicatio promulgata à Pontifice in Episcopos non ligaret, sequeretur Episcopos non posse à Pontifice judicari, & parem habere auctoritatem in Ecclesia cum Pontifice, sed hoc non, quia in Ecclesia unà est tantùm suprema potestas; cum regimen Ecclesiæ sit Monarchicum, sicuti ostenditur verbo *Flaciani*.

3. Dixit epistolas decretales robur non habere. R. verbo *Flaciani*, & *Confessio Augustana*; de Gerberto. Vide in Spondan. ann. 991. 92. 95. 96. 99.

XVI. Germanus Bavarius, qui vixit circa medium seculi 16. in examine contra Selencherum, negat Eucharistiam ritè sumenti gratiam conferre. R. Joann. 6. *Panis enim Dei est, qui de Cælo descendit, & dat vitam mundo* Joann. 51. *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum. Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vitâ.*

XVI. Geusii Calvinistæ, qui in Gallia *Hugonotti*, in Belgio *Geusii*, dicti sunt anno 1566. horrendæ seditioni initium dederunt: promotores seditionis fuerunt quidam fœderati nobiles, qui Bruxellis libellum Reginæ Margaritæ, tunc Gubernatrici obtulerunt, in quo postulabant ut inquisitio removeretur, & qui

& qui ejus stabiliendæ causâ instituti essent novi Episcopi abolerentur. Placitorum Caroli Quinti, & Philippi Regis de religione executio remitteretur, & libertas conscientiæ cuique permitteretur. Cum autem à quodam æquite Reginæ familiari, hujusmodi homines, quasi per ludibrium *Geux*, idest *Geusii*; quod lingua Belgica sonat *Mendices*, vocarentur, & ab eodem equite suasum fuisset Reginæ gubernatrici, minimè à Geusiis formidandum: hinc Geusii occasionem nacti faciendæ seditionis, nomine quod ipsis per ludibrium impositum fuerat assumpto, *Geusios*, se nominarunt, vestibusque cinericii coloris induti, vascula lignea ad latus, vel ad collum appenderunt cum hac inscriptione *vive lex Geux*; asserentes quamcumque doctrinam se secuturos præter Catholicam: quod de facto præstiterunt, & per civitates, & loca discurrentes, immanè bellum Catholicis declararunt, contra quos non bellum, sed tyrannidem exercentes, diris tormentis quoscunque fideles, utriusque sexus dilaniarunt, ita ut nullum tormentorum genus fuerit ab antiquis tyrannis excogitatum, quod Geusii contrà religiosos, virgines, & omnes fideles, quos poterant captivos ducere, non exercuerint; ex Spondan. ann.1566.

XII. GILBERTUS, PORRETANUS cognomento, patriâ Pictaviensis, ab adolescientia usque ad canos in diversis Galliæ locis Philosophiam magno nomine docuit, fuitque auctor tractatus *De sex ultimis prædicamentis*: ex canonico ad Episcopatum Pictaviensem evectus, à philosophicis studiis non recessit, quibus nimis inhærens, factum est, ut ex Aristotelis libris errandi materiam desumpserit, quâ de re apud Pontificem accusatus, Gallias tunc progredientem, remissa fuit ab eodem Pontifice Gilberti causa ad Concilium Rhemense, in quo fuit à S. Bernardo, qui biduò cum Gilberto disputavit, erroris convictus, ejusque errores condemnati; cui condemnationi cum Gilbertus libentèr acquievisset, suosque retractasset errores, ad suam sedem fuit redire permissus: aliqui ex Gilberti sequacibus majori pertinacià in errore perseverantes, carceri fuerunt mancipati. Sed ut ad Gilbertum recurrat sermo, anno 1148. in Concilio Rhemensi, præside eodem S. Pontifice Eugenio, causam suam iterùm aggressus Gilbertus, & quidem prolixè, ac contentiosè errorem suum, adductis in medium quamplurimis SS. PP. testimoniis involvere conabatur; verùm S. Pontifex tergiversantem, ac diverticula quærentem ità pressè constrinxit, ut effugere non potuerit: *Multa dicis frater*, (dixit Eugenius) *multa, & ea, quæ fortassis à nobis non intelliguntur legi facis: sed simplicitèr à te cognoscere velim, an ne illam summam essentiam, quâ tres personas profiteris unum Deum, credas esse Deum?* Gilbertus *diutinâ collatione fatigatus* (ait Otto cap. 59.) *minùs præmeditatè respondit: non*

Sed non minori ardore, ac studio eum premebat, ac coarctabat S Bernardus, referente Gaufrido Monacho, qui præsens aderat Concilio, in epistolà ad Episcopum Albanensem: *Quid necesse est* (dicebat S. Doctor) *circa hujusmodi verba diutiùs immorari? Non aliundè procedit scandali hujus origo, nisi quòd plures credere vos credunt, & dicere quòd Divina essentia, vel natura, divinitas ejus, sapientia, bonitas, magnitudo non est Deus, sed est forma quâ Deus est, hoc si creditis palàm dicite, aut negate: ausus est dicere* (Gilbertus) *forma Dei est divinitas, qua Deus est & ipse, vel ipsa non est Deus*. Hac audita erroris manifesta declaratione S. Bernardus unà cum nonnullis Episcopis Symbolum fidei adornavit, Gilberti erroribus oppositum, quòd quidem ab Eugenio Summo Pontifice, cæterisque Concilii Patribus communi consensu approbatum fuit: *ita demùm*, ait Gaufridus in vita S. Bernardi lib. 3. cap. 5. *Apostolico judicio, & auctoritate universalis Ecclesiæ, error ille damnatur*.

Ex dictis hactenus, constat Gilbertum in Deo abstracta à concretis sejunxisse; nec voluisse quòd divinitas sit Deus,

Deus, sed tantùm forma qua Deus est; an verò pariter abstracta ab abstractis; hoc est, attributa absoluta, tum à se invicem, tum ab essentià distinxerit, non ita certum videtur: quomodocumque sit.

Reprobatur error Gilberti Porretani, primò ex Scripturis hoc argumento. Inter illa nulla omninò est distinctio actualis realis, ante operationem mentis, quæ de se invicem in abstracto prædicantur; atqui essentia Divina, & attributa de se invicem in abstracto prædicantur, Joann. 14. Christus de se ipso ait: *Ego sum via, veritas, & vita*. Proverb. 8. *Ego sapientia habito in consilio*. 1. ad. Corint. *Prædicamus Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*. Quibus in locis, Deus, non tantùm dicitur vivens, sapiens, & verus in concreto, sed vita, sapientia, & veritas in abstracto.

2. Ex Conciliis, ac primo quidem ex Concilio Rhemensi anno 1148. in Symbolo fidei contra errores Gilberti, his verbis: *Credimus, & confitemur simplicem naturam Divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari quin divinitas sit Deus, & Deus divinitas*. Ubi notanda proprietas verborum Concilii. Naturam dixit Divinitatis esse Deum, quia in summà illà simplicitate nihil potest significari per modum partis, sed semper (sivè utamur nominibus abstractis humano more, sivè concretis) significatur quidquid de Deo dicitur per modum totius. Vide D. Thomam opusc. *de ente, & essentià*. Hinc est quòd juxtà Catholicum sensum, quem verba Concilii firmant, non minùs significatur natura, ut totum, sivè ut subsistens in personis, nomine Deitatis, aut Divinitatis, quàm nomine Dei. Unde & definivit rectissimè Concilium, naturam Divinitatis esse Deum, prædicando de naturà ipsum esse substantiale personarum, quod nomine *Deus* significatur; adeoque stat inter personas Divinas, & divinam Essentiam, nullam intercedere realem, & actualem, antè mentis operationem, distinctionem. Idem error confutatur ex Concilio Florentino sub Eugenio Quarto, anno 1439. sess. 18. ubi Joannes Theologus, Latinorum partes agens, sic Græcos aggreditur: *Vos quæritis an idem sit in divinis personis substantia, & persona, sive hypostasis, nos verò dicimus substantiam, & personam, sive hypostasim esse idem re, differre autem nostro modo intelligendi, ita ut persona constet ex substantia, & proprietatibus*. Reprobatur insuper, ex sanctis Patribus. Ommitto alios sanctos Patres, & solùm propono aliquas auctoritates D. Bernardi, quem suæ falsæ doctrinæ infensissimum hostem expertus est Gilbertus. Legatur igitur S. Doctor lib. 5. de Consideratione, cap. 6. & serm. 80. in Cantica, in quo iterùm Gilbertum impugnat adeò nervosis rationibus, ut eundem obmutescere compulerit.

R. 2. Gilberti error ratione Theologica. Deus est ens perfectissimum, quo nihil melius est, aut cogitari potest: atqui, nostro modo concipiendi, ens perfectissimum non foret, si maximà quæ excogitari potest identitate, sibi perfectiones omnes non identificaret; ens enim, quod per suam essentiam entis plenitudinem, totalitatem, universalitatem continet, ita ut nonnisi per conceptus magis, vel minus explicitos, ejus perfectiones à nobis distinguantur, perfectius videtur eo, in cujus essentiali, & formali conceptu omnes perfectiones non includuntur; cum autem Deus sit ens perfectissimum, perfectiones omnes in suo conceptu essentiali, & formali includit, & consequentèr nulla in ipso realis actualis distinctio antè mentis operationem excogitari potest. Urgetur eadem ratio; quia si Deus in suo essentiali, & formali conceptu omnes omninò perfectiones non includeret, perfectiones illæ quasi ab extrinseco ipsi advenire conciperentur, & ità quasi per quamdam participationem eas Deus possideret, quod certè absurdum est. Item R. ex illis verbis Genesis: *Ego sum qui sum. Qui est misit me ad vos*, quæ verba eruditè expendit S. Bernardus ad ostendendum essentiam Divinam esse Deum. Tum quia si essentia Divina non esset Deus, da-

daretur aliquid essentiale in Deo, quod non esset Deus. Tum quia essentia nequit separari à natura, sed natura Divina est Deus, ergo & essentia.

2. Dixit: Personarum Divinarum proprietates non sunt Deus, sed Divinitas est forma, qua Deus est, misericordia forma quà misericors, magnitudo forma quà magnus. R. Nam si Divinitas, magnitudo &c. in Deo essent per modum formæ, jam daretur in Deo compositio, quæ involveret in Deo contradictionem ex intrinsecis principiis: Divinitas enim, & ens simplicissimum convertuntur. Tum quia divinitas quà Deus est Deus, vel est quid majus, vel æquale, vel inferius Deo; non primum, nihil enim datur Deo majus; non secundum, nam duo darentur Dii; non tertium, quia quidquid in Deo est, Deus est.

3. Dixit: Personarum Divinarum proprietates esse res æternas ab essentia divina differentes. R. Ex Concilio Rhemensi secundo, in quo declaratum est contra præfatam propositionem, quà admissà non esset unus numero Deus, sed essent tres Dii. Constat autem naturæ Divinæ in tribus personis indivisa unitas, ex illo Joannis 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*; idest tres Personæ Divinæ, sivè tria divina supposita sunt unus Deus, & per consequens datur unitas naturæ inter personas Divinas, sivè personæ divinæ sunt unum in natura, & essentia, cum nequeant esse unum in personis.

4. Dixit: Divinitatem in Filio Dei non fuisse incarnatam. R. Joann. 1. *Verbum caro factum est*; quod idem est, ac dicere. Filius Dei factus est homo: idest caro humana, sanguis, & anima subsistunt in persona Verbi Divini: quare in Concilio Nicæno legitur: *Et homo factus est*. Ex his quæ dicta sunt verbo *Cerinthus*, *Artemon*, *Albanenses*, *Bagnolenses*, *Balthasar Pacimontanus*, *Basilidiani*, *Calestius*, *Christifamilia*, *Cosmiani*, constat Verbum Divinum esse de facto incarnatum.

5. Rejiciebat hominum merita, asserens neminem posse mereri, nisi solum Christum. R. Ex his quæ dicta sunt verbo *Jacobus præpositi*. Tum quia si solus Christus posset mereri, nulla daretur in salvandis diversitas graduum gloriæ, quod erroneum est dicere, ut probabitur contra *Jovinianum*. Tum quia frustrà nos Deus ad bona opera hortaretur, quibus retributionem promittit. Verum quidem est, neminem posse mereri de condigno, nisi solùm per Christum: nihilominus nos gratià Christi præditos, mereri de condigno vitam æternam, est veritas definita in Concil. Trident. sess. 6. cap. 16. illamque Theologi omnes elucidant in tractatu de merito justi, quidquid sit an hoc meritum dicendum sit strictè, & intrinsecè de condigno, ut tenet communis sententia cum D. Thoma; an lato modo, sivè ab extrinseco, ut docuerunt *Durandus*, & *Scotus*. Verumtamen fide Catholicà certum est justos mereri non solùm de congruo, sed etiam de condigno beatitudinem: Quamobrem dixit Apostolus ad Rom. 4 vers. 4. *Ei qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*. Undè, & in sacris litteris appellatur *merces*, *bravium*, *corona ex Justitia reddenda*.

6. Baptismi Sacramentum in nihilum redigebat, asserens neminem verè baptizari, nisi eum qui salvandus est. R. Quia Deus, qui vult salutem omnibus, instituit Sacramentum baptismi pro omnibus: neque efficacia baptismi dependet à salute suscipientis: cum salus hominis dependeat à baptismo, sinè quo nullatenùs valet consequi salutem: verum quidem est neminem salvari, post promulgatum Euangelium, sinè baptismo; sed falsum est solum salvandos baptizari, cæterùm cum solùm baptizati sint de corpore Ecclesiæ, & non sciamus qui sint salvandi, neque discernere possemus eos qui sunt de corpore Ecclesiæ, si solùm salvandi essent baptizati.

XI. Gimnopodæ. De hæresi Gimnopodarum mentionem facit Sirumundus; hi nudis pedibus semper ambulant, eò quòd dixerit Dominus ad Moysen Exod. 3.

Exod. 3. 5. *Solve calceamenta de pedibus tuis*: & etiam quia de Sancto Isaia legitur Isaiæ 20. 3. nudis pedibus ambulasse, ideo hi schisma faciunt, quoniam calceatos condemnant. R. Nam Deus nunquam prohibuit hominibus calceamentorum usum; quod autem dixerit Moysi *Solve &c.* non probat homines debere nudis pedibus incedere, hoc enim solùm dictum est Moysi, quando debebat ad rubum accedere, ad notificandam sanctitatem loci, in quo tantum operabatur mysterium: cæterùm si evinceret hæc ratio, sequeretur etiam quæcumque alia, quæ fuerunt à Deo Moysi peculiariter præcepta, forè ab omnibus observanda; plures etiam Sancti ex devotione nudis pedibus incedebant, sed Sanctorum facta ex peculiari devotionis instinctu, non habent vim legis. Vide verbo *Discalceati*.

* XVI. Gymnosophistæ. Istorum secta circa medium seculi 16. apparuit in Armusiæ regno rediviva, ad quam extinguendam strenuè laboravit Gaspar Barzeus Soc. Jesu, qui ad Braemannos Catholicam Religionem propagaturus profectus, primarium ex Gymnosophistis convertit ad fidem, cujus exemplo plures alii sacro lavacro fuerunt expiati. More igitur veterum Gymnosophistarum invenit præfatus Gaspar in Regno Armusiæ degentes in speluncis, qui ad imbuendas variis erroribus incolarum mentes, & ad emendicandam stipem interdum prodibant, & vesperè revertebantur ad speluncam idolum veneraturi, quod *Pagodem* Indi appellare consueverunt. Uberiora hac de re vide in tom. 21. continuationis Annalium Odorici Rinaldi.

Girardus Zagarellus. Vide *Apostolici ex 3. specie*.

VIII. Gizidus Saracenorum Princeps, primus fuit qui Iconoclastarum hæresi in Oriente aditum reseravit, procurante hoc malo quodam Judæo, cui nomen *Saranthapicus*, Ecclesiæ Dei hoste implacabili, qui ut Gizidum ad tantum malum induceret, promisit ei, si imagines sacras exturbasset ab Ecclesiis Christianorum, in suo regno perlongum principatum, quod statim præstitit Gizidus, sed in frustrà, nam pauló post promulgatum impium edictum, improvisà morte correptus, sui sceleris pœnam luit. Saranthapicus verò ab *Usido* Gizidi filio, tanquam patris interfectore, turpissimà morte afficitur, & in pristinum honorem sacræ Imagines statim restitutæ fuerunt, ex Bar. ann. 723.

VII. Gnosimaci: de quibus mentionem facit S. Joann. Damasc. lib. 4. Orthodoxæ fidei. Ineunte seculo septimo apparuerunt quidam hæretici ex ipsà hæresi Gnosimaci nuncupati, quia dicebant superfluum esse studium sacrarum litterarum: à quocunque fideli Deum nihil expetere, nisi bona opera afferentes. R. Nam studium sacrarum literarum, maximè his, qui alios debent Catholicam legem docere, necessarium esse, patet, quia sacræ litteræ sunt verbum Dei, & continent regulas fidei; licet aliquæ regulæ fidei innotescant per verbum Dei traditum: attamen potiora, quæ agere, & credere debemus, in verbo Dei scripto continentur, ergo studium sacrarum literarum est necessarium, in quo se exercuerunt omnes sancti Patres. Tum quia ad salutem non modò est necessarium operari, sed etiam credere quæ ad nostram salutem scripta sunt; ergo &c. Tum quia studium sacrarum literarum est opus bonum; ergo &c. Adde, quod Eccl. 39. *Hoc studium egregiè commendatur*.

II. Gnostici ab excellentia scientiæ, quam jactabant, ita appellari voluere, quod idem significat, ac viri sapientes, cognoscentes, ac intelligentes: ut hoc superbo titulo assumpto, faciliùs possent sua dogmata venditare; cum autem plures hæretici hoc *Gnostici* nomen sibi assumpserint, difficile est invenire, quis verè fuerit Gnosticorum auctor. S. Hieronymus dicit fuisse Basilidem, S. Augustinus Nicolaum Diaconum, S. Irenæus Carpocratem; alii Valentinum Gentilem: ab his omnibus paulatim invaluisse hanc sectam asseri potest, quia præfati hæretici, factà errorum communione, communi etiam *Gnosticorum*

rum nomine gloriabantur. Nefandas Gnosticorum turpitudines, quibus se coinquinabant, refert Epiphanius, quas nonnisi cum summo horrore possunt piæ aures excipere: liberorum generationem omni conatu impedire soliti, undè fœtum mulieris, præter eorum sententiam, prægnantis extrahebant, horrendisque modis sivè animatum, sivè non, dilaniabant, offerebant, manducabant; nudi toto corpore precari soliti, incantationes, veneficia, & idololatrias omnium generum perficiebant. Circà annum Christi 125. hæc hæresis serpere cæpit, & propagari; tegebant suas turpitudines pallio revelationis cœlestis; quod si Scripturæ sententiam suis opinionibus adversantem invenissent, hanc spiritui mundano adscribebant, neminemque posse in Gnosticorum scholà proficere affirmabant, qui omni impuritate sese non contaminaret. Tradit Epiphanius Gnosticos, diversis nominibus fuisse appellatos, nimirùm *Borborianos*, *Coddianos*, *Stratioticos*, *Phibionitas*, *Barbelitas*, *Zachæos*, *Noasianos*.

1. Dicebant bruta esse rationis capacia, & æquè, ac homines intelligere. R. Psalm. 31. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus* Psal. 48. *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Tum quia etiam Gentiles Philosophi dividunt animal in rationale, & in irrationale. Tum quia si bruta essent rationabilia, possent mereri, & demereri, & sic damnari, vel salvari. Verum quidem est, quòd aliqua animalia ex fotiori instinctu naturæ, quem habent, quodammodò videntur cum ratione operari; sic formica dicitur prudens, quia colligit cibum; columba dicitur simplex, quia quantumvis irritata, nunquam irascitur: sed hæc & similia operantur non per rationem, quam utique nullatenùs habent, sed (ut dictum est) ex instinctu naturali à Deo ipsis indito.

2. Duos Deos statuunt, unum boni, aliud mali principium. R. verbo *Politheismus*, ubi ostenditur involvere contradictionem pluralitatem Deorum. Tum quia Deus nequit esse principium mali, cum enim sit essentialiter bonus, omnia quæ ab ipso sunt, necessariò bona sunt: & si Deus esset principium mali, jam non esset Deus, quia ratio Deitatis excludit omne malum, non modò à se in ratione entis optimi, sed etiam à se in ratione principii perfectissimi, à quo nullum malum potest procedere. Vide verbo *Ebion*.

3. Negabant futurum Judicium. R. verbo *Borboriani*.

4. Animam esse substantiam Dei, vel ex Dei substantia. R. verbo *Dicaritha*.

5. Creaturas aliquas nasci naturà suà malas affirmabant. R. Nam si creaturæ aliquæ naturà suà malæ nascerentur, earum mala opera, & damnatio non posset ipsis imputari, sed Deo; Deus autem asserit non esse suæ voluntatis ut perdat aliquem, ergo juxta Divinam voluntatem omnis creatura potest salvari, ergo nulla est creatura naturà suà mala. Tum quia viros etiam facinorosos videmus aliquando converti ad Deum. Tum quia Deus qui benè omnia fecit, nullam creaturam naturà malam potest producere. Demùm omne ens naturale in suo esse naturæ est bonum: bonum enim, & ens convertuntur; ergo nulla datur creatura naturà suà mala. Vide S. Augustin. de Civitate Dei, lib. 12.

6. Abhorrebant à jejunio. R. verbo *Agapetha*, & *Entusiastæ*.

7. Uxorum communitatem prædicabant. R. verbo *Adamitæ*.

8. Commutabant materiam Eucharistiæ cum semine humano, quod offerebant. Reprobatione non indiget hæc Gnosticorum hæresis adeò impura, ut ab ipsà etiam natura abhorreat: vix credibile quòd homo rationis capax posset in adeò impuras hæreses declinare, imò somniare.

9. Christum litteras, ipsumque etiam alfabetum sub magistro didicisse. R. Et quidem Christum ab instanti suæ conceptionis habuisse plenitudinem scientiæ, facilè colligitur ex his quæ de eodem dixit

xit Angelus ad Mariam, & evidenter constat ex eo quòd duodennis disputavit in medio Doctorum, ità ut Synagogæ Doctores mirarentur, quomodo qui nunquam litteras didicisset, sapienter loqueretur. Tum quia nullibi legitur Christum sub magistro scientias didicisse, qui ratione unionis hypostaticæ, debuit necessariò plenitudinem scientiæ habere. Vide verbo *Agnoetæ*.

10. Negabant martyrium esse actum virtutis. R. Ex sac. Scrip. Joann. 5. *Majorem charitatem &c.* Tum quia censetur actus virtutis animam ponere prò defensione legis patriæ, parentum, & amicorum, ergo à fortiori erit actus virtutis animam ponere prò defensione honoris Dei, ejusque Sanctissimæ Legis. Quà de re commendatum habemus exemplum in Libro Machab., in Daniele &c.

XVI. Gnostici Novi intèr Antichristianos locum obtinent; orti sunt teste Calvino anno 1545., & priscorum Gnosticorum hæreses innovarunt. Ex Gravina.

XVI. Goadamannus Cristoforus, referente Sandero hæref. 222., natione Anglus, secta Calvinista, ex Anglia Genevam exul venit, & regnante Maria Reginà Catholicà, docuit non licere fœminis Rempublicam administrare, hoc autem de consilio quorumdam Reginæ adversantium fecit; nam in Angliam reversus, mortuà Marià, & succedente Elisabethà Calvinismo imbutà, quæ non modò temporale, sed Ecclesiasticum regimen sibi usurpare præsumpsit, contrarium docuit. R. verbo *Tepuziani* contra quos ostenditur mulieres esse incapaces suscipiendi sacros Ordines, ex quo sequitur esse incapaces regiminis Ecclesiastici. Tum quia nullibi legitur constitutam aliquando fuisse aliquam mulierem ad regimen alicujus Ecclesiæ, neque ipsam Virginem, quæ tempore Apostolorum aliquibus annis à morte Christi supervixit, legimus aliquid ordinasse, vel præcepisse in his quæ ad regimen Ecclesiæ spectabant: quòd pertinet verò ad regimen temporale, certum est posse mulieres temporalitèr dominari ratione hæreditatis, siquidem jus habent ad hæreditatem temporalem, ut etiam declaratum fuit Moysi, non tamen possunt ab aliquo populo absolutè eligi in Reginas & assumi ad regimen, si nullum jus habeant ad Regnum, quia ubi agitur de electione, vir debet eligi in Regem, cum vir Dominium habeat à Deo sibi collatum supra mulieres: dictum est enim mulieribus. Genes. cap. 1. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*.

XVI. Gommaristæ Gommarus nomine Franciscus Burgis anno 1563. ortum habuit: à patria profugi fuerunt Parentes, qui se in Palatinatu receperunt, ut Religionem Protestantem profiterentur: sub Joanne Sturmio Strasburgi Gommarus studiis incubuit: deindè in Angliam se conferens, sub Rainoldo, & Witahero Theologico cursu peracto, Hildebergæ Græcam & Hæbraicam linguam didicit, postmodùm Francofurti Minister constitutus, in Accademia Leidensi Theologiam explanavit, tribus successivè ductis uxoribus. Cum interim contra Calvinianam doctrinam Jacobus Arminius in materià prædistinationis, & gratiæ dissereret, Gommarus Arminio se opposuit. Hinc scissione factà intèr Calvinistas, alii Gommaro, alii Arminio adhæserunt, & ortum habuerunt Gommaristæ, & Arminianæ factiones. Gommaristæ autem iidem sunt ac *rigidi Calvinistæ*, qui scilicèt mordicùs Calvini doctrinam sequuntur, etiam *Contra Remonstrantes* dicti: Demùm Groningæ Theologiæ Lector decessit Gommarus anno 1641. ætatis 78. cum Synodo Dordrectanæ interfuisset. Præcipui Gommaristarum errores sunt: posse hominem perire Divinæ misericordiæ defectu. Deum solà suà voluntate, hoc est nullà habità peccati ratione, quorumdam reprobationem absolutè decrevisse. Christum non esse mortuum prò omnibus. Hominem non posse Divinæ gratiæ resistere, nimirum non aliam gratiam nisi efficacem admittunt; proùt & modò Jansenistæ. Eos qui semel crediderunt non posse ampliùs à gratia excidere,

quamvis vivant in peccatis. Qui errores alibi in hoc opere sunt confutati.

I. Gorthæus. Ex Euseb. Eccles. hist. lib. 4. Inter septem hæreticos, qui primi Ecclesiam divexarunt temporibus Apostolorum, unus est Gorthæus, à quo Gorthæni. Hi enim septem hæretici, schismate invicem facto, ex quo ab Ecclesiæ unitate recesserant, peculiares habuerunt sequaces, qui ex nomine ejus, quem sequebantur, sunt nuncupati. Sic Gorthæni à Gorthæo, Cleobiani à Cleobio &c. Quoad errores spectat verbo *Simon Magnus* Reprob.

IX Gotthescalcus natione Germanus, in Rhemensi Monasterio Regularem habitum induit, quem & deposuit, cum animi esset elati, impatientis, novitatum amatoris, ambitiosi, & tumultuosi, propterà ad Regularem disciplinam subeundam nimis alieni; à Decano Rhemensi contra sacros Canones Sacerdotio nullitèr initiatus, plura deindè loca peragravit, ut longè, latèque suam dispergeret hæreticalem doctrinam; præcipuè prædistinatianorum erroribus adhæsit. Damnatus fuit in Synodo Moguntinà, iterumque hæreticus declaratur in alià Synodo Galliæ Belgicæ; tertiò in Synodo Valentina, & demùm in Tullensi Concilio, celebrato anno 859. Nè autem Gottescalcus, qui resipiscere pertinacitèr recusavit, majora damna, suas hæreses divulgando, in Ecclesia produceret, virgis cæsus, Rhemis in carcere detrusus fuit, & ab Amolo Lugdunensi Episcopo convictus. Ex Florimondo lib. 3. cap. 8.

1. Afferebat Deitatem Sanctissimæ Trinitatis triplicem esse. R. Quia cum in Trinitate una sit essentia Divina, una tantùm esse potest Deitas. Tum quia tres Deitates distinctæ implicant contradictionem, ut probabitur verbo *Politheismus*. Verum quidem est quòd Ecclesia canit: *Te Trina Deitas unaque poscimus*. Sed in hoc hymno intelligit solùm exprimere Deitatem trinam in personis, unam in essentià, non verò tres esse essentias Divinas, ut asserere videbatur Gotthescalcus.

2. Diabolum non posse rapere ad se eorum aliquem, prò cujus Redemptione Christus passus esset. R. Nam Christus passus est prò omnibus, ut dictum est contra *Bassum*, & dicetur contra *Jansenium*, ergo in sententia Gotthescalchi nemo posset damnari. Tum quia in sacris Paginis, pluribi docemur omnes indiscriminatim resistere diabolo, qui circuit quærens quem devoret, sed hoc foret superfluum, si diabolus non posset ad se rapere eorum aliquem, prò cujus Redemptione Christus passus esset; frustrà diabolus quæreret nos aggredi tentationibus; nam in sententia Gotthescalchi, illi, prò quibus Christus est passus, sunt invicibiles; ergo &c.

3. Dixit Deum non habere voluntatem salvandi omnes, sed alios prædestinasse ad vitam, alios ad mortem, & sic cogere omnes non prædestinatos ad vitam, perire. R. verbo *Jansenius*.

4. Christum non esse mortuum prò omnibus, sed solùm prò electis. R. verbo *Jansenius*.

IX. Græci, circa medium seculi noni, cum Græci novitatum amatores cæperint infestos se exhibere Latinis, qui asserunt juxta sacram Scripturam, Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere, hanc propositionem oppugnaturi, schisma fecerunt, & ab unitate Ecclesiæ se segregarunt, tanti mali auctore Photio, Patriarchà Constantinopolitano, qui universæ Ecclesiæ primatum sibi arrogare præsumpserat, quod ut obtineret, novæ hæresi fomentum præbuit, ex quà usque adhuc dilaceratur Ecclesia. Plura criminationum capita fuerunt à Græcis in Latinos illata, quæ meras esse calumnias, eruditè ostenderunt Hincmarus Episcopus Rhemensis, & Oddo Bellovacensis, qui adversùs illatas calumnias, hortante Nicolao Pontifice, plurimùm laborarunt. Interim Græci pertinaciores facti, sensim in varios declinarunt errores, quos hic simul omnes reprobandos adnectimus. Quantùm Romana Ecclesia pro viribus studuerit ad unitatem veræ Ecclesiæ Græcos reducere, longum esset retexere quatuordecim

cim vicibus reconciliari, totidem defecerunt. Demum quid actum sit in Concilio Florentino, pro reconciliandis Græcis, videre est apud Spond. 1438. 39. 46. Qui uberiora de Græcorum schismate, levitate, & moribus desiderat Baronium consulat tom. 7. 8. 9. 10. ubi etiam videre est eorumdem unionem fictam, non factam fuisse cum Romanâ Ecclesiâ, multiplicesque fuisse Græcorum fictiones circa fidem, pertinacissimi in suis sustinendis erroribus excepto magno illo viro, postmodum Cardinali Bessarione, & paucis forsan aliis. Græcorum errores ex Sirmondo, & Gaulterio collecti sunt sequentes.

1. Asserunt Spiritum sanctum à solo Patre procedere. R. Triplici ex Scripturis argumento. Primum eruitur ex locis, quibus Spiritus sanctus à Filio mitti dicitur, perindè ac à Patre: Joannis 14. *Paraclitus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo*; & cap. 15. *Cum autem venerit Paraclitus quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*; ubi notandum, quod textus iste non tantùm probat processionem Spiritus sancti à Filio contra Græcos, sed etiam probat Spiritus sancti processionem à Patre contra Eunomianos; idem Joann. cap. 16. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos*, mittitur ergo Spiritus sanctus ne dum à Patre, sed etiam à Filio: constat autem ex Theologiâ, unius personæ ab aliâ missionem, supponere personam, quæ mittitur, ab aliâ procedere, quæ mittit.

Secundum argumentum sumitur ex his locis, in quibus Spiritus sanctus dicitur à Filio accipere, & à seipso non loqui. Joann. 16. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audivit, loquetur*; & paulò infra: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*; quòd autem Spiritus sanctus à Christo accipiet, exponit ipsemet Christus ibidem: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt, propterea dixi quia de meo accipiet*. Ex quibus sic arguitur. Idcircò Spiritus sanctus à Filio accipit, quia Filius ea habet omnia, quæ Patris sunt, unâ exceptâ relatione Paternitatis; atqui Pater vim habet spirandi Spiritum sanctum, & eum reipsa spirat, seu producit, ut Græci ipsi fatentur, ergo Filius eamdem habet cum Patre vim spirandi Spiritum sanctum, in quâ Patri non opponitur, sic arguit S. Anselmus lib. de processione Spiritus sancti cap. 7. ubi celebre illud apud Theologos principium probat: *In Divinis omnia sunt unum, & idem, ubi non obviat relationis oppositio*.

Tertium denique argumentum ex iis locis colligitur, in quibus Spiritus sanctus dicitur Spiritus Christi, seu Filii. Actor. 16. *Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithiniam, & non permisit eos Spiritus Jesu*. Rom. 8. *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Galat. 4. *Misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra*. Ex quibus sic arguitur. Non alia ratione in Scripturis Spiritus sanctus dicitur spiritus Dei, aut spiritus Patris, Matth. 10. quàm eò quod à Patre procedit, ergo similiter à Filio procedit, quia est spiritus Filii; indè est quòd Joann. 20. Christus discipulis suis Spiritum sanctum tanquam suum conferens, & signo sensibili insuflans, dixit: *Accipite Spiritum sanctum*.

R. Secundò, auctoritate Conciliorum, quæ epistolam Cyrilli ad Nestorium, in qua disertè asserit Spiritum sanctum à Patre, Filioque procedere, approbarunt: (Vide Allatii vindicias Synodi Ephesinæ, & S. Cyrilli quas edidit singulari volumine) hujusmodi autem Concilia fuerunt generalia, ut sunt Concilium generale Tertium, seu Ephesinum. Act. 13. Quartum, seu Chalcedonense, act. 53. Quintum collatione 6. & 8. Sextum, act. 18. Octavum actione ultima. Idem statutum, ac definitum fuit à subsequentibus Conciliis Lateranensi 4. sub Innocent. III. Lugdunensi 2. sub Gregorio X. & Florentino sub Eugenio IV. ad quæ multa alia, seu Provincialia, seu nationalia accessere Concilia.

Suffragatur etiam ratio Theologica, eaque

eaque duplex. Prima est, quia ex communi Theologorum effatu: *In Divinis omnia communia sunt, ubi non obviat relationis oppositio*, sed inter Patrem, & Filium nulla est oppositio ratione spirationis activæ, quà Spiritus sanctus spiratur, & producitur; ergo &c. Secunda ratio, sivè prioris amplior explicatio petitur ex distinctione inter Filium, & Spiritum sanctum: omnis autem distinctio inter Divinas personas fundatur in relatione originis unius ab alia; undè si Spiritus sanctus à Filio non procederet, ab ipso non distingueretur.

Nec valet quod Photius opponebat circa processionem Spiritus sancti à Filio, nimirum indè consequens forè quòd Pater, & Filius duo essent Spiritus sancti principia; consequentiam enim negarunt Patres Lugdunenses: *Nos enim*, ajunt, *damnamus, & reprobamus omnes, qui temerario ausu asserunt, quòd Spiritus sanctus à Patre, & Filio, tanquam ex duobus principiis, non tanquam ab uno procedit. Definimus* (ajunt etiam Patres Florentini) *quod Spiritus sanctus à Patre, & Filio æternaliter tanquam ab uno principio, & unicâ spiratione procedat*.

2. Furem ad restitutionem furti non obligant. R. Et quidem restitutionem rei furatæ deberi proprio domino decernit Concilium Lateranense 4. sub Innocent. III. cap. 99. can. 18. Tum quia restitutio rei alienæ est de jure Divino; nam cum Deus expressè prohibuerit furtum, expressè etiam præcèpit rem remittendam esse domino suo; nam qui rem alienam detinet invito domino, censetur furari; ergo si Deus prohibuit furtum, prohibuit retineri rem alienam; ergo si res aliena non potest retineri, debet remitti domino suo. Præceptum restitutionis etiam colligitur ex illis verbis Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari &c.* & D. Paulus ad Rom. cap. 13. vers. 7. ait: *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal*. Rem Domino restituendam constat etiam Tobiæ cap. 2. vers. 21. *Videte ne fortè furtivus sit, reddite eum Dominis suis, quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere*. Veritatem hanc etiam docet lex naturalis; qui enim rem sibi ablatam amat sibi restitui, hoc etiam debet respectu aliorum facere: demum justitia, quæ est virtus ab omnibus servanda, etiam præcipit restitutionem, & prohibet rapinam; juxta illud Psalm. 61. *Rapinas nolite concupiscere*. Nec valet objicere illud Lucæ 11. vers. 41. *Verumtamen quod superest, date eleemosynam*, ad probandum furem non teneri ad restituendam rem domino: nam ibi Christus loquitur non de re per furtum ablata, sed de substantia, quam quis justè possidet, de quà quod superest, hortatur ut in eleemosynam erogetur.

3. Dicunt licitum esse inimicum decipere, aut odio habere, & de eodem vindictam sumere. R. Ex Matth. cap. 5. Tum quia veniam peccatorum non possumus obtinere, nisi demus veniam inimicis, hoc enim expressè asserit Christus. Matth. cap. 6. vers. 14. & 15. Etiam hoc innuit Paulus ad Rom. cap. 12. cum dixit ut nulli malum pro malo reddamus. Levit. cap. 9. monemur neminem decipere. Christus Matth. cap. 5. præcipit ut priùs reconciliemur fratri, antequàm offeramus munus ad Altare, ergo tenemur inimicum diligere ex Dei præcepto, non ex consilio tantum, ut contendunt Græci.

4. Negant Primatum Romanæ Ecclesiæ. R. verbo *Armeni*, ubi ostenditur Pontificem Romanum esse totius Ecclesiæ Primatem. Vide verbo *Hussitæ*.

5. Dicunt se esse extra obedientiam Romanæ Ecclesiæ; & sensus est, non quòd Ecclesiæ Romanæ supernam negent auctoritatem, sed quia sentiunt eam extra Occidentalem Patriarchatum jus non habere. Itaque Patriarchatus Occidentalis gradum in Romanà Sede confitentes, Summi Pontificis constitutionem, ejusque jurisdictionem super universalem Ecclesiam non agnoscunt, sed Ecclesiam in Patriarchatus dividunt: quà de causà schismatici sunt, id est Ecclesiam scindentes, simulque hæretici contrà articulum *Unam Sanctum*. R. Itaque Græci asserentes se esse extra obedientiam

tiam Romanæ Ecclesiæ. Quia uni Petro, cujus Romanus Pontifex successor est, tradidit Christus claves regni cælorum; illi soli dictum est. *Pasce oves meas*, sicut & illi uni commendatum ut confirmaret fratres suos, id est totius orbis Episcopos, utpotè quorum fides deficere posset; secùs tamen fides Petri, pro quo ipse Dominus oravit, ut ejus fides non deficeret, quod experientia hactenus comprobavit. Deindè, antè Photium omnes Orientales Ecclesiæ supremam Romanam potestatem agnoverunt & confessæ sunt, ut ipsa acta testantur, quoniam ita ab Apostolis traditum erat. Habet ergo Romanus Episcopus omnes Apostolici ministerii gradus, Episcopi scilicet, Archiepiscopi, Patriarchæ majoris in Occidente, & Summi Pontificis, sive Vicarii Christi in Ecclesià universali.

6. Dicunt Romanum Pontificem non habere plus potestatis quàm Græcos Patriarchas, & quidquid præter conscientiam eorum, per Papam fit, esse nullius valoris. R. verbo *Arnulfus*, & *Beguini*. Tum quia cum Papa sit totius Ecclesiæ caput, debet necessariò influere super omnia membra, & illa dirigere constituendo, evellendo, ædificando, & plantando, quæ constituenda, evellenda, & plantanda expediunt. Tum quia omnes Patriarchæ Græci, quousque in unitate Ecclesiæ perseverarunt, semper agnoverunt suprà se Romanum Pontificem. Tum quia si Papa non haberet majorem potestatem, quàm habeant Patriarchæ Græci, sequeretur non esse caput Ecclesiæ, vel Ecclesiam plura habere capita, & in tali casu corpus Ecclesiasticum esset monstrum. Demùm Christus tradidit claves Petro, & ejus successoribus, non verò aliis Apostolis, & consequentèr neque aliis Patriarchis. Vide verbo *Armeni*.

7. Quidquid actum est per Pontifices à tempore septimæ Synodi, nullum est. R. Nam eadem semper perseveravit in Romano Pontifice potestas, quam per nullum Pontificum peccatum minui, dictum est contra *Arnulfum*. Tum quia plures sancti Pontifices extiterunt post septimam Synodum, quod non contigisset, si nullum esset quidquid post septimam Synodum per Pontifices decretum est, & observatum inviolabiliter ab Ecclesià.

8. Eucharistiam consecratam per Ecclesiam Romanam non esse Corpus Christi, eo quòd fiat in azymo. R. Nam Christus de facto consecravit in pane azymo, ut probabilior longè sententia est, quam tenet tota Latina Ecclesia, non in fermentato, ut volunt Græci. Quòd Christus consecraverit in pane azymo, constat ex Euangelio, consecravit siquidem cum jam venerat dies azymorum, & panis fermentatus erat prohibitus Judæis. Esto Eucharistiam etiam benè confici in pane fermentato, est tamen hæresis dicere, quòd non possit confici in pane azymo; imò Ecclesia Romana semper panem azymum adhibuit in sacrificio, ut advertit Leo IX. Romanus Pontifex, epist. *6.* ad Michaelem Constantinopolitanum. Tam igitur azymus, quàm fermentatus est materia sufficiens; neque enim azymo usus est Christus, quia res quæ fiebat, id exigebat, sed quia cœna, in quà hoc factum est, alium panem non adhibebat; cæterùm Christus etiam fermentatum adhibuit, cum discipuli euntes in Emmaus: *Cognoverunt eum in fractione panis*; ex quo constat tam azymum, quàm fermentatum esse materiam sufficientem pro conficiendo Eucharistiæ Sacramento.

9. Non esse Purgatorium, & suffragia Ecclesiæ non prodesse, nisi illis qui sunt in inferno. R. Quoad primum verbo *Albanenses*, quo ad secundum etiam. R. ex illis verbis: *In inferno nulla est redemptio*. Esset autem aliqua redemptio, si animæ damnatæ essent capaces suffragii. Tum quia animæ, quæ sunt in inferno non sunt ampliùs de corpore Ecclesiæ, neque ullam cum illo unionem habere censentur; ergo suffragia Ecclesiæ nequeunt in illas influere.

10. Condemnant secundas, vel ulteriores nuptias, negantes in iis esse matrimonium. R. Quia matrimonium consistit

sistit in mutuo conjugum consensu, & animorum affectu, sed mutuus conjugum consensus esse potest inter duos liberos viduos, ergo vidui, & viduæ possunt de novo contrahere matrimonium, & transire ad secundas, & ulteriores nuptias; quà de re nulla extat in sacris paginis prohibitio; imò potiùs contrarium evincitur; nam qui non possunt continere, hortantur ad nuptias, melius siquidem est nubere, quàm uri, sed difficultas servandi continentiam sæpè major est in viduis, quàm in virginibus, ergo viduæ possunt transire ad nuptias; ergo secundæ, & ulteriores nuptiæ sunt licitæ, & habent vim matrimonii, quia eadem obligatio, quæ est in virginibus contrahentibus, etiam est in viduis contrahentibus, ergo si primæ nuptiæ habent rationem matrimonii, etiam talem rationem habent ulteriores nuptiæ. Tum quia matrimonii vinculum tamdiù ligat, quamdiù vivunt conjuges, ergo mortuo uno ex conjugibus, alter est sui juris, est liber à primo vinculo, ergo potest per aliud vinculum matrimoniale iterùm ligari.

11. Usuram non esse peccatum mortale. Repr. verbo *Albanenses*,

12. Divortia fieri posse sinè causa ad libitum. R. Nam sinè mutuo consensu, vel approbatione Ecclesiæ, non posse fieri divortium, hinc patet, quòd cum in matrimonio conjuges sibi invicem tradant potestatem sui corporis, ut monet Apostolus, non potest alter eorum, altero invito privare consortem jure, quod habet in alterius corpus, ut reddat sibi debitum. Tum quia ex inconvenientibus, quæ sequerentur in Græcorum sententià, constat divortia non posse ad libitum fieri. Vide verbo *Ebion*.

13. Condemnant Ecclesiam Romanam, quòd ponat aquam frigidam in Sacrificio. R. Nam nullibi legitur præceptum de infundenda aqua in calice consecrando, quæ sit tepida.

14. Eorum Dominator vendit prælaturas. R. verbo *Simon Magus*.

15. Prælati eorum vendunt sacros Ordines. R. verbo *Simon Magus*.

16. Reliquias panis fermentati, de quo conficiunt Sacrificium, volunt quoque esse corpus, & valere tanquam Sacrificium tempore extremo, ubi non inveniunt Sacrificium. R. Nam supra tales reliquias panis, non cadunt verba consecrationis, ergo sub talibus reliquiis non continetur Corpus Christi, ergo hujusmodi reliquiæ non sunt Sacramentum; licèt accipientibus ex devotione nihil sit improbandum.

17. Condemnant Ecclesiam Romanam, eo quòd celebrat Missam diebus Quadragesimalibus. R. Nam Christus quando instituit Sacramentum, & dixit Apostolis, ut in ejus memoriam Sacramentum conficerent, nullum diem excepit, imò quotidie Sacrificium offerendum esse, implicitè colligitur ex ipsis Christi verbis, cum dixit: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Adverbium autem *quotiescumque* denotat liberum esse Sacerdoti quacumque die voluerit, Sacrificium offerre. Unde in actis S. Andreæ, qui apud eosdem Græcos passus est, legitur: *Immolo quotidiè immaculatum agnum*.

18. Non habent Sacramentum Confirmationis. R. Ex pluribus Conciliis, in quibus asseritur Confirmationem esse Sacramentum, quam veritatem novissimè declaravit Concil. Trid. sess. 7. Can. 1. Cum autem per Confirmationem accipiatur speciale augumentum gratiæ ad tutandam fidem, hinc in primitiva Ecclesia, statim ac quis erat baptizatus, confirmabatur per sacram Unctionem, de qua loquitur Apostolus ad Corinth. cap. 1. vers. 21. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus: qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*. Quod utique fiebat per sacram Unctionem, & manuum impositionem, sicut nunc etiam fit in Ecclesia. Apostolos autem per manuum impositionem, & unctionem super baptizatos, non contulisse gratias gratis datas, ut volunt hæretici, sed contulisse Spiritum sanctum, constat evidentèr ex Scriptura, ubi legitur Apostolos misisse Paulum, & Barnabam in Samariam, ut im-

imponerent manus super eos, qui crediderant. Demum Græcos in primitiva Ecclesia, imò usque ad Photii tempora agnovisse, & connumerasse inter Sacramenta Ecclesiæ Confirmationem, certum est. Sicut est indubium, quòd in pluribus Conciliis de eodem Sacramento mentionem fecerint: qua de re vide Naironum in *Evoplia fidei* à pag. 128. usque ad 134.

19. Errant in extrema Unctione, intelligentes B. Jacobum tantùm de infirmitate peccati, non verò de infirmitate corporali locutum. R. Ex ipsis B. Jacobi verbis, ubi profitetur Unctionem valere non modò prò infirmitate peccati, sed etiam prò infirmitate corporali; quæ verba adeò sunt expressa, ut nullus remaneat tergiversationi locus.

20. Sacramentum, quod ferià quintà in Cœna Domini conficiunt, servant prò toto anno, dicentes majorem habere virtutem Sacramentum confectum in die Cœnæ, quàm reliquis anni diebus. R. Ex verbis Christi, qui dixit: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*, ergo Christus voluit quacumque die posse confici Sacramentum, quod utique majoris non est efficaciæ, sivè consecratum in die Cœnæ, sivè in alia die, quod probatur. Nam quocumque die consecretur panis, sub speciebus panis consecrati est verum Corpus, Anima, & Divinitas Christi, ergo quacumque die consecretur panis, semper Eucharistia eamdem habet efficaciam.

21. Aliqui ex Græcis Confirmationem admittentibus, illam reiterant super eos, qui confirmati jam sunt ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ, sicut notat Nicolaus Cabasilas in Oratione 2. *De vita in Christo*, & certè cum Concilium Florentinum in Decreto unionis, statuerit non reiterandam Confirmationem, consequens est, saltem aliquos ex Græcis, in hoc fuisse errore, licèt potior eorum pars omninò hoc Sacramentum non reciperet.

22. Animas Sanctorum usque in diem Judicii non introduci ad gloriam, nec damnatorum ad pœnam, sed errare sicut aves cæli. R. Lucæ cap. 16. *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno*. Ex quo textu constat divitem peccatorem, non distulisse ad extremum Judicium suum descensum in locum tormentorum; sed statim post mortem, sepultum fuisse in inferno, quam veritatem etiam evincit illud Job. 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*. Tum quia post mortem statim præmiantur electi, juxtà illud: *Hodie mecum eris in Paradiso*: ergo etiam statim debent puniri reprobi. Tum quia animas post mortem errare sicut aves cæli, purum est adinventum, cum nulla auctoritate Scripturæ possit comprobari. Vide verbo *Calvinus*.

23. Non habent nisi quinque Ordines, Lectoris, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, & Episcopi. Rep. Ex Concilio Carthagin. 4. in quo omnes Ordinis gradus describuntur, sunt autem *Ostiarius*, *Lector*, *Exorcista*, *Acolytus*, *Subdiaconus*, *Diaconus*, & *Presbyter*. Item, in Ecclesia Dei esse septem Ordines, prætèr alia Concilia, novissimè declaravit Concil. Trid. sess. 7. de Sacram. in genere. Ordinis gradus semper servati sunt in Ecclesia à tempore Apostolorum, sicut refert S. Damasus in suo Pontificali. Consentiunt in his septem Ordinis gradibus, omnes Scriptores Ecclesiastici, tam novi, quàm veteres: etiam S. Ignatius, qui fuit discipulus S. Joannis Apostoli, in Epistola ad Antiochenses, de his Ordinis gradibus mentionem facit. Et licèt omnes præfati Ordines sint Sacramenta, cum quilibet ex ipsis causet in initiato gratiam, & characterem; non tamen hinc potest inferri, quòd plusquàm septem sint Sacramenta in Ecclesia; nam cum ex fine specificentur, quæ ordinantur ad finem; omnes autem Ordines ordinentur ad finem conficiendæ Eucharistiæ; hinc sequitur, quòd omnes Ordines sint unum Sacramentum, ex unitate finis ad quem tendunt. Vide quæ dicta sunt verbo *Cathari*.

24. Simplicem fornicationem negant

gant esse peccatum. Repr. verbo *Florinus*.

25. Solent quolibet anno excommunicare Romanam Ecclesiam, nec permittunt Latinos celebrare in Altaribus ipsorum; tenent etiam quòd uno die, in uno Altari unus tantùm possit Missam celebrare.

26. Dicunt non posse quemquam peccare mortalitèr. R. Nam peccatum mortale committere censetur, qui gravitèr peccat contra Divinam legem; potest autem homo gravitèr contra Divinam legem peccare, maximè dum ea facit, quæ expressè à lege Dei sunt prohibita, vel illa omittit, quæ ab eadem lege sunt præcepta. Tum quia si non posset homo peccare mortalitèr, sequeretur superfluum esse Sacramentum Confessionis; nullum esse infernum, omnes salvari, quod est falsum.

27. Dicunt accedentem ad mensam Dominicam cum peccato mortali, non recipere Corpus Christi. R. Nam si accedens cum peccato mortali, non reciperet corpus Dominicum, sequeretur non posse Eucharistiam indignè manducari, quòd expressè ait Apostolus: *Qui indignè manducat, judicium sibi manducat*. Vide quæ dicta sunt verbo *Adelfius*, & *Enthusiastæ*. Tum quia Corpus Christi ex vi consecrationis est sub specie panis; in sententia autem Græcorum, sequeretur Corpus Christi esse sub specie panis ex vi dignæ, vel indignæ accessionis ad sumptionem Eucharistiæ.

28. Damnant eos qui comedunt de suffocato. R. verbo *Cerinthus*. Tum quia legalia non esse ampliùs servanda certum est; quia cum essent mysteria instituta ad significanda quæ futura erant in lege Euangelica, post adventum Messiæ, & propagationem legis Euangelicæ nullam ampliùs habent significationem, ideò non sunt ampliùs servanda. Legalia enim legis veteris ordinabantur ad novam legem; ergo accedente nova lege debent cessare, sicut accedente sole, desinit esse umbra, ità accedente figurato, desinit esse figura. Verum est, quòd in Concilio Apostolorum præcepta fuit abstinentia à suffocato, ista tamen Canonica dispositio tunc temporis opportuna fuit ad vitandum scandalum Judæis, & ideò servanda in primordiis Ecclesiæ, ne cresceret persecutio, aut impediretur propagatio. Vide verbo *Encratitæ*.

29. Damnant Latinos comedentes carnes die Mercurii, lacticinia die Veneris, & improbant etiam, quia non comedunt carnes die Sabbati. R. Nam cum in nova lege nullatenus prohibitum sit comedere carnes, illis solùm diebus tenemur abstinere, quibus Ecclesia præcipit abstinentiam à carnibus: nam Ecclesia, cum, ut alibi dictum est, possit condere leges, & iisdem teneantur omnes Christifideles parère, hinc satis constat, quare abstineamus à carnibus uno potiùs, quàm altero die.

Græci Moderni.

Inter errores qui Græcis adstipulantur, plures sunt adeò à ratione alieni, ut vix credibile sit, quomodò Græci, inter quos floruerunt plures eruditione, & probitate viri conspicui, potuerint in errores adeò absurdos impingere. In pluribus articulis à sensu veræ Ecclesiæ aberrasse, potissimum vanitatis fuligine obcæcata Græcorum ratione, non potest in dubium revocari. An autem in omnibus præfatis articulis deliquerint, neque hic locus, neque mens est revocare in quæstionem. Certum quidem est modernos Græcos non omnibus præfatis erroribus, quos verbo *Græci* reprobavimus, adhærere, & solùm in novem articulis, nunc temporis à sana doctrina Catholica aberrare, quos ex recentiori eorundem epistola Synodica collectos, hic opportunum censui adnectere, & contra veteres Græcos jam reprobatos exhibui: vel contra alios hæreticos, in hoc opere confixos est invenire.

In Epistola Synodica Conciliabuli Constantinopolitani, quod exeunte anno Christi 1722. habitum est à Patriarchis Græcis Jeremia Constantinopolitano, Athanasio Antiocheno, & Chrysantho Jerosolymitano, præsentibus duodecim Archiepiscopis, & Episcopis, transmissa Græcè, & Arabicè ad Græcos

cos Antiochenæ Diœceseos; sequentes errores schismaticorum adversùs Latinos propugnantur.

1. Primatus Petri suprà Apostolos, & Romani Pontificis suprà reliquos Patriarchas, & Episcopos, ejusdemque in rebus fidei infallibilitas, & in Principes seculares auctoritas impugnatur; ususque ferendi signatas Cruce crepidas damnatur.

2. Processio Spiritus sancti, ex solo Patre asseritur, & vox illa *Filioque*, à Latinis Symbolo adjecta, rejicitur.

3. Fermentum in consecratione Eucharistiæ, azymo rejecto, probatur.

4. Per invocationem Spiritus sancti post verba consecrationis, fieri, & perfici Corpus, & Sanguinem Christi asseritur.

5. Purgatorius ignis, locusque à Paradiso, & Gehenna distinctus exploditur.

6. Beatitudo Sanctorum, & pœna damnatorum usque ad communem resurrectionem differtur.

7. Suffocatorum usus interdicitur.

8. Sabbati jejunium perstringitur.

9. Denique notantur Latini, quòd parvulis post Baptismum, Eucharistiam non porrigunt, neque eos ungunt sacro Chrismate, neque oleo ungi permittunt, nisi infirmos.

Omnes præfatos errores, contra antiquos Græcos, jam reprobatos exhibuimus; primo quoad ultimam partem, quarto, & nono exceptis, quos breviter reprobamus: & quidem usus Pontificis ferendi signatas Cruce crepidas, tantum abest, quòd (ut blaterant Novatores) ejusdem tumorem explicet, ut potiùs ejus humilitatem designet, qui à plantà pedis, usque ad verticem capitis, in solo Crucis signo, & humilitate gloriatur: & quia consueverunt Catholici in obsequium Christi Vicarii, ejus pedibus procumbere, ut non sibi, sed Christo hoc obsequium præstitum referrent Pontifices, crucem statim deosculandam procumbentibus exhibent. Vestes, cibos, utensilia quæque crucis signo munire, pius mos est apud Catholicos, nec ideò credunt venerationi Cruci debitæ derogare, imò Cruci obsequi arbitrantur. Quid vetat igitur sinè honoris dispendio, qui Crucis signo debetur, Summos Pontifices super vestes suas Crucis signum imprimere? De Cruce in calceis Pontificis, & ejus affigendæ rationibus, qui argumenta desiderat, *Antonium Paulutium* consulat, in opere ab ipso exarato inscripto *Jurisprudentia sacra* Tractatu 2. cap. 10. parag. 6.

Rep. quartus, ex nuper dictis, error Græcorum, quia in materia Sacramentorum standum omninò est Christi institutioni, & nullibi in quatuor Euangeliis legitur Christum, prò consecratione sui Corporis, & Sanguinis, invocasse Spiritum sanctum, quod certè non reticuissent Euangelistæ in re tam gravis momenti, si per hanc invocationem (ut ipsi ajunt) perficeretur Corpus, & Sanguis Christi Domini; neque ullam hac de re omnes SS. Patres mentionem faciunt. Nullibi ex sacris traditionibus constat, ergo &c.

Rep. quintus error verbo *Albanenses*. De existentia Purgatorii, & de auctoribus, qui existentiam Purgatorii propugnant. Vide Card. Bona in Psalmodia cap. 13. parag. 4.

Rep. nonus error Græcorum, qui notant Latinos, quòd parvulis post baptismum Eucharistiam non porrigant: & quidem usus communicandi parvulos post baptismum, perduravit in Ecclesia usque ad duodecimum seculum, usque ad quod tempus, nisi instaret mortis periculum, protrahebatur infantium baptismus ad aliquot annos. Sed cum post hàc Ecclesia dignis de causis decreverit infantibus post octavum à nativitate diem non esse protrahendum baptismum, communionem infantibus, qui baptizantur, non ampliùs exhibet: & hoc agit propter graves, & dignas rationes, quarum potissima occurrit, quòd infantes vix nati, & ratione non utentes, non possunt spiritualitèr accipere Sacramentum, sed tantum materialitèr, quod fieret absque ulla tanti mysterii æstimatione, & consequentèr sumerent absque ullo fructu,

 defi-

deficiente parvulis lumine rationis, & actualis Fidei. Adde, nondecere Græcorum consuetudinem, intingendi digitum Sanguine, ut parvulis porrigatur; haud enim sciri potest an semper ab eisdem fugatur undè exponeretur tantum mysteriū non modicæ irreverentiæ. Nec propterea illorum ritum reprobamus, quem ipsis Ecclesia Romana permittit: sed causas adducimus, quarè non sit in usu apud Latinos, qui pariformitèr non confirmant infantes, statim ac sunt baptizati, quia cum minister Confirmationis sit Episcopus, non posset baptizari infans, nisi ab Episcopo, aut præsente Episcopo, qui confirmaret baptizatum; cum autem sit impossibile, quòd quotiescumque debet conferri baptismus, semper possit adesse Episcopus, sequeretur cum gravi periculo infantium, differendum esse baptismum. Tum quia Confirmatio datur, ut confirmatus acquirat robur ad resistendum tentationibus contra fidem, quibus cum infantes non sint subjecti, necesse non est infantes, statim baptizatos confirmare: sicut neque necesse est oleo infirmorum ungere, cum extrema Unctio, pro ut constat ex ejus institutione, sit exhibenda in gravi infirmitate, ad superandas tentationes, quibus infestamur in mortis articulo.

XVI. Gregorius Pauli. De ipso actum verbo *Deistæ*, quorum Coriphæus communiter creditur; sed præter errores à Deistis receptos, adhuc sequentes insaniæ Gregorio Pauli adscribuntur, ex Florimond. lib.2.

1. Dixit essentiam Divinam neque videri, neque videndam esse ab Angelis, & hominibus. R. Quia beatitudo consistit in visione, & fruitione Divinæ essentiæ: & sinè hac visione non potest quis beari: Angelos autem, & Beatos videre Deum, constat ex sacris paginis. Matth. cap.5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Item ex Apostolo 1. ad Cor.13.vers.12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Item, beatas animas clarè intueri Deum declarant Concilia, inter quæ Florentinum. Verum quidem est, quòd nequit intellectus creatus, absque adjutorio luminis gloriæ videre Deum, quapropter legimus Isa. 64.v.4. *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te*. Cæterùm verissimum est, quod legitur Joann.1. cap.3. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. Vide verbo *Arnaldus Brix*, *Almaricus*.

2. Dixit malum Angelum à suæ puncto creationis, malum fuisse, nec unquam nisi malum extitisse. R. Quia non est consonum dicere, quòd prærogativa concessa à Deo Protoparentibus, qui creati fuerunt in gratiâ sanctificante, fuerit denegata Angelis, qui sunt sublimioris naturæ, ergo Angeli, si creati fuerunt in gratia sanctificante, non potuerunt à suæ puncto creationis mali existere. Insuper Deus creavit Angelos ad suum ministerium, de quibus legitur: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos &c.* sed nequàm est dicere Deum summè bonum, creasse ad suum ministerium Angelos, qui ab initio suæ creationis fuerint mali: esto quòd aliqui Angeli, per prævaricationem voluntariam facti sint mali, & à gratia ceciderint, certum tamen est omnes Angelos, & consequentèr etiam Luciferum, cum suis sectatoribus, creatos fuisse excellentibus prærogativis ornatos; quapropter non mali, sed boni spiritus erant nuncupandi: tum quia si Angelus fuisset malus à primo creationis instanti, malitia ejus refunderetur in Creatorem, ut egregiè probat S. Thomas 1. p. quæst.63. art.4. & 5. Vide etiam D. August. lib.12. de Civit Dei.

3. Nec Diabolum, nec Adamum nunquam stare potuisse in statu innocentiæ. R. Ex iis quæ dicta sunt in reprobatione antecedenti, ubi probatum est Angelos creatos fuisse in statu innocentiæ, cui consonat quod legitur Isaiæ 14. 12. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris?* Qui textus interpretatur ab omnibus de statu innocentiæ, in quo creati sunt Angeli, à quo cecidit propter prævaricationem suam Lucifer, cum

cum sectatoribus suis ; si ergo cecidit propter prævaricationem , potuit in statu innocentiæ permanere : nemo enim peccat cadendo à statu , in quo stare non potest. Etiam Adam (quod asserunt unanimitèr Sancti Patres , & de quo Eccl.7. legitur : *Hoc inveni , quòd fecerit Deus hominem rectum*) à rectitudine propter peccatum deviavit , in qua conditus fuerat : item. Angeli boni de facto perseverarunt in statu innocentiæ , in quo creati fuerunt , ergo in eodem statu perseverare potuerunt tàm Angeli mali , quàm homo , liberè enim uterque peccavit.

4. Dixit liberum arbitrium esse potentiam passivam , non autem activam , moverique necessariò ab appetitu . Rep. Quia libertas humana est potentia indifferens ad extrema contradictionis (in quo consistit ratio libertatis) & ad extrema contrarietatis , quæ duplicem contradictionis libertatem importat , scilicet ad bonum , & non bonum , & ad malum , & non malum ; undè ex duobus contrariis à ratione propositis , potest alterum eligere , etiam dissuadente ratione , quæ utrumque proponit ; ergo liberum arbitrium est potentia activa , quæ non movetur necessariò , sed liberè ; si enim necessariò moveretur , jam non posset ex duobus contrariis propositis , alterum pro libito eligere ; experientià enim constat , quòd appetitus potest quidem pulsare , demulcere , blandiri , non autem potest vim inferre voluntati . Hinc est , quòd ad liberum arbitrium constituendum , non sufficit libertas à coactione , ut contendunt hæretici , sed etiam requiritur libertas à necessitate , quæ libertas facit quòd liberum arbitrium sit potentia activa ; cæterùm si liberum arbitrium esset potentia merè passiva , sequeretur quod pecudes , quæ spontè currunt ballantes in pascuis , essent liberi arbitrii . Adde , quòd implicat in terminis , liberum arbitrium non esse solutum à necessitate ; ideò de hominis libertate disserens Apostolus 1. ad Cor. 7. vers.37. ait : *Non habens necessitatem , potestatem autem habens suæ voluntatis* , cui consonat , quòd legitur Eccles.15. *Apposuit tibi ignem , & aquam , ad quod volueris porrige manum tuam* ; item ex Concilio Arausicano , & Tridentino , constat hominem liberè consentire Divinæ inspirationi , quam potest rejicere , ergo liberum arbitrium non est potentia merè passiva , quæ necessariò moveatur ab appetitu , sed est potentia activa : ex quo corruit sequens error , quo dicebat :

5. Homo vi tentationis impulsus peccans , non fit reus peccati . Repr. Quia homo quacumque tentatione impulsus , semper est liberi arbitrii , ergo quandocumque peccat , semper fit reus peccati . Deindè , quà ratione tot exhortationes , totque promissiones allicientes ad benè agendum , tot etiam comminationes à peccato retrahentes habemus in sacris literis ? nisi quia ille solum meretur , aut demeretur , qui se liberè præmio , vel pœnà dignum facit.

6. Deum esse causam modorum omnium , & circumstantiarum actionis , quod idem est ac dicere , Deum esse causam omnium peccatorum . R. verbo *Blastus* , contra quem ostendimus Deum neminem provocare ad peccatum . Ibique notandum nos non negare , quòd Deus sit causa modorum , & circumstantiarum , quatenùs habent rationem boni physici ; nullum enim est bonum , cujus Deus causa non sit , sed Gregorius Pauli loquitur de modis , & circumstantiis in lineà deformitatis moralis , quod damnavit Trident. sess. 6. can.6.

7. Non esse credendum , nisi quod ex se cognitum est , vel declarari potest ex rebus , quæ ex seipsis certæ sunt . R. Quia circà ea , quæ de se cognita sunt , non habetur fides , sed scientia : fides autem est sperandarum substantia rerum , argumentum non apparentium , & consequentèr versatur circa ea , quæ de se cognita non sunt . Tum quia fides , quæ versaretur circa ea , quæ de se cognita sunt , non haberet meritum , quia fides non habet meritum , ubi humana ratio præbet experimentum . Vide verbo *Felicianus* .

8. Cor-

8. Corpus corruptum non idem ipsum resurgere. R. Ex iis quæ dicta sunt contra *Basilidianos*, *Almaricum*, *Chiliastas*: suadetur etiam resurrectio in proprio corpore, quia nulla est implicantia, quòd idem numero corpus, licèt corruptum, iterum possit reparari, & animari: videmus enim arbores hyemali tempore quasi mortuas, verno tempore iterùm reviviscere, & virescere, legitur autem Job. 19. *Scio enim quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea*, 1. ad Corinth. *Omnes quidem resurgemus*. Item Deus est Auctor naturæ humanæ, qui cuncta fecit ex nihilo, ergo à fortiori poterit eamdem reparare. Tum quia Deus potuit ex nihilo rem producere, ergo à fortiori poterit idem corpus corruptum reparare.

9. Nullam esse sepulturæ curam gerendam. R. verbo *Valdenses*.

10. Animam corrumpi unà cum corpore. R. Ex his quæ dicta sunt contra *Arabes*. Tum quia, quod corrumpitur, debet dissolvi in partes, sed anima non habet partes, ergo non potest corrumpi. Tum quia, quod non est generabile, neque est corruptibile. Tum quia operationes animæ sunt incorruptibiles, ergo anima est incorruptibilis. Demùm hæc est efficacior reprobatio, quòd statim, ac malum aliquod grave committimus, timemus pœnam æternam, ergo si anima non est immortalis, sed cum corpore moritur, excutiamus hunc timorem, hanc synderesim, si valemus.

11. Deum, cum sit spiritus, non esse verbo invocandum, & adorandum, sed tantùm corde. R. Ex Scriptura, Psalm. 32. *Cantate Domino canticum novum, benè psallite ei in vociferatione*; ex Apostol. ad Colos. 3. *Docentes & commonentes vos metipsos psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus*. Concil. Agathense, & Toletanum quartum approbant cantum, & orationem vocalem; cujus beneficium experientia comprobat, quandoquidem sivè tristitià, sivè tentationibus vexati, recitatione orationum vocalium, magnum experimur subsidium.

XVI. Gribaldus, nomine Matthæus, Patrià Patavinus, ubi celebris erat juris consultus, Patriam abdicavit, ut Calvini errores profiteretur, & in Serveti errores incidit, factus unus ex præcipuis Antitrinitariis. Contrà Trinitatis Mysterium, ita fuit blasphemus, ut ipsis hæreticis se fecerit exosum: in accademia Tubingensi inter professores juris adscriptus, propter suas blasphemias fugere coactus, inter Helveticos refugium quæsivit: in Civitate Bernensi carceri mancipatus, ut majorem effugeret pœnam, suos errores retractationi subjecit: libertate obtenta, iterum suos evomit errores, Serveto, & Valentino Gentili addictissimus: ejus blasphemiæ sunt sequentes:

1. Ecclesia nunquam invocavit Christum ut Deum. R. Ex omnibus collectis, quas canit Ecclesia, quarum plures etiam à tempore Apostolorum accepit; in earumdem autem omnium conclusione, invocat Christum ut Deum: de Divinitate verò Christi satis actum contra *Cerinthum*, & plures alios hæreticos, in hoc opere reprobatos.

2. Deus verus æternus nullas habet personas, sicut enim brutum nequit appellari persona, ita neque Deus. Rep. Nam ratio personæ benè dicitur de quacumque natura intellectuali, ut probant Theologi, ideò nequit dici de bruto, in quo non est natura intellectualis; quòd autem in Divinis sint plures personæ, constat ex Euangelio ubi sigillatim de Patre, Filio, & Spiritu sancto, tamquam de tribus personis distinctis sermo habetur: legitur enim in sacris paginis, quòd Deus Pater miserit Filium suum; & quòd Pater, & Filius miserint Spiritum sanctum Paraclitum; sed mittens est realitèr distinctus à mittente, ergo de tribus personis realiter distinctis, verè in sacris paginis fit mentio, ergo de facto in Divinis sunt tres personæ realiter distinctæ.

3. Ter maledicta blasphemia est cum Deus appellatur Trinitas. R. Ex supradictis,

dictis, & verbo *Bogomilli*, ubi probatur existentia Sanctissimæ Trinitatis.

4. Vera Ecclesia nonnisi Deum Patrem invocare debet. R. Quia si in Divinis est Deus Pater, ut admittit Gribaldus, ergo etiam Deus Filius, quia Paternitas in Divinis necessariò debet esse fœcunda, & generare, ergo si Deus Pater est invocandus, etiam Deus Filius est invocandus: sed etiam Spiritus sanctus est invocandus, quia etiam est Deus, ut alibi probatum est; undè & David orabat *Spiritum sanctum tuum ne auferas à me*: tres personas Divinas semper Ecclesia invocare consuevit, tam distinctim, quàm indiscriminatim, quia unam, & indivisam essentiam in omnibus tribus personis profitetur, & adorat.

5. Si Trinitas in tribus personis subsistit, sequitur quatuor esse Deos, nempe Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & quæ ex ipsis constituitur Trinitas. R. Nam Trinitas non est quarta entitas in Divinis, sed dicit præcisè numerum ternarium personarum, in quibus cum unica, & eadem sit essentia, quia unus tantum esse potest Deus; ita etiam non quatuor Dii, sed unus Deus in Trinitate est adorandus. Tum quia inepta est Gribaldi sequela; nam sicut tria non faciunt quatuor, sed tria: ita tres personæ non constituunt quartam entitatem in Divinis, nempe Trinitatem: sed Trinitas nihil aliud dicit, nisi complexum omnium trium personarum Divinarum. Vide Theologos disputantes, an in Deo sit absoluta ratio subsistendi.

6. Christus, & Apostoli nihil revelàrunt de Trinitate. R. Et quidem Christus expressè, ut constat ex Euangelio, loqutus est pluribi de Patre, & Spiritu sancto, & de se ipso ut Filio Divino, maximè ubi præcepit Apostolis, ut baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: Apostolorum autem plura sunt testimonia, potissimùm ex D. Petro, & Paulo, sicut facilè eorumdem epistolas discurrenti patebit. Vide verbo *Blandrista*, *Bogomilli*.

Guerini. Vide Illuminatorum secta.

XIV. Guiardus de Cressones, se Angelum Philadelphiæ, à Deo immediatè missum dictitabat, asserens nec cingulum pelliceum, quo erat præcinctus, nec habitum quo erat indutus mandato Papæ deponere posse obligari, imò Papam id præcipiendo peccare, sed tandem utrumque deponens, & errorem suum agnoscens, perpetuò carceri fuit mancipatus; ex Spondan. anno 1316.

XI. Guibertus. In generali Synodo Catholicorum Quintilineburgensi, celebratà infra octavam Paschæ anno 1085. cui præfuit Otto Episcopus Cardinalis Ostiensis, sententia anathematis cum ardentibus candelis promulgata est in Guibertum hæresiarcham, Sedis Apostolicæ invasorem, referente Spondan. anno 1085.

XIV. Guido de Lacha. Tantam sanctitatem vivens affectavit, ut ab omnibus tamquam alius Joannes Bapt. haberetur, ita ut ad eum populi confluerent; sed sub ementita sanctitate fuit hæreticus perfidus, & maleficiis deditus, per quæ fortè sanctitatem simulabat, quam tamen hæresim profiteretur non refert Bernardus Lutzemb. Probabile est hæresi Albigensium, quæ tunc grassabatur in Lombardià, fuisse infectum; cum autem per testes fideles, Episcopus quatuor annis à Guidonis decessu, Guidonem hæreticum fuisse comperisset, exhumari præcepit, ejusque ossa comburi, quæ ope dœmonis elevata fuerunt ab igne ne comburerentur; sed sacrum offerente Episcopo in laudem B. V. ut Deus provideret, ne ex illà maleficà elevatione, populi adstantes deciperentur, & tamquam sanctum haberent, quem hæreticum esse constabat, statim ossa elevata, super paratum ignem deciderunt, exclamantibus dœmonibus, quòd non poterant amplius eum juvare, cum tamen quantum ipsis possibile fuerat, defendissent. Comburebantur tunc temporis etiam in Alemmanià multi propter maleficia, ex quo inferri potest, Guidonem fuisse maleficiis deditum, & per maleficia admirabilem sanctitatem simulasse, ex Bernardo Lutzemburg in catalog. hæret.

XIII. Gui-

XIII. Guillelmus de S. Amore, ex Oppido Amatoris apud Sequanos, Canonicus Bellovacensis, & Theologus Parisiensis, vir magni nominis, librum edidit contra Religiosos mendicantes inscriptum: *De periculis novissimorum temporum*, cujus doctrinam Pontifex Alexander IV. damnavit; librum comburi, & aboleri praecepit, & Guillelmum à magisterio, omnique dignitate depositum, regnum Franciæ intrare, absque speciali Sedis Apostolicæ licentia prohibuit. Mortuo Alexandro, iterùm Parisiis se recipiens, librum suum: *De Periculis novissimorum temporum* correxit, mutilavit, emendavit, & sic emendatum ad Clementem IV. transmisit; Clemens quartus librum sic emendatum, nec approbavit, nec reprobavit; benignè nihilominus egit eum Guillelmo, qui ann. 1272. hominem exuit: porrò ejus liber præcipuè docebat Religiosos mendicantes non posse prædicare, etiam obtentâ à Sede Apostolica facultate. Non conferendam esse Religiosis mendicantibus eleemosynam. Non esse admittendos in universitatibus tanquam magistros. Confitentem Religioso mendicanti, etiam approbato, non satisfacere præcepto annuæ confessionis, & similia; quæ eum magis ex livore in Religiosos mendicantes concepto effutiret, nullisque validis rationibus comprobaret, reprobatione non indigent: satis enim per se patet, quam sit absurdum dicere, quòd Religiosi mendicantes, ratione paupertatis voluntariæ assumptæ, quæ facilè ad perfectionem Christianam conducit, quamque Christus expressis verbis commendat, non posse, prædicare, confessiones audire, docere & similia peragere; cum tamen Apostoli, qui nihil habebant, quosque ad prædicationem mittens Christus sinè baculo, sinè perà, & unà contentos tunica dimisit, nobis reliquerint sanctæ paupertatis exemplum. Qui fusiorem Guillelmi de sancto amore notitiam desiderat, quem cum suis sectatoribus impugnarunt SS. Ecclesiæ Doctores Thomas, & Bonaventura, Natalem Alexandrum consulat seculo 13. ubi etiam videre est errores, unum supraviginti, quos continebat libellus *de periculis novissimorum* inscriptus, sivè *de periculis Mundi*, ab Alexandro IV. Pontifice maximo damnatus; Opus à S. Doctore Angelico contra Guillelmum exaratum inscribitur: *Adversùs impugnantes Religionem*. Opus verò Doctoris Seraphici præfert titulum *de paupertate Christi*, & *Apologia pauperum*.

Dicebat Religiosos ex eleemosynà viventes graviter delinquere, in statu salvationis non esse, afferens omnes Religiosos teneri sibi victum comparare labore manuum. R. Ex Concilio Constantiensi sess. 8. in quo mendicitas Religiosorum approbatur, & consequenter de eleemosynà vivere; item Christus docet ad perfectionem conducere paupertatem: *Si vis perfectus esse vade vende &c.* ergo Deus ipse commendat paupertatem, ergo licet unicuique sequi Divinum consilium de servandà paupertate; neque proindè qui paupertatem vovent, tenentur manibus laborare, ut asserit Guillelmus, quia quamvis otium vitandum sit, & Religiosi maximè teneantur ab otio præcavere; tamen nulla lege, nulloque consilio statutum est, quòd vitari debeat labore manuum, multò minùs quòd ejusmodi labore panem lucrari teneantur Religiosi, qui in Dei honorem, & proximorum utilitatem exercitati laudabiliora præstant, & populo utiliora, qui hanc sui partem habet ad spiritualia deputatam, dum aliæ ad temporalia se exerceent pro civili consortio. Tum quia Religiosi mendicantes habent suum speciale munus in Christianà Republicà, cui incumbunt, quodque necessarium est ad Reipublicæ bonum: alii enim ex ipsis concionantur, alii orant; sicque cum omnes laborent pro bono Reipublicæ, licitè possunt ab ipsà republicà eleemosynam petere; dignus est enim operarius cibo suo: demùm etiam in primitivà Ecclesià, ut constat ex epist. 1. ad Corinth. 16. fiebant collectæ per unam Sabbathi pro Sanctis qui erant Jerosolymis, ut ex illis viverent; non autem omnes qui vocabantur Sancti, & erant

erant Jerosolymis, erant prædicatores; sed voluntariam pro Christo paupertatem tolerabant, & alii pro fide laborabant, alii orabant; ex quo sequitur non modò mendicantes concionatores, ut concedit Lutherus, sed etiam simpliciter orationi deditos, posse ex eleemosynis fidelium vivere, & eleemosynam quærere. Nec valet opponere, quod legitur Deuter. cap. 15. *Et omninò indigens, & mendicus non erit inter vos*. Nam ibi Deus non prohibet pauperibus, ne quærant eleemosynam, sed hortabatur Judæos ut neminem permitterent ex ipsis ad extremam necessitatem reduci, & ut egentibus subvenirent. Insuper non valet improbare paupertatem voluntariam; dicendo, quòd qui spontè fit pauper, se exponit periculo moriendi ex necessitate; falsum hoc enim est; nam de omni Religioso paupere, quo ad hoc verificatur, quod scriptum est *nunquam vidi justum derelictum*; nunquam enim legitur aliquem Religiosum mendicantem periisse ex necessitate; Deus siquidem, in quo Religiosus pauper confidit, provideet ipsi necessaria. Ex dictis reprobatur etiam alia Guillelmi propositio in quà

2. Dicebat paupertatem habitualem esse licitam, non autem actualem; hoc est licitam esse animi promptitudinem ad relinquendum omnia pro Christo, cum urget necessitas, hac tamen necessitate seclusa, illicitam esse paupertatem, per quàm quis renunciat omnibus quæ possidet, ut Deo liberius servire possit. R. Ex eo quòd seclusa hac necessitate, Christus dixit juveni interroganti, quid ad acquirendam perfectionem expediret: *Si vis perfectus esse vade vende &c.* & alibi: *Si quis non reliquerit domum, vineas, agros, non potest meus esse discipulus*, ergo seclusa præfata necessitate, potest exerceri paupertas actualis. Tum quia hanc approbarunt Summi Pontifices extra talem necessitatem, siquidem approbarunt Ordines mendicantium: ergo &c.

XIV. Guillelmus Ochamus natione Anglus, Michaeli de Cæsena addictissimus (de quo suo loco) Avenione sub jure jurando, de non recedendo detinebatur, undè nihilominus & aufugit, trireme ad hoc à Bavaris præparatà. Excommunicatus fuit à Pontifice, plurà siquidem injuriosa contra Pontificiam auctoritatem scripserat. Damnatus itidem à schola Parisiensi, ejusque impia scripta igni tradita. Fuit autem vir alioqui doctissimus, Scoti discipulus, acerrimus ejusdem doctrinæ impugnator, undè & nominalium caput se constituit. Virulentissimè scripsit contra Clementem VI. Unus etiam fuit ex præcipuis Minoritis, qui Ludovicum Imperatorem, contra Joannem XXII. Pontificem animarunt. Aliqui Ochamum excusare contendunt, quòd non scripserit contra Pontificatum, sed contra personam Pontificis. Certum tamen est in scriptis suis ità subjicisse Pontificatum Imperio, ut quasi ad nihilum deducere videatur potestatem Papæ, & Prælatorum in dominio temporali: certè doctrinam Catholicam de auctoritate Ecclesiæ, & Pontificum non parum læsit; ex quo factum est, ut hæretici multis præconiis ejus scripta commendaverint. Moritur Monachii pœnitens, prout refert Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis anno 1347.

1. Subjiciebat Pontificatum Imperio. R. Nam sicut spirituale prævalet temporali, ità qui habet spirituale regimen, debet auctoritate præcedere etiam super eos, qui solum habent regimen temporale. Tum quia Reges, & Imperatores sunt oves Christi, Pontifex autem habet jurisdictionem suprà omnes oves sibi concreditas, ergo &c. Insuper in sententia Ochami regimen Ecclesiæ, non modò non esset Monarchicum, sed neque esset meliori modo à Christo institutum, quia in tali casu Pontifex non posset providere bono Christianæ Reipublicæ, quando contra ejusdem bonum agentes, Pontifex non haberet potestatem auctoritativam eosdem continendi & coercendi. Vide verbo *Anastasius*.

2. Dixit Christum, & Apostolos nihil habuisse proprium, neque in communi, neque in particulari. R. verbo *Apostolici*.

XVI. GUILLELMUS POSTELLUS, natione Gallus, Barentoni vico Normanniæ natus philosophiæ, & mathematicarum artium studia assequtus, deindè Mundum peragratus perfectam linguarum exterarum, ac maximè Orientalium cognitionem adeptus, innumera exotici gustus scripta edidit; sed adeò abominanda, ut ea piis auribus revelare planè indignum sit. Venetiis virginis vetulæ familiaritate usus, quam Matrem Joannam vocabat, in errorem incidit, de fœminei sexus salutari reparatione nondum consumatà, ac per eam faciendà. Lutetiæ ob stupendissimam penè omnium scientiarum cognitionem summa fuit in consideratione; propè centenarius decessit: cæterum ob sua deliria non semel interdictus fuit, & in Monasterium Sanmartinianum relegatus, Deo dante, cognitis & abdicatis erroribus in Ecclesiæ pace decessisse fertur. Ex Gault. sec. 16.

1. Anno 1550. de Trinitate mundi, Corporis, & Animarum, de Veneta virgine, de Christo intoxicato, de matrice mundi, infanda eructavit.

2. Clavem absconditorum à seculo scripsit, ubi se profitetur declaraturum, quæ nec Apostoli, nec ipsa, inquit, Ecclesia potuit ad hanc diem explanare.

3. In Elia Pandochæo, universas omnis generis sectas per Christum salvandas somniavit.

4. Scripsit de Nativitate Salvatoris ultimà nunc futurà, cujus operis auctorem diseriè, in libri titulo scripsit esse Spiritum Christi, imò in fine præfationis, hæc scripta non esse sua, sed Christi (inquit) sensibilitèr in nobis suum Euangelium exponentis.

5. Jactat quoque Angelum Raziel varia sibi mysteria revelasse: non est cur tempus teramus in reprobandis his somniis, quæ pura esse figmenta, non est qui non videat.

6. In sua Panthenosia, docet sex esse Sacramenta. Repr. verbo *Bissacramentales*.

XIII. GUILLELMUS CORNELIUS natione Brabantinus, diutiùs in urbe Antuerpiensi Patrià suà moram duxit, sub simulatæ pietatis specie; prætextu servandæ paupertatis renunciato beneficio: sed ejus damnationis facta cuidam viro revelatione, comperta etiam est ejusdem hypocrisis imò & hæresis; undè præcipiente Episcopo Cameracensi, quatuor post annos ab ejus decessu, ejusdem cineres exhumatæ fuerunt, & de sepulchro projectæ. Ex Prateolo.

Dicebat solam observantiam paupertatis delere omnia peccata, & proindè meliorem esse publicam meretricem pauperem, quovis casto, & continenti, qui aliquid in sui subsidium retineret. R. Nam si Exod. 23. legitur de paupere superbo: *Pauperis non misereberis in judicio*: Sequitur etiam pauperes, qui non vivunt secundùm Dei legem posse damnari. Tum quia in tali sententia, superflua forent Sacramenta, quæ necessaria esse ad acquirendam gratiam alibi vidimus. Tum quia si sola observantia paupertatis deleret omnia peccata, omnes tenerentur paupertatem servare, & bonis renunciare. Tum quia nullum extat hac de re præceptum; scimus etiam quòd plures, qui bona possidebant sanctificati sunt; non enim simplicitèr bona possidere, sed bona possidere cum malo affectu malum est; quòd si sola paupertas tolleret peccata, omnes pauperes deberent esse certi de statu salutis, quod falsum est, cum nemo sivè pauper, sivè dives, sciat an sit odio, vel amore dignus. Insuper paupertas superba est Deo odiosa, ergo paupertas non operit peccata. Verum quidem est docuisse Dominum, Beatos pauperes esse, quia ipsorum est regnum Dei pauperes quoque recepturos fore in æterna tabernacula benefactores suos expressit; sed hæc omnia dicta sunt de vera spiritus paupertate, quæ sinè charitate, & aliis virtutibus esse non potest, non de paupertate in solo affectu; pauperes autem spiritu esse possunt, etiam qui fuerint in effectu divites.

GUILLELMUS de HILDERNISSEM. Vide *Ægidius Cantoris*.

XVI. GUILLELMUS BIDEMBACHIUS: Ex Coccio, Ad assertiones Torrensis, qui

qui vixit circa medium feculi 16. improbat, more Calvinistarum, Mariam invocari tanquam fpem noftram. R. verbo *Lutherus*, *Beza*, contra quos Mariam honorandam, & invocandam effe oftendimus: quam Virginem Deiparam ab Angelo falutatam, tanquam benedictam intèr mulieres, confueverunt Apoftoli in fuis neceffitatibus ab initio Ecclefiæ invocare, & honorare, ut conftat ex Liturgia D. Petri, D. Marci, & D. Jacobi; cujus opem eam piè invocantes, femper omnes præfto habuerunt; ità ut de eàdem meritò fcripferit piiffimus ejufdem Virginis cliens S. Bernardus: *Sileat mifericordiam tuam Virgo Maria fi quis eft qui te in neceffitatibus invocatam, fibi meminerit defuiffe*.

XIV. Guillelmus Anglus. Joannis Wicleffi præceptor, qui circà medium feculi decimi quarti vixit, referente Thoma Valdenfi, doctrinalis fidei lib. 2. art. 1. cap. 7. afferere aufus eft Petrum Apoftolum nunquam fuiffe Romæ Epifcopum, aut ibidem prædicaffe. R. Ex Teftimoniis plurium Sanctorum Patrum, & Doctiffimorum virorum, qui floruerunt antè feculum decimum quartum, & omnes conftanter afferunt S. Petrum fuiffe Romæ Epifcopum, ibidem prò fide crucifixum, quorum auctoritates congerit Coccius in fuo Thefauro Catholico lib. 7. Adde, quòd Romæ tot extant aperta monumenta, quæ S. Petrum Romæ fuiffe teftantur, ut tantæ veritati fole clariori contradicere, fit manifeftam negare veritatem: fed quamvis hæc non extarent monumenta, judicet lector an plus fidei adhibendum fit propofitioni, in quà afferenda per quatuordecim fecula confenferunt tot viri, & teftes omni exceptione majores, quàm invento mendacio à præfato Guillelmo. Vide *Calmet* ad 1. Petri Epiftolam.

XVI. Guillelmus Cartetius, unà cum Petro Richerio miffus in Americam ad dilatandam Calvinianam perfidiam, ftatim ac Franciam antarthicam appulit, orto intèr filios divifionis diffidio, remiffus eft ad calipham Calvinum, ut fuper ortam contentionem decideret: nihil interim proficientes ejus fodales, quos in Americà reliquerat, ad propria, finè ullo Religionis Calvinianæ progreffu, coacti fuerunt revertere.

* XV. Guillelmus Sartor Londini condemnatur anno 1422. ab eodem diverfæ conclufiones contra catholicæ fidei dogmata propofitæ, alibi jam in hoc opere confutatæ, fequenti excepta.

Omnis oratio quæ eft petito alicujus doni fupernaturalis, vel gratuiti, foli Deo eft dirigenda. Orare aliquam creaturam eft committere idololatriam.

Rep. nam Apoftolus Paulus nos docuit obfecrare fanctos cum dixit. *Obfecro vos fratres per Dominum noftrum Jefum Chriftum, & charitatem Spiritus Sancti ut folicitudinem impertiamini in orationibus pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus qui funt in Judeà*. Defiderat ergo S. Apoftolus adjuvari à fidelibus per fuas orationes apud Deum, ideòque enixè eos orat, ut pro ipfo orent; ergò falfum eft orare aliquam creaturam effe idololatriam. Pluribus aliis in locis fidelium orationibus fe Paulus commendat ut orent pro ipfo ad Deum, quem fcimus velle interpellari per Sanctos fuos noftris in neceffitatibus, quafi mediatores inter Deum & nos. Mediator autem ut plurimum non nifi exoratus fe interponit ad obtinendam apud Regem gratiam pro alio.

In primitiva Ecclefià fæpè legimus in actis Sanctorum plures martyres à Spiritu Sancto edoctos, dum ad martyrium ducerentur, fe commendaffe orationibus fidelium, ut earundem merito conftantes in fide reciperent palmam Martyrii.

XIII. Guillelmina natione Bohema. Exhumata & combufta fuit Mediolani, poft fex annos à fuo deceffu, propter fimulatam religiofiffimam vitam, poft fuum obitum, tamquam fancta ità à pluribus colebatur, ut etiam monumenta votiva circà ejus tumulum plebs credula appenderet. Hæc muliercula, unà cum Andrea Saranita Amafio fuo fub ficta fanctitate, infinuabat turpitudines, ad quas in locis fubterraneis congregabat homines utriufque fexus, fequaces fuos do-

docens, Spiritum sanctum in suo utero incarnatum in redemptionem mulierum, quas baptizabat in nomine Patris, & Filii, & in suo nomine: Sacerdotissam agens, alias mulieres ad modum Clericorum tondebat. Vide verbo *Manfreda.* Ex Spond. anno 1300.

H

I. 
Hadrianistæ seculo primo ex Simone Mago propagati, ab eodem falsa dogmata didicerunt, quæ, & promulgarunt, ità tamen ut nonnulla adderent, vel demerent, novarum hæresum ut possent, & ipsi auctores nuncupari: quod affectarunt ferè omnes Simonis Magi discipuli: undè non immeritò dixeris tot fuisse ab eodem sectas propagatas, quot habuit in sua schola sectarios; intèr quos fuit quidam nomine Hadrianus, qui huic sectæ nomen dedit. *Ex Theodoreto*.

XVII. **Hadrianistæ Alii**, ab Hadriano Burgensi, ineunte seculo 17. progeniti; ferè Arminianis consentientes docuerunt 1. Peccatum originis non esse peccatum, sed peccati occasionem 2. Dei misericordiam esse solum occasionem boni, quod homines peragunt 3. Fidem per misericordiæ virtutem esse proprium hominis opus 4. Deum prævidere omnia, sed nihil operari in hominibus, quos reliquit in manu liberi arbitrii 5. Posse Fideles ex se ipsis in hac vita mandata Dei adimplere, quamvis id non prestent. Vide verbo *Arminiani*.

IV. **Haicitæ**. Ex Turcica Religione, prout colligitur ex hist. Imper. Turc. sunt qui credunt Christum verum assumpsisse corpus, esse æternum, incarnatum, & venturum judicare Mundum, quòd comprobant Alcorani Textu, in quo legitur: *Videbis Mahomete Deum tuum venientem in nubibus*, quæ verba interpretantur de Messia, quem esse dicunt Jesum Christum, qui iterum est venturus in corpore quod assumpsit, pugnaturus contra Antichristum, & regnaturus annis quadraginta, post quos Mundus finem habebit; qui sic opinantur dicti sunt Haicitæ. Rep. autem circa illud, quòd sentiunt Christum in suo secundo adventu, antè Mundi finem regnaturum annis quadraginta; quia Christi Regnum est æternum, & ipse dixit Regnum suum non esse de hoc Mundo.

V. **Hamaxarii** dicti etiam Borbonitæ, Anabaptistarum germen, scissione facta in Belgio à Mennonitis ob anathematismorum severitatem; omnes ab aliis sectis excommunicatos in communionem suam recipiebant, illis innixi verbis Euangelii. *Venite ad me omnes &c.* R. Ex eo quòd à tempore Apostolorum legimus Ecclesiam consuevisse anathema dicere illis, qui pertinaces fidei veritati obsistebant. Ex Natal. Alex. sec. 15.

XVI. **Hampstedius** Hadrianus, de quo agit Prateolus, sectæ ejus nominis auctor, à quo Hampstedii, ex Zelandia oriundus, deindè in Angliam profugus, secta fuit Anabaptista. Sententià Edimundi Episcopi Londinensis excommunicatus, & propter suam contumaciam in exilium pulsus, melancolico spiritu semper fatigatus, à sua opinione per quam difficilè mobilis, docuit seculo decimo sexto.

1. Liberum esse infantes sinè baptismo servare ad aliquos annos, nec ullius conscientiam hac in re adstringi posse ad certum tempus cujusvis auctoritate. R. verbo *Eleutero Papistæ*. Tum quia ex charitatis præcepto tenentur parentes succurrere parvulorum saluti, ergo tenentur curare ut quàm citò baptizentur, sicut decrevit Concilium Tridentinum; secùs enim exponerent infantes periculo amittendi gloriam æternam, & consequenter periculo æternæ pœnæ damni, sed Parentes obligantur ad avertenda pericula (maximè ubi agitur de re gravissima) à suis infantibus, undè etiam

& ab

& ab Ecclesia obligantur, ut curent quàm citò infantes baptizari. Ecclesiam verò habere auctoritatem condendi leges, quibus Christiani parere tenentur, probatum est contra Sectarios Augustanæ confessionis.

2. Credere Christum ex semine mulieris natum (intelligens prò semine maternum concursum; aliàs Christus non fuit ex semine. Vide D. Thom.3.p.q.31. art.5.) atque humanæ carnis participem factum, docuit non pertinere ad Religionis Catholicæ fundamentum, sed ad fundamenti circumstantiam; proindè qui negaret ut supra, asserebat quòd non negaret fundamentum fidei, sed unam ex fundamenti circumstantiis. R. Quia negare Christum ex semine mulieris, scilicèt ex purissimo sanguine B. V. natum, atque humanæ carnis participem factum, idem est ac negare Christum natum esse de muliere, & incarnatum; sed hoc est unum ex fidei nostræ fundamentis, ut constat ex Symbolo Apostolorum, ergo &c.

II. Harmonius, filius Bardezanes hæretici, vixit circa medium seculi secundi, Athenis Græcis literis excultus, multa scripsit, hymnosque Ecclesiasticos juxta hæreses, quas profitebatur corrupit, sicque corruptos in Ecclesia concinendos exposuit. Ejus errores S. Ephrem Edessæ Diaconus confutavit. Vide verbo *Bardezanes*. De Armonio agit Theodoret. hæretic. fabularum lib. 1.

Hæreses, *quarum neque auctor certò scitur, neque origo*.

Primo currente seculo, sub Lini Pontificatu, pullulasse creditur quorundam errorem, qui in eà opinione fuerunt, ut mulieres à viris specie differre arbitrarentur, vitæ æternæ, etiam incapaces assererent, neque pro ipsis Christum suum Sanguinem fudisse: super hæc deliria paucis ab hinc lustris apparuit liber, italico idiomate conscriptus, cujus an auctor censeri debeat quidam Romanus, nomine Horatius Plata; an solùm translator, incertum. Contra præfatos errores erudito calamo scripsit Franciscus Bordonius, in cujus opere anno 1703. impresso, suprà recensitas blasphemias nervosè reprobatas est invenire. Cæterùm perspicuum est ex unaquaque specie Deum creasse masculum, & fœminam; sed præcipuè mulierem ejusdem speciei esse cum viro colligitur ex Genesi, ubi post creationem Adæ, fecit Deus adjutorium simile, simile inquam in specie, & creavit Evam, quæ, licèt post Adam, æquè, ac Adam facta est in animam viventem, rationis compotem, & æquè, ac Adam accepit à Deo spiraculum vitæ: neque Christus esset homo si mulier ejusdem speciei non esset cum homine, quandoquidem Christus humanam naturam non aliundè traxit, quàm ex Virgine Matre, ex quo sequitur tam pro mulieribus, quàm pro viris Christum fudisse suum Sanguinem: & utrumque sexum revocasse quem expulerat: *Quia in duobus hominibus uterque fuerat sexus expulsus, in duobus animalibus sexus uterque revocatur*; ait S. Ambrosius lib.9. in Lucam: ex quo consequens est beneficii redemptionis æquè virum, ac mulierem esse participem; & si Divinæ legi obtemperaverit, ad æterni Paradisi gaudia recipiendam, ad quæ in corpore, & animà Sanctam Dei Genitricem jam assumptam profitetur Ecclesia. Sola est differentia sexus, non speciei, inter virum, & mulierem, sicut innuit S. Ambrosius in prælaudato textu.

Refert D. Augustinus hæresi 77. quosdam in illa opinione fuisse, ut assererent mundos esse innumerabiles. Hæresis ista facilè ex antiquiore philosophorum quorumdam errore prodiit, cujus auctor creditur Aristarchus Hamius; Illam ludentis specie renovavit Fontanella Gallus in libello, cui vernaculo sermone titulum fecit: *De pluralitate Mundorum*: ludi tamen isti detestabiles sunt, utpotè Religioni infensissimi; animum verò auctoris judicet Deus.

Incertum quo seculo, & quo auctore irrepserit falsa opinio (quàm innovasse, & docuisse Photium Patriarcham Constantinopol. perhibet Anastasius Bibliothecarius) asserentium scilicet singulis hominibus duas inesse animas: quæ reprob.

prob. ex pluribus Scripturæ textibus, ubi legitur, Deum inspirasse in creatione Adæ spiraculum vitæ: diceret autem textus spiracula, si duæ inessent animæ. Christus in Evangelio docet unumquemque timere eum qui potest animam perdere in gehennam. David orat *Domine libera animam meam*; *Anima mea in manibus meis*. Tum quia si duæ inessent animæ, homo esset unum per accidens, duæ enim formæ cum unicà materià non possunt facere unum per se. Tum quia posset homo simul esse beatus, & reprobus, reprobus quidem quoad unam animam, beatus verò quoad aliam. Tum quia si duæ animæ essent in homine, etiam duas haberet voluntates, quæ vel essent concordes, vel discordes; si primùm, duæ essent superfluæ, si secundùm, per se patet quot sequerentur absurda. Tandem ex Psalm. habemus: *Erue à framea, Deus, animam meam, & de manu canis unicam meam*.

Fuit quædam hæresis currente quarto seculo, dicta *Destituta*, prout refert S. Augustinus hæresi 67. & Sanderus hæresi 72. Hujus hæresis sequaces credebant Mundum, etiam post resurrectionem, in eodem statu in quo nunc est, permansurum. R. verbo *Albigenses*.

Aliam hæresim refert Gilbertus Abbas, discipulus S. Bernardi, serm. 8. in Cantica, cujus sectatores negabant Verbum Divinum cum corpore humano assumpsisse animam rationalem, alii verò concedebant quidem sumpsisse animam, sed tantùm sensitivam, sivè sensificantem corpus, non verò ratiocinantem. R. Ex his quæ dicta sunt contra Monothelitas, ubi probavimus in Christo duas esse voluntates, Divinam scilicet, & humanam; sed humana voluntas supponit animam rationalem, ergo Christus assumpsit animam rationalem, & consequentèr ratiocinantem; quod ex pluribus Scripturæ textibus probatur, in quibus Christus aliquando quà Deus, aliquando quà homo loquitur; ubi enim dixit ad aspectum calicis suæ passionis: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, fiat voluntas tua*: loquutus est quà homo subditus voluntati Divinæ; dum non suam, sed Patris voluntatem fieri orabat, ergo Christus habuit voluntatem humanam; sed voluntas humana esse nequit, ubi non est anima rationalis, ergo si Christus habuit voluntatem humanam, habuit etiam animam ratiocinantem.

Innominati quidam hæretici debaccharunt, currente secundo seculo, de quibus agit Origenes apud Eusebium Pamphyli in apologià: dixerunt, quod Christus ascendens in Cælum cum corpore, pervenit usque ad Zonam Solis, & ibi posuit tabernaculum corporis sui, non enim ultrà progredi poterat. R. Marci 16. Lucæ 24. Actorum 1. 3. 7. ad Ephes. 4. ad Colos. 3. ad Heb. 4. in quibus locis apertè legimus, quod profitemur in Symbolo Apostolorum: *Ascendit ad Cælos, sedet ad dexteram Dei Patris*.

Alia fuit hæresis quorumdam asserentium Adamum, & Evam cœcos ante peccatum extitisse, & tunc videre cœpisse, quandò ex ligno vetito comederunt. R. Ex Divina Scripturà, quæ in lib. Gen. contrarium evincit.

Ex Concilio Francfordiensi collecto anno 744. regnante Carolo Magno, & ex ejusdem Concilii can. 52. constat reprobatum fuisse dogma, quo asserebatur triplici solùm idiomate expressas orationes Deum acceptare: quæ autem essent hujusmodi idiomata, & à quo præfatum erroneum dogma fuerit adinventum, in prædicto canone non exprimitur.

VI. Hesicastæ, sexto seculo irrepserunt, qui vitæ anachoreticæ dediti, in hoc peccabant, quòd tunc se præclarè Deum laudare asserebant, si unà cum Monialibus choreis, tripudiisque vacassent, quà in re imitari se gloriabantur institutum à Moyse chorum, de quo legitur Exod. 15. 1. tunc cum in mari rubro Ægyptii submersi fuerunt. Ex Damasceno lib. de hæres.

IV. Heltadius, fretà Luciferianus eò blasphemiæ prorupit, ut cum videret Episcopos, qui Arimini lapsi erant, ad sanam doctrinam pœnitentes reversos, esse à pia Matre Ecclesià cum dignitate

tate restitutos, diceret Mundum esse diaboli, & Ecclesiam in lupanar esse conversam: vixit quarto seculo. Ex S. Hieronym. adversus Lucifer.

Henfordius Nicolaus. Vide *Joann. Wicleffus*.

XI. Henriciana Hæresis. Circa medium seculi undecimi Henricus Tertius Germanorum Rex, in Italiam armis stipatus veniens, erigens se supra Pontificiam auctoritatem, omnia pro suo nutu ita disponere est aggressus, ut etiam Pontificem sibi benè visum eligere, & in Petri sede constituere ausus sit, legitimo Christi Vicario abdicato: ex quo impudenti Henrici facto, Henriciana hæresis ortum habuit, quæ dicta est etiam hæresis *Politicorum*, qui supremam auctoritatem, etiam in rebus Ecclesiæ disponendis, tribuunt Principibus secularibus. Vide *Politici*. Ex Baron. anno 1046. & 1075.

XII. Henriciani ab Henrico, Patrià Tholosano circà medium seculi duodecimi originem habuerunt. Fuit Petri de Bruis discipulus, & præter Magistri hæreses, etiam alios dogmatizavit errores. Hic ex Religioso, Apostata factus, omni libidini se dedit, undè nec permissus inter Parentes præ confusione habitare, factus est Girovagus, & profugus super terram, cumque mendicare cœpisset, posuit in sumptu Euangelium, sed propter suos turpissimos errores de Lausana, de Cœnomanis, de Pictaviensibus, & de Burdigalensibus ejectus, ab Episcopo Hostiensi, tunc Tholosæ Legato Apostolico damnatus fuit; quem Henricum demum captum, & in arctà custodià detentum decedisse, sunt qui autumant. De Henricianis scribit S. Bernardus, epist. 148. & 240.

1. Dicebat orationem nihil prodesse Defunctis. R. verbo *Aerius*.

2. Negabat Sanctos esse invocandos. R. Ex Concil. Chalced. Act. 11. ubi Concilium asserit de S. Flaviano, quòd orat pro nobis; item ex Trident. sess. 25. de invocatione Sanctorum. Ad Sanctorum invocationem nos hortatur Scriptura Eccles. cap. 44. vers. 3. *Laudemus viros gloriosos &c.* Item Genes. 48. vers. 15. & 16. Patriarcha Jacob invocavit nomina Patrum suorum super filios suos, quando benedixit eis. Judas Machabæus vidit per nocturnæ apparitionis manifestationem Jeremiam orantem pro populo Israel, ergo si Jeremias adhuc in Limbo orabat pro populo, à fortiori orabunt Sancti in Cælo, tunc maximè cum erunt invocati; & licèt Sancti non valeant orare pro se ipsis, quia sunt in termino, benè tamen possunt orare pro viatoribus, quia semper conservant charitatem erga fratres suos, quos secum congaudentes sperant aliquando videre in Cælis: undè ad invocationem Sanctorum, quorum orationibus possumus juvari, hortamur in sacris pagin. ut constat Job cap. 5. vers. 1. *Voca ergo si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere*. Neque recurrendo ad Sanctos, injuriam facimus Christo, qui est Advocatus pro nobis apud Patrem: nam recurrimus ad Sanctos, non tamquam ad Auctores, sed tamquam ad intercessores gratiarum: quarum Auctorem solum Deum confitemur. Vide verbo *Albertus, Vigilantius*.

3. Dicebat parvulis non prodesse baptisma, quia fidem non habent. R. Expressè ex Concil. Trid. sess. 7. can. 13. Item baptismum delere etiam in parvulis peccatum originale, sæpè definitum est in aliis Conciliis; quòd enim non habeant fidem propriam non officit; baptizantur siquidem in fide Matris Ecclesiæ, quæ supplet in parvulis, quia Christus; vult omnibus salutem, sed hoc falsum esset si baptismus non prodesset parvulis, quos Christus ad se vocat, æquè ac adultos; legitur siquidem Matt. 19. *Sinite parvulos ad me venire*. Tum quia Christus præcepit Apostolis ut baptizarent omnes gentes, nec specificavit de adultis, aut parvulis, sed dixit *omnes*, ex quo sequitur, quòd Christus voluit baptismum prodesse etiam parvulis, quantumvis non haberent fidem propriam. Tum quia Circumcisio, quæ erat figura Baptismi conferebatur parvulis, & illis proderat, ergo etiam baptismus debet par-

parvulis conferri, & illis erit proficuus. Tum quia ab initio Ecclesiæ semper Ecclesia consuevit baptizare etiam parvulos, quos sinè baptismo salvari non posse certum est, quandoquidem scriptum est. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Nec valet objicere illud Marci 16. vers. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, ad probandum fidem propriam prærequiri in baptizando; nam ibi Christus loquebatur absolutè, & simplicitèr de adultis, quod constat ex antecedentibus verbis: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*; superfluum siquidem erat prædicare Euangelium parvulis, & tamen Christus dixit omni creaturæ: voluit ergo intelligi de omni adulto, & consequentèr ad adultos solùm spectant illa verba: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit &c.* Præterquam quòd parvuli etiam credunt in fide Matris Ecclesiæ, cujus sunt membra, & proindè deputat pro ipsis in baptismo idoneè respondentes. *Credo*.

4. Sacramentum non posse ministrari validè à peccatore. R. verbo *Albigenses*.

5. Negavit realem existentiam Corporis Christi in Eucharistia. R. verbo *Berengarius*, & *Calvinus*.

6. Negavit Missam esse Sacrificium. R. verbo *Faustus Manichæus*.

7. Dies festos abdicavit. R. verbo *Ebion*.

8. Excommunicationem irridebat. R. verbo *Albanenses*.

9. Sacras peregrinationes exprobabat. R. verbo *Claudius Taurin.*

10. Templorum ædificia inhibuit. R. verbo *Faustus Manichæus*.

II. Heracleon Valentini discipulus, pariter cum Magistro sentiens, novitate tamen quadam pronunciationis diversa sapere affectabat. Asserit Sirmondus quòd Heracleon in partibus Siciliæ inchoavit docere suos errores, quodque Episcopi Siculi scripserunt ad Alexandrum urbis Romanæ Episcopum, ut Heracleonis audaciam confringeret, quod & præstitit; mandavit siquidem Sabiniano Presbytero, qui scriberet contra Heracleonem, quod tantà fælicitate perfecit, ut Heracleon nocte, navis præsidio aufugeret. Dicebat Heracleon unum esse principium, quod dominum esse appellabat, deindè de hoc principio natum aliud, & de his duobus generationem multorum principiorum fore asserebat: invocabat super morientes quorumdam principatuum nomina, ungens defunctos oleo, aqua, & balsamo, ut med à hàc unctione, incomprehensibiles fierent, & invisibiles supernis principatibus, quæ omnia pura esse commenta phantastica, nemo non videt. Ab Heracleone dicti sunt Heracleonitæ, de quibus agit S. Epiphanius hæresi 36. & Tertull. de præscript. dicitque Heracleonem voluisse Gnosticorum Theologica dogmata reformare, cum quibus tamen in potioribus articulis sentiebat. Ut itaque novæ sectæ se auctorem constitueret, (hæc enim fuit ambitio, quæ Heracleonem sednxit) sacræ Scripturæ verba plurima reformare est aggressus, ut eadem suo sensui accomodaret. Mundum *Eon* vocabat, imò duplicem fingebat esse mundum, quorum alium Divinum, alium corruptibilem esse effutiebat. Contra Heracleonem etiam Origenes calamum acuit. Omnes antiquas Prophetias destruebant Heracleonitæ, quæ pura dicebant esse figmenta; & in interpretatione sacræ Scripturæ majorem intelligentiam, quàm ipsosmet Apostolos, habere gloriabantur, in suisque dogmatibus multam cum hæreticis Marcosianis affinitatem habuerunt. Cæterùm quanta sit Scripturæ sacræ auctoritas, quam Spiritu sancto afflante Prophetæ nobis nunciaverunt, constat ex bis, quæ dicta sunt contra *Albanenses*, *Ambrosianos*, & *Biblistas*; neque ut blasphemant Heracleonitæ, Prophetiæ sacræ somnia possunt nuncupari; quandoquidem plures ex ipsis verificatas adeò apertè intelligimus, ut nonnisi Spirtu sancto afflante loquutos esse Propbetas compertum sit cuicumque, qui ratione duce Prophetias sacras percurrit.

Baptizatum hominem, sivè justum, sivè peccatorem, tamquam sanctum haben-

bendum fore dicebat, asserens peccata nihil obesse baptizatis. R. Nam licèt per baptismum homo mundetur ab omni culpa, attamen falsum est, quòd in tali sanctitate constituatur, ut peccata nihil possint obesse, nam superfluum foret Christum instituisse Sacramentum Pœnitentiæ, quod est omnino necessarium lapsis. Tum quia sanctissimi viri semper timuerunt peccatum, undè ab omni occasione peccati soliciti se custodiunt. Tum quia si peccata nihil obessent baptizatis, sequeretur baptizatos posse liberè peccare, & in tali casu baptismus reseraret aditum ad omnia peccata impunè committenda.

Herbertus. Vide verbo *Deistæ*.

XXII. Hercules Coxam, ex hist. Anglic. eodem tempore, quo *Mercerus*, Angliæ carceribus conclusus detinebatur, propter sequentes errores.

1. Nullum esse in terra alium animarum pastorem, nisi Christum qui sancti Spiritus unctione, Fideles suos in omnibus rebus instruit, & dirigit.

2. Omnes dies festos, ac Dominicos pro illis penitùs abolitos, qui in verum, & æternum Christi Sabbathum ingressi sunt.

3. Dei electis pœnitentiam non aliam admittendam esse, nisi justificationis gratiam, quæ homines impeccabiles reddit.

4. Ejusmodi electis orandum non esse, nisi in laudem, & gratiarum actionem.

5. Genuflectere ante Eucharistiam, esse Idololatriam.

6. In Mensà Eucharisticà panem communem apponendum, & vinum; quod magis consentaneum esse asserebat Christi gestis.

7. Omnia nomina, quibus solet appellari Sacramentum Eucharistiæ esse rejicienda, excepto Cœnæ nomine, quæ omnia figmenta sparsim in hoc opere reprobantur.

IX. Herenulphus, circà annum 733. expulsus à Bavarià per Sanctum Bonifacium Episcopum, & Martyrem; superstitiones Paganas, cum hæreticalibus figmentis commiscendo; suis pravis dogmatibus Germaniæ Provincias contaminabat.

XI. Heribertus, unà cum Lisojo, erant ex Primatibus Cleri Aurelianensis, tum ratione nobilitatis, quàm scientiæ; à fœmina Italà Manichæa corrupti, errores propagabant verbo *Fœmina Itala* relatos. Rex Robertus tunc Aureliani sedens, ut præfatos hæreticos convinceret, Concilium congregare curavit: sed in suà pertinacia persistentibus Heriberto, & Lisojo igni traditi fuerunt; ex Baron. anno 1017.

III. Hermas, fuit unus ex primariis Manetis discipulis; ex S. Epiphan. hæres. *66*.

IV. Hermias, natione Galata, unus ex Massalianorum Ducibus, unà cum Seleucio pariter Galatà, circa ann. 380. sequentes promulgavit errores, quorum sequaces dicti sunt Herminiani, sivè Hermiatithæ; ex Philast. de hæres.

1. Dicebat baptisma nihil prodesse, sed solam orationem dœmonem fugare. Repr: Pluribi in hoc opere, ubi de necessitate, & virtute baptismi actum est contra plures alios hæreticos: circa orationem. R. verbo *Adelfius*.

2. Baptizabat non in aquà, sed in igne, desumpto motivo, ex illis verbis: Matth. 11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne*. R. Nam solum baptismum in aquà esse à Christo institutum constat, ex his quæ alibi de hoc Sacramento dicta sunt. Tum quia baptismum fieri debere in aquà, patet ex verbis Christi præcipientis Apostolis ut baptizarent: verbum autem *Baptizo*, significat immergere, lavare; nemo autem lavatur igne, sed aqua. Tum quia baptismum esse à Christo institutum in aqua, exprimit Paulus ad Ephes. cap. 5. *Mundans eum lavacro aquæ*; constat ex Act. Apost. cap. 8. vers. 38. *Et descenderunt uterque in aquam Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum*. Insuper Act. 10. vers. 35. probatur baptismum institutum fuisse in aquà. Per illa autem verba: Matth. 2. non significatur baptizandum esse in igne materiali; sed, quòd

quòd baptismus à Christo institutus, conferre habet gratiam Spiritus sancti, & infundere virtutes Thologales, quarum eminentior est charitas, quæ igni comparatur. Vide verbo *Jacobitæ*.

3. Malum dicebant aliquando esse à Deo, al quando à materia. Repr. Nam Deus summè bonus non potest producere malum effectivè; repugnat enim essentiæ Divinæ, quòd possit producere malum, ut constat ex iis quæ dicta sunt verbo *Arnald. Brix.* Dicitur quidem Isaiæ 45. *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum*, sed id dictum est de malo pœnæ, quia mala est hominibus, quibus infligitur propter peccata, alioquin malum nihil est, nec est creabile, ut probat S. August. lib. 12. de Civit. Dei. Item Deus neminem provocat ad malum, ut dictum est contra *Blastum*; neque diei potest materiam esse causam mali, cum materia sit ereata à Deo in suo esse bona. Vide verbo *Blastus*, *Gnostici*.

4. Materiam elementarem non esse factam à Deo, sed esse Deo coæternam, eo quòd negaret Deum posse facere aliquid ex nihilo. R. Primò ex Scripturis, Genesis 18. *Numquid Deo est quidquam difficile?* Num. 11. *numquid manus Domini invalida?* Job 42. *Scio quia omnia potes*. Jerem. 32. *Non erit tibi difficile omne verbum*. Matth. 19. *Apud homines hor impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt*. Est autem infinita hæc Dei virtus, & potentia, quippe quæ non distinguitur ab ejus naturà, & essentia, quæ procul dubio infinita est. Hùc spectat illud Psalm. 144. *Magnitudinis ejus non est finis*, & Baruch. 3. *Magnus est, & non habet finem*. A ratione etiam reprob. nam Deus est ens perfectissimum, sed perfectissimum non esset, si careret virtute, & potentià infinita; ergo &c. Addendum, quod nihil est coæternum Deo, qui in principio temporis ex nihilo ereavit cælum, & terram, & omnia quæ in eis sunt; si enim aliquid esset Deo coæternum, Deus non esset Deus, quia non esset ens, quo melius cogitari non potest; posset enim cogitari aliquod ens melius, & perfectius, illud nimirum, quod nihil haberet sibi coæternum; & illud ens Deo coæternum esset Deus, quia cum à nullo produceeretur, esset ens à se, ac proindè daret sibi esse perfectissimum, quod est Deus.

5. Somnia vocabat Prophetias. R. Nam in tali casu, omnis homo esset Propheta, imò cum somniare sit operatio phantasiæ, & etiam bruta animalia quædam, maximè canes, & leones somniare constet experientià, dicendum foret etiam animalia prophetizare.

6. Animam rationalem non esse factam à Deo; non spiritum, sed terram esse blaterabat, nec esse immortalem dicebat. Repr. verbo *Apocaritæ*, *Arabes*. Item animam hominis esse spiritualem, constat expluribus Scripturæ locis, ubi anima spiritus vocatur. Tum quia anima intelligit spiritualia, ergo esse debet spirualis, hoc enim fieri nequit nisi media potentià spirituali. Tum quia, omnia quæ sunt purè materialia, solùm intendunt ad sui conservationem, & non investigant summum bonum in æternum possidendum, quod prastat homo; ergo homo debet habere animam spiritualem, quandoquidem ad finem purè spiritualem anhelat. Demum libertas non competit materialibus, sed spiritualibus; ergo homo libertate donatus, debet habere animam spiritualem. Quòd autem anima rationalis à Deo creatur. Vide verbo *Tertullianus*, *Arabes*, *Gregorius Pauli*, *Augustinus Marloratus*, *Bagnolenses*.

7. Salvatorem expoliasse carnem, antequam in cælum conscenderet. Rep. verbo *Apellitæ*.

8. Dixit Christum non sedere ad dexteram Patris. R. Ex Symbolo Apostolorum. Ex illo Psalmi: *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis.* Item ex act. Apost. ubi legitur D. Stephanum vidisse Jesum stantem à dextris virtutis Dei. Marei ultimo: *Dominus quidem Jesus, postquam loquutus est eis, ascendit in cælum, & sedet à dextris Dei.* Joann. 20. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*. Nec obest, quod legitur: *In sole*

sole posuit tabernaculum suum. Hinc enim non evincitur Christum esse in Sole, ut volunt hæretici isti, sed significatur gloria plenissima, quam habuit Christus glorificatus: & mysticè Ecclesia; sicut & Beatissima Virgo.

9. Deum esse corporeum. R. verbo *Antropomorphitæ*.

10. Angelos esse creatores animarum nostrarum. R. verbo *Bagnolenses*.

11. Mundum istum infernum esse asserunt, & nullum alium infernum inveniri. R. verbo *Albigenses*, *Almaricus*, *& Ampulianus*.

12. Resurrectionem in sola filiorum procreatione consistere prædicant. Rep. verbo *Ærarius*, *Basilidiani*, *& Chiliastæ*.

XIII. HERMANNUS PONGILUPUS, Patriâ Ferrariensis, creditur auctor sectæ Fraticellorum, cujus corpus viginti post annos ab ejus decessu Ferrariæ exhumatum, combustum fuit jussu Bonifacii VIII. circa ann. 1297. proindè Hermanni sectatores dicebant nec Bonifacium, nec aliquem ex ejus successoribus fuisse canonicè electum. Hermannus ab Inquisitoribus convictus, abjuratâ ore, non corde impietate, specimen sanctitatis per hypocrisim præbuit, quapropter in suâ decedens hypocrisi, plurium sibi venerationem ita conciliavit, ut post mortem etiam Altaria in ejus honorem Ferrariæ erecta fuerint; expositâ insuper in Ecclesiâ Cathedrali ejus imagine publicæ venerationi. Sed tandem hypocrisi, in quâ decessit, & hæresi detectâ, factum est ut dirutis ejus Altaribus, exhumatæ cineres comburerentur. Vide verbo *Fraticelli*, *& Bizochi*. Ex Spond. ann. 1297.

XIII. HERMANNUS RISVICH, natione Batavus, dictus etiam Holandinus, in multos errores lapsus, monitus eosdem abjuravit, & Magistratus misericordiâ ad perpetuos carceres Hagæ fuit damnatus; sed cum è carcere aufugisset, iterum pristinos revocavit errores, aliosque de novo promulgavit; sed iterum captus per hæreticæ pravitatis Inquisitores, sic est affatus. Ego quidem Christianus natus sum, sed jam à Christianismo defeci, quòd omnes Christianos amentissimos esse judicem. Homo adeò obstinatæ, & obduratæ cervicis, meritò igni fuit adjudicatus anno 1512. Ex Spondan. ejus errores sunt sequentes.

1. Angeli sivè boni, sivè mali non sunt creati à Deo (quia dicebat) hoc Scriptura nullibi asserit. R. Quatenùs videtur negare Angelos existere. Verbo *Dosithæus*, ubi probatur Angelorum existentia. De Angelis autem Scriptura pluribus in locis mentionem facit, ut constat Genesis, cap. 19. vers. 1. cap. 22. vers. 11. Judith. cap. 13. vers. 20. Matth. cap. 18. vers. 10. cap. 26. vers. 55. Tob. cap. 12. vers. 19. & in lib. Psalm. etiam sæpè de Angelis fit sermo, quos à Deo esse creatos certum est, cum ipse sit Creator omnium; & nihil possit dare sibi esse; nec aliud sit principium à quo sint, præter Deum. Creationem Angelorum continet liber Genesis juxta communem expositionem in verbis illis: *Fiat lux*, quæ scripta sunt posteris spiritualia intelligentibus, cum rudi populo tunc ea annuntiare non oporteret. Deindè *Angeli Dei* appellantur passim in sacris litteris, cum tamen Dei non essent, nisi illos creasset, omne enim dominium morale supponit necessariò physicum, quod consistit in creatione. Vide D. Thom. 1. part. quæst. 61. art. 1.

2. Animam cum corpore mori. Rep. verbo *Arabes*.

3. Nullum esse infernum. Rep. verbo *Albanenses*.

4. Materiam elementarem non esse à Deo factam, sed esse Deo coæternam. R. verbo *Hermogeniani*.

5. Christum (proh orrenda, & inaudita blasphemia) fuisse stultum, & damnasse universum mundum. Non indiget reprobatione hæc insania. Cæterùm Christi sapientiam proclamant sacræ paginæ, sicut etiam fuisse universi orbis Redemptorem, constat ex universâ historiâ Euangelicâ, & pronunciarunt penè omnes Prophetæ in veteri Testamento.

6. Christum negabat esse Filium Dei: omnia quæ gessit esse rectæ rationi contraria. R. verbo *Cerinthus*, & alibi, ubi Divinitas Christi comprobatur; quæ

 autem

autem gessit esse rectæ rationi consona, & nonnisi Divinam redolere sapientiam, plures Ethnici professi sunt; tanta enim est sapientia, quæ lucet in lege Euangelicà, & in illis, quæ Christus gessit, ut uno ore, & eodem calamo omnes rationis compotes (si fide illuminati) professi sint, Christum esse increatam sapientiam.

7. Negabat Moysen à Deo legem accepisse in Monte Synai. R. Scripturæ testimonio, ubi universa Moysis historia refertur.

8. Fidem nostram fabulosam esse.

9. Euangelium nostrum fabulosum esse, quòd qui potuit sinè Incarnatione creare Mundum, eundem quoque salvare, sine Incarnatione potuerit. Rep. Nam Euangelium nostrum est verbum Dei, qui veritas est; & licèt sinè Incarnatione Mundum salvare Deus potuisset, voluit tamen incarnari propter digna motiva, de quibus fusè agunt Theologi, expresè tractantes de motivis Incarnationis, in quà præcipuè apparet Dei bonitas, & justitia. Vide præ aliis D. Thom. 3. p. tota. q. 1.

XVI. Hermannus Bodius, secta Lutheranus in commentario, asserit hæreticos, quamvis in errore pertinaces, non esse pœna mortis puniendos. Repr. verbo *Confæderati*. Item Deuter. 17. constat hæreticos esse puniendos. *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, decreto judicis morietur: & auferes malum de Israel*. Actorum 13. Elymas Magus, cupiens avertere Proconsulem à fide, excæcatur. Ad Tit. 3. *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est*.

II. Hermogeniani, ab Hermogene, qui erat picturæ studiosus, originem habuerunt: fuit natione Afer, & ex Christianis transiens ad Philosophos Stoicos, plura docuit contra veritatem Catholicam, innixus Stoicorum principiis. Scripsit contra Hermogenen Dosithæus Episcopus Seleuciæ; Tertullianus quoque librum unum edidit contra Hermogenem, cujus sectarii dicti sunt etiam *Materiarii*. Inter erroneas Hermogenis opiniones, unà erat, quà asserebat Christi corpus iterum reversurum in solem, à quo corpus assumpsisse dicebat, effutiens etiam materiales esse animas: sed Christum in utero Virginis verè incarnatum, constat ex his, quæ dicta sunt contra *Albanenses*; & de Christi corpore reversuro in solem, dictum est contra *Hermiam*. Quòd autem hominis anima non sit materialis, sed spiritualis constat ex sacra Scriptura, in qua homo dicitur ad imaginem Dei factus, quod homini convenit ratione animæ, quæ est spiritualis; ratione enim corporis nullam potest habere cum eo, qui spiritus est, similitudinem: ex ipsis animæ operationibus etiam patet animam esse entitatem spiritualem. Talem esse profitentur omnes Sancti Patres. Tum quia si anima non esset spiritualis, homo non esset præstantior cæteris animantibus. Tum quia omnis receptio fit per modum recipientis, quòd si anima hominis esset corporea, non posset homo recipere spiritualia. Tum quia qualibet materialis potentia habet objectum determinatum, in quod tantummodò fertur, sic potentia visiva solùm fertur in coloratum, auditiva in sonorum, sed anima fertur in plura objecta; ergo non est corporea. Demùm libertas non competit materialibus, sed spiritualibus. Homo est liber, ergo habet potentiam spiritualem, nempè animam. Vide S. Thom. p. 1. q. 75. art. 1. & 6. Vide quæ dicta sunt verbo *Hermias*.

2. Dixit materiam esse Deo coæternam, & ingenitam. R. Genes. 1. *In principio creavit Deus cælum, & terram*. Exod. cap. 20. vers. 11. ex Psalm. 89. *Priùs quam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, tu es Deus*. Tum quia Deus: *Elegit nos in Christo ante mundi constitutionem*, ut asserit Apostolus ad Ephes. cap. 1. vers. 4. Item Joann. 17. *Clarifica me Pater claritate, quam habui priusquam mundus esset*. Psalm. 101. *Initio tu Domine terram fundasti &c.* Tum quia nihil est à se nisi solus Deus, mundus autem non est Deus, sed opus manuum Altis-

Altissimi. Item ex sac.pag. constat, quòd Mundus immutabitur, Deus autem nequit esse mutationi obnoxius. Tum quia creatio dicitur productio omninò ex nihilo, si autem præcessisset materia, Mundus non esset ex nihilo, sed esset ex ipsa præexistente materià, & consequenter non esset intelligibile, quà ratione Mundus fuerit creatus.

3. Tres personas Sanctissimæ Trinitatis confundebat, ut defenderet unitatem. R. Nam Deitas ità est unitas substantiæ, ut distinctionem personarum non excludat, aliàs unitas ipsa infinita non esset, cui infinita bonitatis communicatio deesset: neque summè fœlix Deus esset, qui solitarius esset. Tum quia Filius generatur, Pater generat, Spiritus sanctus spiratur; Pater & Filius spirant, quod videtur non negare, operationes admittens, & personas confundens. Ergo de facto tres personæ distinctæ in Divinis esse debent; cum eadem non possit esse potentia generans, & genita, spirans, & spirata. Vide verbo *Bogomilli*.

4. Salvatorem negabat esse Filium Dei. R. Ex illis verbis: *Hic est Filius meus dilectus*. Paulus asserit, Deum dedisse Filium suum Unigenitum in Redemptionem nostram. Tum quia in Christo una est persona scilicet Verbi; Verbum autem est Filius Dei; ergo Christus est Dei Filius. Tum quia si Salvator non esset Dei Filius, esset purus homo, sed Christus est homo Deus, ut probatum est contra Cerinthum, ergo &c.

5. Omnem intellectum Spiritui sancto eripiebat. R. Nam in Spiritu sancto est tota essentia Divina. Tum quia de Spiritu sancto dixit Christus, *Quòd doceret nos omnia*; & si Spiritus sanctus non intelligeret, neque esset persona Divina; demùm Spiritus sanctus est Deus, ergo &c.

IV. Heron Avunculus Juliani apostate, Thæbarum apud Ægyptios creatus Episcopus, ad veterem superstitionem à Christianismo defecit, paulò post medium seculi quarti. Templum Antiochiæ, unà cum aliis suæ perfidiæ sociis devastans, sacra vasa profanavit: quare incognito morbo correptus, ità abominabile factum est ejus corpus, ut in viam projectum, ibidem tamquam canis expiraverit. Ex Pratelo.

XVI. Heschusius nomine Tilmannus, Jenæ in Saxonià libellum edidit contra Sacramentarios. Boquinus Arianum fuisse, Calvinus Servetianum autumant; homo seditiosissimus, appellatus communiter flabellum seditionum, propterea è multis Germaniæ Civitatibus ejectus, sicut plures hæretici de variis eundem erroribus accusando, contra Hescusium scripserunt, & ipse vicissim accusatores suos exagitavit & difamare studuit. Pluribi minister constitutus in Saxonia, & Germania; propter irrequietum semper animum, fuit expulsus: homo pervicacis, & obstinatæ opinionis, nonnisi sui plenus, anno 1588. ætatis 62. decessit. Ex Spondan. anno 1660. accusatur communiter quòd dixerit.

Trinitas est unitas. R. Nam licèt una sit Trinitas, non tamen dici debet quòd Trinitas sit unitas, eo nimirùm sensu, quo aut æquivoca evadat locutio, aut errorem insinuet. Canimus quidem nos cum Ecclesia. *Tu Trinitatis unitas*. Et sensus Catholicis apertus est; nempè unitas essentialis, sivè naturæ Trinitatis. Si tamen talitèr propositio sonet ut de formali (ut cum Scholasticis proùt oportet loquar) unitatis ratione Trinitas prædicetur, error erit, quia ipsa unitatis simplicissimæ ratio negabitur. Si verò de trina formali personarum ratione prædicatur unitas, ablegabitur vera personarum distinctio. Ideò in homine hæretico ille loquendi modus non est tolerandus.

V. Hæsitantes. Iidem ac Acephali, sic dicti, quia sub falsis prætextibus Concilium Chalcedonense recipere recusabant. Vide *Acephali*.

XVI. Heterodoxus. Sub hoc nomine hic peculiaritèr intelligitur, minister quidam ex Calviniana secta, qui proprio suppresso nomine se Abbatem dictitat, in cujusdam libri ab ipso edit frontispicio,

picio, in quo libro quinque temerarias propositiones, quæ cum Jansenianis coincidunt, propugnat. Hunc hæreticum impugnat Petavius in appendice ad librum 13. de Incarnatione.

XVII. Hicmannus. Nobili genere natus, natione Anglus, ineunte seculo decimo septimo, Origenis errores de futura dœmonum, ac reproborum salute instauravit, editis scriptis quæ Regi Angliæ patefecit. Ex Coccio.

Hidroparastatæ. Iidem sunt ac Aquarii.

III. Hierarchitæ. A Hierarce, sivè ut placet Hilario lib.6. de Trinitate, Hierarcha, ex Leonte Ægyptio originem habuerunt circa annum 297. Vir in Græcis disciplinis non mediocriter eruditus, astronomiæ, & magiæ deditus, sua vanitate impulsus, in varios impegit errores. Multa ex Origenis erroribus mutuatus, ad quæ confirmanda, plura allegoricè scripsit. Hierarchitas, Philastrius cap.85. nominat Abstinentes, & adhuc viguisse suo tempore hanc sectam, tam in Gallia, quàm in Hispania, scriptum reliquit.

1. Dixit solam animam resurrecturam, non verò corpus. Rep. verbo *Basilidiani*. Item ex Symbolo Apostolorum, ex Symbolo D. Athanasii, & pluribus aliis Scripturæ testimoniis, ubi expressè asseritur totum hominem resurrecturum, scilicet cum anima, & corpore. Nec valet dicere illud Job.cap.14. vers.12. *Sic homo cum dormierit, non resurget*. Nam ibi Propheta asserit resurrectionem non futuram usque ad diem extremum, subdit enim immediatè, *donec atteratur cælum*. Nec valet instare, cælum numquam debet atteri, ergo numquam fiet resurrectio; nam cæli, licèt non sint atterendi, quo ad substantiam, atterendi tamen sunt quo ad exteriorem faciem; nam de hac externa cæli atteritione loquitur Euangelium, Matth. ultimo, & D. Petrus epist.2. cap.3.vers.10. sed & ipse Job, ait se resurrecturum, & in carne suà Deum visurum.

2. Pueros ante usum rationis morientes non salvari. R. Nam pueros decedentes cum baptismo salvari, asserit Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap.1. Viennense sub Clemente V. Trident. sess.2.can.13. Tum quia alibi ostendimus baptismum delere culpam originalem, quæ sola potest obstare, quin pueri salventur; ergo decedentes cum baptismo salvantur. Insuper Christus præcepit ut parvulos ad se venire sinerent, quia ipsorum est regnum cælorum, sicut constat Matth. 19. vers. 13. & 14. Tum quia, Circumcisio proderat non modò adultis, sed etiam parvulis; immò fœminæ infantes solà parentum fide actionibus explicità sanctificabantur; ne exclusæ remanerent à regno, quæ excludebantur à Sacramento. Sacramentum autem Baptismi pro utroque sexu est institutum, in quo non jam operantium opera, sed operatum ipsum gratia consequitur. Num potentiora erant veterum opera ad salvandos parvulos, quàm opus Christi? Insuper Deus vult omnibus salutem, sed hoc falsum esset, si infantes non obstante baptismo, non possent salvari. Vide verbo *Anabaptistæ*, contra quos probatum est baptisma prodesse parvulis. Baptismus sanguinis, remittit originale; ergo idem dicendum de baptismo aquæ, etiam si parvuli fidem propriam non habeant, quam requiri ad validitatem baptismi asserunt hæretici, undè sustinent baptismum non prodesse parvulis, illa enim verba: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit*, non significant requiri fidem in parvulis, sed in adultis, de quibus ibidem Christus loquebatur. Quamvis etiam verum sit parvulos credere secundùm habitum quidem, quia infunditur ipsis à Deo in baptismo: secundùm actum verò, cum eorum vice actus fidei elicit Ecclesia, quæ pro ipsis, quos generat Christo, acceptat baptismum Christi, ut mater. Si enim actus parentum nomine filiorum rationis incapacium, pro eorum tempore commodo, in jure humano computantur, quantò magis actus matris ecclesiæ à Christo constitutæ pro filiis in rebus æternæ salutis Deo erunt accepti.

3. Negat extremam Unctionem esse Sacra-

Sacramentum. R. ex Concilio Cabilonensi, 2. can. 48. ex Florentino sub Eugenio IV. ex Trident. sess. 14. de Sacramento extremæ Unctionis, can. 2. Item Marci cap. 6. vers. 13. legitur, quod Apostoli ungebant oleo ægrotos, & eos sanabant; quod certè, nonnisi præcipiente Christo fecisse dici potest. Huic autem Unctioni adnexam esse collationem gratiæ, & consequenter extremam Unctionem esse Sacramentum, constat ex epistolà canonica S. Jacobi, cap. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Ex quo textu patet extremam Unctionem esse Sacramentum; reperitur enim materia, forma, & effectus, scilicet gratia. Et licèt hujus Sacramenti non fiat expressa mentio ab Euangelistis, non tamen hinc potest deduci non esse Sacramentum; fides enim nostra non soli Scripturæ innititur, sed potissimum traditioni; multa enim Christus fecit, dixit, & præcepit, quæ scripta non sunt; ut asserit Joannes cap. 20. vers. 30. Quamvis autem plures infirmi post unctionem non sanentur, non propterea putandum est sacram Unctionem corporali etiam saluti non prodesse, aut inutilem esse; quia promissio sanitatis corporalis, est solùm effectus secundarius hujus Sacramenti: hinc non omnes infirmi uncti sanantur. Tunc enim solùm sanantur, cum Deus sic expedire judicat, sed primarius effectus hujus Sacramenti, qui est conferre gratiam, ad vincendas tentationes in conflictu mortis, semper habetur, dummodò suscipiens nullum ponat obicem, & sit dispositus, saltem habitualiter; ut de Christianis semper præsumitur.

4. Nuptias non esse licitas. R. verbo *Adamitæ*, & *Encratbitæ*.

5. Solos cælibes, & non conjugatos salvari. R. Quandoquidem plures sanctos conjugatos veneratur Ecclesia; Christus nullibi prohibuit matrimonium, imò extulit ad dignitatem Sacramenti: demum in hac sententia Deus non vellet omnes salvos fieri, quandoquidem non possunt omnes cælibes vivere; neque expediret humanum genus propagari, sed potius extingui. Plura de matrimonio docuit Apostolus epist. 1. ad Corinth. 7. & S. Petrus epist. 1. cap. 3. imò ipse Dominus. Matth. 5. & 19.

6. Usum animatorum, & vini potum prohibebat. R. verbo *Encratbitæ Græci*.

7. Verbum Dei dicebat non esse lumèn, sed lucernam de lucernà in duas partes divisà; nesciens enim Unigeniti nativitatem, unius lucernæ, duo lumina prædicavit. Hoc inepto modo loquendi excogitans divisionem Divinæ substantiæ, similem ei, quæ fit, cum lampas duobus inter se communicantibus lychnis instructa, duplex lumen profundit.

IV. Hilarius, de quo agit Baron. ann. 359. ex Ecclesiæ Romanæ Diacono factus Luciferianus, ad schisma Luciferi adjunxit Anabaptismum, pro his qui extra Luciferi Ecclesiam baptizati fuissent; Cum igitur consopitam, ac planè damnatam de rebaptizandis hæreticis sententiam iterùm suscitasset, ab Ecclesià cum suis sequacibus iterum damnatus fuit, licèt pro doctrinæ Catholicæ defensione, multum laborasset sub Constantio Imperatore, ad quem à Liberio Papa legatus fuerat ad Concilium Mediolanense, in quo renuens subscribere damnationi S. Athanasii, flagellis cæsus, etiam in exilium pulsus, tantà confessionis glorià futurus illustris, si hinc superbæ elationis occasionem nactus, spernens eos, qui persecutionis timore correpti, cæciderant, non solùm cum Lucifero schismate se ab Ecclesia separasset, sed, & hæresim non addidisset, scribens nullatenus hæreticorum baptismum esse recipiendum. Hunc Hilarium, ob rebaptizationem Hieronymus *Deucalionem orbis* appellavit. Verùm neque ex Schismaticis ipsis, aliquem habere potuit sectatorem; quare unà cum Hilario, etiam interiit ejus secta. Circa reiterationem baptismi reprobatur verbo *Agripiniani*, & *Hemerobaptistæ*. Circa non recipiendos cum dignitate lapsos pœnitentes, R. verbo *Luciferiani*.

IV. Hi-

IV. Hilarius Arianus, de quo agit S. August. lib. 2. retract. viguit circa annum 400. Detrahebat concinentibus laudes Christi in Ecclesia. R. ex Scriptura, quæ sæpè nos invitat ad concinendas Dei laudes: sicut maximè constat in libro Psalmorum. Item Apostolus ad Coloss. 3. *Docentes, & commonentes vosmeptisos psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus*. De hymnis in Ecclesia canendis, plura extant Concilia, quæ per expressos canones, cantum Ecclesiasticum stabilierunt, inter quæ Toletanum 4. Senonense sub Clemente VII. sed & Angeli nascente Domino cantabant: sæpè auditi sunt Angelorum chori psallentium Domino; Item ex lib. Actor. cap. 16. vers. 25. constat consuevisse Apostolos alta voce concinere Dei laudes; legitur enim, *quod media nocte Paulus, & Silas orantes laudabant Deum, & audiebant eos, qui erant in custodia*. Ex illo autem Matt. 6. vers. 7. & 7. non prohibetur à Christo cantus, sed prohibetur oratio facta cum ostentatione, & vanà glorià, quemadmodùm faciunt hypocritæ.

V. Himericus, secta Nestorianus, Nicomediensis Episcopus, subcripsit epistolam unam, cum aliis suæ impietatis sociis, quorum nomina recensentur à Baronio, ann. 431. in qua Nestorianum dogma propugnabatur.

XVI. Hofmannus Melchior, referente Lyndano, ex simplici artifice in Livonia prædicationis munus assumens, per Regem Danimarchæ minister constitutus, circa annum 1527. in frustrà sese opponente Luthero, Zuinglii errores promulgans, asserebat extremam judicii diem futuram anno 1734. A Ministris Lutheranis, præcipuè à *Marcardo Frecher, & Sculdorpio* confutatus, & confusus; persistens nihilominus in suà pervicacia, ejectus alibi se recepit, ubi dogmatizare non cessans, Straburgi discipulos plures accivit. Ejus sequaces Hofmannum Eliam esse, qui præveniret judicium extremum, affirmabant, quare unà cum *Poltermano*, qui se Henoch esse jactabat carceri mancipatus, circa annum 1533. decessit: ejus errores sunt sequentes.

1. Christum non assumpsisse carnem ex Virgine, sed ex se factum esse carnem. R. verbo *Albanenses, Balthasar Pacimont*.

2. A gratia semel voluntariè peccando cadentem, numquam ad gratiam restitui. R. Nam in hoc statu, nulla esset spes salutis peccatoribus, quos Christus venit vocare ad pœnitentiam, pro quibus instituit Sacramentum pœnitentiæ. Peccatorem contritum consequi gratiam, ostenditur ex Scrip. Ezech. cap. 18. *Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor*; quam veritatem confirmat Conc. Later. Cap. *Firmiter* Tum quia nulla est ratio convincens dari peccatum irremissibile, prætèr finalem impœnitentiam, quia Deus plus potest dimittere, quàm homo peccare. Creaturæ pœnitenti promisit Deus remissionem cujusque peccati; non enim Deus vult mortem peccatoris, sed vult ut convertatur, & vivat, undè & Dominus docuit Petrum septuagies septies, id est infinities peccatoribus dimittere.

3. Salutem nostram esse in nostris viribus collocatum. R. Nam licèt requiratur cooperatio nostrà ad salutem, attamen certum est neminem nisi dono gratiæ posse bona opera efficere, per quæ mereatur ætatem salutem, quæ veritas sæpe confirmatur in sacris paginis, & exclamat Apostolus: *Gratia Dei mecum*: & alibi: *Non enim sufficientes sumus facere aliquid ex nobis*. Quòd si salus nostra solummodò in nostris viribus esset collocata, etiam Deo invito posset homo regnum cælorum acquirere. Tum quia ad obtinendam salutem, quæ est finis supernaturalis, necessaria sunt media proportionatà fini, scilicèt opera supernaturalia: Sed vires nostræ, in se præcisè spectatæ, sunt naturales, neque possunt opera supernaturalia efficere, perquæ acquiratur finis supernaturalis, nisi eleventur, & adjuventur media Dei gratiæ: ergo salus nostra non est in solis nostris viribus collocata.

Ho-

Holandinus. Vide *Hermannus Risvich*.

Hominum Intelligentium secta. Vide *Ægidius Cantoris*.

IV. Homoncionistæ. Sic dicti eo quòd Christum non nisi hominem esse affirmarent, de quibus mentionem facit S. Aug. Serm. 24. ex addit. fragm. in novis impress. R. verbo *Cerinthus*.

VI. Homoncionistæ. Illi sunt qui dicunt in corpore hominis esse imaginem Dei, non in anima: de his agit Sirmundus hæresi 76.

VII. Homur. Discipulus Mahometis, sepulchrum in honorem sui Magistri adornavit, ibique mansit usque ad suum decessum, primus Mahometis successor in ea fatu Mahometano. Ex Bar. anno 630.

V. Homousiastae. à Marcionitis derivarunt circa initium seculi 4. Animam humanam ejusdem cum Deo essentiæ asserebant. Ex Theodor. hæret. fab. lib. 1. R. verbo *Dicarita*.

V. Honericus. Circa annum Domini 496. acerrimus Arianæ hæresis propugnator, & Orthodoxorum persecutor apparuit Honericus Vandalorum Rex, qui 344. Episcopos Catholicos in exilium relegavit, & omnem conatum adhibuit, ut Arianam hæresim dilataret, cujus impietates narrat Nicephorus lib. 17. cap. 11.

XVI. Hortenses. Iidem sunt, ac Clancularii, qui eo quòd in hortis convenirent, dicti sunt etiam Hortenses. Ex Gaule. sec. 16.

XVI. Hortensius Landus. Ex Coccio. Factus apostata ab instituto Religioso, quod professus erat, & à fide, ut Calvinismum sequeretur circa medium seculi 16. librum composuit, in quo Clericorum, & Monachorum tonsuram persequitur. R. Ex antiqua praxi, quæ tonsuram crinium commendat, vitam mundissimam indicantem, ut refert Dionysius Areopagita in Ecclesiastica Hierarchia cap. 6. Synodus Nicæna habita initio quarti seculi Canone 76. præcipit tonsuram crinium Religiosis. De crinium tonsura agit Athanasius lib. de Virginitate. Ephiphanius hæresi 80. Gregorius Nazianzenus Oratione 12. Justinianus Imperator de Monachis cap. 2. quare igitur improbent hæretici tonsuram, quam opere, & scriptis commendarunt Religiosissimi viri, & Sanctissimi PP. in Conciliis?

XVI. Hornus. Pseudo-Episcopus Wintoniensis in Anglia, prolixè scripsit ad probandum supremam auctoritatem in caussis etiam merè Ecclesiasticis, competere Regi, contra quem doctissimè rescripsit Thomas Stapletonus. R. verbo *Anglo Calviniani*, *Apologetici*.

XIV. Hugo Aubriotus, Præfectus Parisiensis, natione Burgundus, potens, & dives, convictus turpissimæ libidinis, etiam cum fœminis Judæis, odii in Ecclesiasticos, contemptus Sacramentorum, & multarum aliarum hæresum, igni damnatur, precibus tamen Principum, mitigatà pœna, ad perpetuum carcerem; intèr seditiones populares carcere eductus fuit. Ex Spond. an. 1381.

XVI. Hugo Latimerus. Ex Comitatu Leicestrensi in Anglia, Calvinianam hæresim Cantabrigiæ docuit; ab Henrico Rege, proptèr hæresis suspicionem, de Wigorniensi Episcopatu deturbatur, Anglos siquidem in fide suis concionibus corrumpebat. Mortuo Rege iterùm suis falsis concionibus vulgum imperitum dementare est aggressus: fuit Religionis, & Ecclesiæ Romanæ hostis; proindè in carcerem sub Regno Mariæ pulsus, cum aliis suæ impietatis fautoribus, vivus comburitur; ætatis annorum 80. Ex Spond. anno 1547., & 1595.

XVI. Huconistae, sivè Hugonotes, illi sunt, qui dogmata sequuntur Luthero contraria, & potiùs Calvino adhærent. Incertum an ab Hugone quodam Ludi Magistello Parisiensi, an verò ab Hugone militiæ reformatæ in Galliâ Duce, nomen sortiti sint: certum est circa annum 1560., cœpisse Calvinianos in Galliâ dici Hugonotos, & deductum aliqui volunt hoc nomen à Porta Urbis Turonis, quæ Regis Hugonis appellatur, ad quam Calviniani suas conventiculas celebrare consueverant; Alii hoc nomen

men sumptum volunt, à voce federis Helvetici, quà se invicem *Eidgenossen* vocitant; male à Gallis pronunciata: alii à voce *Hens-Guenaus*, quod apud Helveticos significat homines seditiosos: qualitèr autem Hugonoti Urbes occuparint, cuncta cædibus, & rapinis compleverint, qualis, & quanta fuerit eorum audacia, quantos tumultus cierint, videre est apud Spond. ab anno 1560. usque ad annum 1629. Et apud Freschotum integro volumine. Insuper copiosè de Hugonotis scripsit Gabriel à Sacconai Sabaudus librum inscriptum: *Historia universalis motuum, & tumultuum ab Hugonotis excitatorum*; extat impress. Lugduni apud Michaelem Jove anno 1572.

XII. HUMILIATORUM SECTA. Fuit exagitata, ab Innocentio III., ut constat ex ejus constitut., unà cum Gazaris, Arnaldistis, & Pauperibus de Lugduno. Ejus sectatores Sacerdotale munus sibi arrogabant, Confessiones secretas excipientes, concionabantur, & à liberalibus artibus abhorrebant. R. Quoad primum quia ad Sacerdotale munus obeundum requiritur potestas Ordinis: quam Christus contulit solis Apostolis, & per ipsos aliis ab Apostolis successivè ordinatis, de quibus legitur Actorum 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Tum quia si unusquisque posset pro libito Sacerdotale munus perficere, jam non esset distinctio intèr Sacerdotem, & laicum, ex quo fieret confusio in populo. Tum quia, munus Sacerdotale est dignitas, nemo autem potest sibi dignitatem conferre, sed ab habente auctoritatem dignitas est suscipienda, ex quo sequitur non posse laicum Confessiones audire, concionari, & ea, quæ Ecclesiastici sunt muneris, peragere, hæc enim munera non nisi ab Ecclesiasticis, quibus colata est auctoritas possunt exerceri. Tum quia si simplex laicus posset Sacerdotale munus exercere, hoc possent, & mulieres. Vide verbo *Colliridiani*.

Reprobantur etiam *Humiliati* in eo, quòd à liberalibus artibus abhorrerent, quia artes liberales nempe Grammatica, Rethorica, Dialectica, Arithmetica, Musica, Geometria, Astronomia, & si quæ aliæ ad præfatas reducuntur, sunt naturales perfectiones humanæ mentis, quas ad gloriam Dei conditoris acquirimus; dedit siquidem Deus animæ rationali facultatem acquirendi connaturales perfectiones. Deindè præfatæ artes inveniuntur in sacris literis commendatæ, utpotè Musica, & Poesis, undè laudantur PP. apud Ecclesiasticum: *Requirentes modos musicos & narrantes carmina Scripturarum*. Rhetoricà usos fuisse Scriptores sacros, maximè Isaiam, manifestum est. Christum Dominum dialecticè locutum, probat S. Augustinus contra Cresconium. De Geometria extat sermo in libro Job. *Quis tetendit super eam* (idest terram) *lineam &c.*, & sic de reliquis. Deindè serviunt facultates istæ ad agnoscenda opera Dei, &. ad eum laudandum.

XVI. HUNNIUS Ægidius, secta Lutheranus, primus fuit,qui cœpit reprobare exorcismum, quo utitur Ecclesia potissimùm in baptismo, cum Parochus dicit: *Exorcizo te immunde spiritus &c.* Asserit itaque Hunnius, Christum non instituisse exorcismum, nec Apostolos exorcismum usurpasse, idemque concludit reprobandum esse omnem exorcismum. R. Marc.3. 15. *Dedit illis potestatem ejiciendi dæmonia*: Quod & præstitit Christus, sicut legitur Matth. 17. v. 17. Marc. 1. 25. Ipsumque Dominum exorcismo usum habemus Marc. 7. v. 34. Cum dæmon ratione peccati originalis habeat potestatem in homines, ideò Ecclesia utitur exorcismo antè baptismum, ut denotet, se auferre à dæmone potestatem quam habet in hominem baptizandum, qui licèt per baptismum liberetur à culpa originali, per exorcismum liberatur ab infestatione diaboli. De exorcismi potestate agit S. August. lib.2. contra Jul. Pelag. Chrysostomus Homilia de Adam, & Eva. Optatus Milevitanus lib. 4. contra Donatistas. Gregorius Magnus in lib. Sacram. S. Bernandus in vita S. Malachiæ.

XV. Hus-

XV. Hussitae. Hussitarum secta anno 1408. coepit invalescere, quae Valdensium, & Wicleffistarum errores revocavit, Duce Joanne Hus. Vox Hus anserem significat. Fuit Hus natione Bohemus. Ad exturbandos itaque Teutonicos, plura meditatus, cum universitatem Pragensem, excitatis motibus deturbasset, hinc audactior factus, linguà potens, & mundioris vitae falsa opinione clarus, venenum, quod jam pridem conceperat, palàm evomere coepit; sed huic malo occurrente Archiepiscopo Pragensi, qui Wicleffi libros publicè comburi jussit, etiam Joanni Hus, quò minùs falsam doctrinam promulgaret, interdixit. Hussus proindè Pragà excedens, in villa Hus originis suae secedens, ab impietate sua non resipuit. Decretum est contra Joannem Hus in Concilio Romano, anno 1412. sub Joanne XXII. ejusdem scripta comburi. Seditionis fonte ejecto per Regem Wenceslaum ab Urbe Pragensi, ejus sectatores pervicaciùs tumultuarunt: interim cum Joannes ad Concilium Constantiense accessisset, ibique, (tantum abfuit ut errores suos, sicut promiserat emendaret,) sua falsa dogmata promulgare auderet, carceri mancipatur; sed cum nihilominus in sua perfidia persisteret, vivus comburitur: quem tamquam Martyrem Hussitae honorarunt. Planè incredibilis est pertinacia, quà Hussus maluit vivus comburi, quàm, licèt ab ipso Bavariae Duce admonitus, resipiscere; affectavit martyris nomen apud suos sequaces consequi, proindè constantiam, & pietatem moriens simulavit. Cineres ejus in Rhenum projecti, nè ab ejus sectatoribus cultui exponeretur. Hujus haeresiarchae errores, numero triginta, à Concilio Constantiensi damnati fuerunt, quos omnes ut legitimos foetus suos agnovit, exceptis 4. 13. 14. 16. 18. quos à Joanne Wicleffo mutuatus erat. Longum esset retexere, quae in Hussitarum causa peracta sunt, quae adamussim refert Spondanus ab anno 1418. usque ad annum 1494. Missa haec facimus, ut operis brevitati propositae consulamus: sed circa errorum numerum, ne fiat confusio, advertendum Æneam Silvium, referentem Hussitarum errores, eosdem cum Thaboritarum erroribus confudisse: dum asserit Joannem Hus negasse Purgatorium, & Sacramentum Poenitentiae, & extremae Unctionis, pluraque alia dogmata Fidei Catholicae consona: sed licèt in hos, & consimiles errores impegerint Joannis Hussi sequaces, (qui posteà in factiones divisi, diversa sortiti sunt nomina, alii enim Thaboritae, alii Orphani, alii Philistaei, Idumaei, & Moabitae nuncupantur) certum tamen est Joannem Hussum, nequaquam praefatos docuisse errores concernentes praesentiam realem Corporis Christi; necessitatem Sacramenti Poenitentiae; agnitionem Sacramenti extremae Unctionis; existentiam Purgatorii; invocationem Sanctorum; sacrarum Imaginum venerationem; orationem pro defunctis, circa quae Hussum sensisse cum Orthodoxis ostendit Natal. Alex. in sua Historia Ecclesiastica sec. 15. Sunt ergo Thaboritae, & Orphani ab Hussitis propagati, qui novas addidere haereses erroneae Hussitarum doctrinae. Quantum verò colligere liquet ex Concilio Constantiensi sess. 15., genuini Hussi errores sunt triginta, praeter quos, certum est quòd scripsit contra Indulgentias, aedita disputatione anno 1412. contra Indulgentias Papales, in quà statuit, ac propugnat propositiones num. 18., quas videre est apud Natal. Alex. seculo 15. Licèt autem Hussitae errorem de necessitate communionis sub utraque specie profiteantur, hujus tamen erroris inventor non fuit Joannes Hussus, sed Petrus Dresdensis, de quo suo loco agimus, & Jacobellus quidam praedicando promulgavit. Verum quidem est, quod hunc errorem de necessitate communionis sub utraque specie Joannes Hussus non improbavit, imò approbavit in quaestione, quam Constantiae, priusquam in carcerem conjiceretur, conscripsit: *Utrum expediat laicis sumere Sanguinem Christi sub specie vini*, in quà quaestione docuit licere, & expedire, contra disciplinam Ecclesiae, quem errorem verbo

Bohemi confutavimus. Confutandus etiam verbo *Lutherus*, in eo quòd reprobavit indulgentias. Errores autem numero 30. à Concilio Constantiensi relatos, & proscriptos, refert Gaulterius seculo 15.

Ad quinque potissimùm capita reducuntur 30. præfati errores, per quos Joannes Hussus contendebat sustinere; Primò, in Ecclesia solos justos contineri, & ideò opera bona esse indifferentia ad salutem æternam, nec mala opera obesse electis, quia Deus absque ulla meritorum, vel demeritorum ratione salvat, quos salvare decrevit. Secundò, quòd publica prædicatio licet cuilibet homini, etiam seculari. Tertiò, quòd Papa non est totius Ecclesiæ caput. Quartò, quòd Ecclesia nullam habet potestatem in Christianos. Quintò, quòd nulla excommunicatio est timenda, quia Ecclesia non habet potestatem excommunicandi.

Hic attentè notandum, quòd aliquæ ex triginta propositionibus apparenter procedere videntur ex zelo contrà vitia Prælatorum, & Clericorum: non est tamen zelus secundùm scientiam, zelus enim discretus, ea peccata, quæ videt in domo Dei se non posse tollere tollerat & gemit; non possunt autem per vitia, & errores, ut conabatur Hus, alia tolli vitia, quia non in Beelzebub ejiciuntur dœmonia, sed in digito Dei, qui est Spiritus sanctus, volens, ut in corrigendo, modus habeatur prudentiæ: his præmissis, reprobationem 30. propositionum Hussi, quas ad quinque superiora capita supra reductas expressimus, breviter exhibemus.

1. Propositio. In Ecclesiâ soli justi continentur. R. ex Conciliis Carthaginensi, Bracharensi, & Constantiensi sessione decimaquinta, in quà damnatus fuit sequens articulus, scilicet: *Gratia prædestinationis est vinculum, quo Corpus Ecclesiæ, & quodlibet ejus membrum jungitur ipsi capiti insolubiliter, ita ut nemo possit esse in Ecclesia Dei, nisi sit justus, sanctus, & prædestinatus*; ex quo articulo damnato, sequitur, quòd secundùm mentem Concilii, Ecclesia continet justos, & peccatores, bonos, & malos, prædestinatos, & reprobos. Prob. Catholica veritas ex Christi parabola, Matth. 13. vers.47. ubi Christus assimilat Ecclesiam sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti: ex quà sagenà boni in fine mundi sunt separandi à malis. Tum quia, si Ecclesia constaret ex solis justis, Ecclesia esset invisibilis, cum nemo sciat an sit justus: nemo enim scit, an odio, vel amore sit dignus: item ex alia Christi parabola, quæ habetur Joann.15. v.1. *Ego sum vitis vera, & vos palmites*; ubi Christus asserit, etiam palmitem non ferentem fructum esse in vite, id est esse in Ecclesiâ tam bonum, quàm malum palmitem sub Christo capite. Demum Ecclesia est cœtus fidelium sub regimine Apostolici pastoris congregatus, sed inter fideles sunt boni, & mali, solum enim peccatum infidelitatis excludit à cœtu fidelium, ergo Ecclesia continet bonos, & malos; in qua Ecclesia, qui benè operantur, salvi fient, qui verò malè, damnabuntur; ex quo sequitur valdè curandum esse de bonis operibus, cum propter bona opera consequamur salutem, nec sint indifferentia, ut contendit Hussus. Necessitatem bonorum operum, quæ mediâ Dei gratia fiunt, ad salutem, proclamant Concilium, Arausicanum sub Felice IV. can.8. Lateranense sub Innoc. III. Trident. sess. 6. canon.32. Item, quòd bona opera necessariâ sint ad salutem constat ex sac. Scrip. Eccles. cap.16. vers.15. Secundâ Petri, cap. 1. vers. 10. ex Psalm. 17. vers.21. Sapient. 5. ad Corinth. cap.3. vers.8. *Unusquisque autem propriam mercedem recipiet secundùm laborem suum*; & secundà ad Timoth. cap.4. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex*. Tum quia si bona opera essent indifferentia ad salutem, nec mala obessent, jam totum civile commercium corrueret; omnes enim pro libito furarentur, homicidia committerent, & similia. Respicit itaque Deus in retributione ad

ad uniuscujusque merita, & demerita, quæ veritas ab ipsâ penè naturâ in omnibus inserta, retrahit homines à malo, & excitat ad bonum. Vide verbo *Assuritani*, *Augustinus Bohemus*.

2. Propositio. Publica prædicatio licet cuilibet homini, etiam seculari. Rep. ex Concil. Trident. sess.7. can.10. Item ex epist. ad Rom. cap. 10. ubi legitur: *Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur?* ex quo apertè colligitur, quòd nulli prædicare licet, absque missione. Hinc Christus elegit inter discipulos duodecim Apostolos, quos misit ad prædicationem sui Euangelii, ex quo infertur, quòd prædicandi officium est ministerium Apostolicum, & nequit exerceri nisi ab iis, qui habent auctoritatem, quæ auctoritas competit animarum Pastoribus, & per ipsos iis, qui à Pastoribus, delegantur ad pascendum gregem dispersum. Etiam in lege veteri, nullus Propheta prophetavit sinè missione, ut colligitur ex illo Matth. cap.23. *Jerusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt*. Insuper, si omnes Christiani possent liberè prædicare, superflua esset prædicatio, omnes enim essent Euangelistæ, & Doctores, sed hoc est falsum; legitur enim ad Ephes. cap. 4. quòd Christus: *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, & Doctores in opus ministerii*. Demum si omnes liberè possent prædicare, non haberetur in Ecclesia uniformitas doctrinæ in dogmatibus, quæ in tantùm incorrupta conservatur in Ecclesia, in quantùm illi soli, qui Catholicæ, solidæque doctrinæ sunt professores, ministerium prædicationis accipiunt à Prælatis. Textus autem Scripturæ, qui possent in contrarium adduci, interpretari debent de prædicatione privatà, non autem publicà: prædicatio autem privata, quæ in eo consistit, ut quis valeat proximum suum, maximè dum illum deficientem animadvertit, commonere, & ad bona opera hortari, utique unicuique est licita.

3. Propositio. Ecclesia nullam habet potestatem in Christianos. Repr. ex pluribus, & apertis sacræ Scripturæ textibus, ex quibus manifestè evincitur Superiores Ecclesiasticos habere auctoritatem præceptivam in subditos, quos etiam pœnis possunt coercere, si sunt transgressores; subditos verò teneri obedire mandatis Superiorum spiritualium, constat Deuteron. 17. 12. *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille*; Item Deuteron. cap.17. 10. *Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te*; ex novo Testamento reprobatur etiam hæreticale assertum, Matth. cap.18. vers.18. *Amen dico vobis quæcumque alligaveritis &c.* ad Rom. cap.13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit &c.* ad Hebr. cap. ultimo: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis*; ad Thessalon. 2. cap.3. *Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur*.

Tum quia politia temporalis habet potestatem condendi leges, quibus subditi tenentur obedire pro bono regimine temporali; ergo pro bono regimine spirituali, politia Ecclesiastica habet etiam auctoritatem condendi leges, quibus subditi obedire tenentur. Nec valet objicere Ecclesiam solùm posse præcipere, quæ expressè habentur in sacris paginis. Nam Divus Paulus plura præcipit, quæ non sunt expressa in Scripturà. Tum quia leges, cum debeant etiam temporibus accomodari, non esset rectè instituta politia Ecclesiastica, si pro necessitate temporis Ecclesia non posset opportunas leges statuere. Tum quia demptà auctoritate condendi leges, & suppressà obedientià subditorum legibus, statim corruit quæcumque politià. Auctoritatem condendi leges Christum reliquisse Ecclesiæ, & voluisse in subditis obedientiam, colligitur ex illo Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*. Item Matth. 23. *Quæcumque dixerint vobis facite*. Textus autem Scripturæ

pturæ adducti ab hæreticis, ad probandum Christi fideles liberos esse à servitute, intelliguntur de servitute peccati, de servitute legis Mosaicæ, à qua post Christi mortem liberati sumus. Vide verbo *Aeriani*, *Calvinus*.

4. Propositio. Papa non est totius Ecclesiæ Caput. R. Impugnatores supremæ potestatis Pontificiæ, proscribuntur in Concilio Constantiensi, sess.8. in Florentino sub Eugenio IV. Item ex sacra Scriptura probatur Papam esse totius Ecclesiæ Caput, Matth. 16. verf.17. soli enim Petro, & ejus successoribus constat Christum promisisse supremam Ecclesiæ potestatem. Joann-cap.21.verf.17. dixit Christus Petro: *Pasce oves meas*. Item Matth.16. soli Petro dixit Christus: *Tibi dabo Claves*. Virtute clavium, sivè primariæ jurisdictionis sibi collatæ S. Petrus suà auctoritate congregavit alios Apostolos ad eligendum Apostolum, quem sufficeret loco Judæ prævaricatoris; hoc autem fecit Petrus Jerosolymis ubi S. Jacobus erat Episcopus; ex quo evincitur auctoritas Petri, sivè Pontificis suprà omnes Episcopos, cui soli dixit Lucæ 22. verf.31. *Aliquando conversus confirma fratres suos*. Tum quia cum Ecclesiasticum regimen sit Monarchicum, ut probatum est contra *Flacianos*, sequitur Petrum, & ejus successores, esse totius Ecclesiæ caput visibile sub Christo, qui est primum, & invisibile caput Ecclesiæ. Vide verbo *Armeni*.

5. Propositio. Excommunicatio non est timenda, quia Ecclesia non habet potestatem excommunicandi. Repr. ex Concil. Constantiensi, sess. 8. Insuper Concilium Carthaginense IV. cap. 13. & Bracharense primum cap.33. sub pœna excommunicationis prohibet, ne aliquis communicet cum excommunicatis. Tum quia Ecclesia à tempore Apostolorum, semper consuevit uti censuris. Potestas excommunicandi concessa à Christo Ecclesiæ apertè colligitur ex illo Matth. cap. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*. Quod idem est ac dicere, sit tibi sicut excommunicatus; id est nullam habeas cum eo conversationem, aut in sacris communionem. Item, auctoritas excommunicandi colligitur, ex epistola ad Galat. cap. 1. verf.9. *Si quis vobis Evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit*. Excommunicationis autem finis, est Fidelium utilitas, ut cum gladio excommunicationis percussos se viderint, resipiscant. Hinc sequitur talem auctoritatem benè Ecclesiæ, licèt piæ Matri convenire, & fuisse concessam, ut excommunicati resipiscant, & perseverantes in pertinacia peccati, non habeant commercium cum aliis Christifidelibus; ne eos contaminent. Hussitarum hæresim iterum damnavit Martinus Quintus, anno 1418. Quod autem potissimùm contendebat Hussus erat auctoritatem Summi Pontificis omninò convellere; huc collimat ejus propositio, in qua asserebat, quòd in Ecclesia soli justi continentur, ex qua deducebat, quòd nullus præscitus est verus Papa: nemo autem scit an sit electus, vel præscitus; hinc sequebatur neminem dari posse verum Papam, unde sepè repetebat in suo tractatu *de Ecclesia* ab ipso inscripto, consimiles propositiones, cujusmodi sunt: *Nullus existens in peccato mortali, ex quo non est membrum Christi, sed diaboli, est verus Papa, vel Prælatus, vel Dominus*; hæc erronea propositio sequitur ex priori, in qua asserebat: *Quòd nullus præscitus est verus Papa*; huic consimilis est subsequens: *Nemo existens in peccato mortali habet potestatem Apostolicam*; in quibus, & consimilibus propositionibus, abundè nimis expressit implacabilem livorem, quo excandescebat in sanctam Sedem Pontificiam. Satis per se patet, quàm sit temerarium, scandalosum, perniciosum, & hæreticum, ac contra quamlibet humanam politiam asserere, quòd solus existens in gratià, & solus electus habeat auctoritatem Pontificiam; cum enim nemo sciat an odio, vel amore sit dignus, redderetur incertissima, & instabilis dominatio Pontificia, quandocumque in prædestinatione, vel charitate personali fundaretur; similiter incertissima redderetur, reliquorum omnium

omnium Episcoporum potestas, jurisdictio, & auctoritas, quam à Papa recipiunt Episcopi, & Papa à Christo, qui de facto Petrum elegit in Pontificem, quamvis post electionem à charitate exciderit, cum Christum negavit. Nihilominus nova electione opus non fuit, ut Pontificiam auctoritatem exerceret, dignitas enim non facit hominem impeccabilem, consequenter neque per peccatum fragilitatis humanæ, excidit homo à dignitate, in qua semel est canonicè constitutus. Permisit Deus aliquando superiores peccare, etiam Episcopos, ut cognoscant se, licèt in excelso positos, adhuc homines esse, & sciant compati subditis, cum ex fragilitate labuntur. Dignitas ergo quæcumque illa sit, non facit hominem impeccabilem, nec per fragilitatis peccatum corruit Pontifex à dignitate, aut auctoritatem amittit, quam à Deo super universam Ecclesiam accepit; ut dictum est contra *Arnulfum*: ex quo sequitur insubsistentia, & impietas alterius propositionis, in quà Hussus asserebat, quòd Papa, si primatum habet super alias Ecclesias, habet à Cæsare; Imperator enim tanquam matris Ecclesiæ filius, in spiritualibus subditus est Pontifici, neque subditus auctoritatem conferre valet superiori, Imperator est laicus, neque auctoritatem Sacerdotalem potest impertiri. Etiam in primitiva Ecclesia, Imperatores Orthodoxi, Pontificiæ dignitati fuerunt obsequentissimi, ut constat ex variis Ecclesiasticæ Historiæ Scriptoribus, ex quibus abundè patet Summos Pontifices independenter à quacunque dignitate, etiam Cæsarea, exercuisse in universali Ecclesia primatum. Vide verbo *Albanenses*, *Jacobus Prepositi*, *Guillelmus Ochamus*, *Anastasius Dicors*.

XVI. Hutitæ. Secta Antilutherani, seculo 16. à quodam *Joanne Huto* nomen sortiti sunt. Primò, sese jactabant esse Populum Israeliticum. Secundò, diem festum Domini brevi certò instare asserebant, & omnia antè ejus adventum esse dissipanda; proindè ad extremam inopiam brevi redacti fuerunt. Ex Florimondo de hæref. lib. 2.

II. Hydroteitæ. De hac hæresi loquitur breviter *Sirmundus* hæresi 75. eamdem perstringit his verbis. *Septuagesimam, & quintam hæresim Hydroteitæ fecerunt, aquam Deum dicentes, non habentem, nec initium, nec finem, sordes luentem, peccata dimittentem, & habentem Spiritum sanctum, quos justè damnat fides Catholica quasi cæcos, & non videntes, quibus spurcitiis aqua servit, quibus etiam squaloribus, aut cujus momenti est aqua sinè consecratione. Illam sermo vivus vivificat, sermo sanctus sanctificat, ut sanctus Spiritus in ea dignetur habitare, aut ut possit credentibus peccata mundare, & sic quomodo accipit vim hujus rei per benedictionem, ut possit omnia mundare peccata, non potest mundare peccata ejus, qui fidem suam non ex integro priùs Deo crediderit offerendam, non ergo per solum abluentem, sed magis per credentem Spiritus sanctus infunditur in homines, & peccatorum venia condonatur.*

XVI. Hieronymus Zanchus. (Ex Coccio) secta Calvinista vixit circa medium seculi 16. In sua doctrina miscellanea, negat Christum sua Passione, & Morte satisfecisse pro omnibus, sed vult tantùm fuisse propitiationem. R. verbo *Arnaldus Brixiensis*, *Jansenius*. Veritatem hanc aperte profitetur sacra Scriptura plueibi, sed potissimùm 1. Joannis 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*. Nota, quòd propitiationis nomen importat veram satisfactionem.

XV. Hieronymus Pragensis, sic dictus, quia ex Praga urbe primaria Bohemiæ oriundus, Joannis Hus discipulus, Magister artium factus, circa annum 1408. cœpit sui Magistri promulgare errores in universitate Parisiensi, postquàm sua facundia auditorum sibi animos conciliaverat, sed cum Hussianam profiteretur doctrinam, carceri mancipatus fuit, & ad Constantiense Concilium delatus, anno 1415., quo tempore præceptor ejus ibidem erat in carcere detentus, cujus propugnaturus do-

dogmata, Constantiam adventasse dictitabat. Dein a reà stimulatus conscientià, fuga sibi, sed incassum consulere studuit; nam iterùm propè Bohemiam detentus, iterùm etiam captivus Constantiam deductus, oretenùs, non mente, suos abjuravit errores. Bohemiam repetens, ibi rursum ad vomitum rediit, quare iterùm Constantiam accersitus, nec ullis suasionibus convictus, sed in sua pertinacia hæreticali obstinatus persistens, brachio seculari traditus, vivus, anno 1416. comburitur, quem etiam ut Martyrem, Hussitæ coluerunt. Ex Ænea Sylvio.

I. Hymenaeus ex prima ad Tim. cap. 1. unà cum Alexandro naufragium fecit circa fidem, Apostolorum temporibus, asserens resurrectionem jam factam, nec ampliùs futuram. R. verbo *Ærarius*, *& Basilidiani*. Resurrectionem dicebat consistere in excitatione à morte peccati. Symbolum autem expressè loquitur de resurrectione carnis.

IV. Hippolytus. Damnatus fuit in Concilio Romano, sub Silvestro Pontifice anno 324. quidam Diaconus, nomine Hippolytus, qui fuit Valentinianæ hæresis sectator. Ex Bar.

IV. Hypsistarii. Ex Judaismo, & Paganismo conflata erat hæc hæresis. Ignem adorabant, Sabbatum observabant, à cibis more Judæorum abstinebant. Irrepserunt 4. currente seculo. Ex D. Greg. Nazianz. orat. de fun. patr.

Hysicastae. Vide *Quiescentes*.

I

XV.  Jacobellus Patria Misensis, non Misnensis, ut vulgò dicitur (est enim Misa Urbs Bohemiæ) literarum scientia non mediocriter imbutus, Wicleffi erroribus contaminatus, concionatoris munus Pragæ exercebat, quem cum Petrus Dresdensis audisset, eidem persuasit, Eucharistiam fore sub utraque specie laicis necessariò exhibendam: cui sententiæ, cum Jacobellus adhæsisset, eandem suis concionibus, quibus frequens aderat populus, propagavit, imò & scriptis confirmare studuit. Quare communitèr auctor censetur schismatis sub utraque specie, circa annum 1409. contra quem Joannes XXIII. anathema dixit. Ex Ænea Sylvio, in hist. Bohem.

VI. Jacobitae. Licèt nunc temporis sub Jacobitarum nomine Orientales Monophisitæ veniant, qui unicam in Christo naturam confitentur: Nihilominùs Jacobitarum secta ab initio suæ institutionis, quæ fuit circa annum 584., alios profitebatur errores, suum nomen, & originem sortita à Jacobo, proptèr suorum natalium obscuritatem *Zanzalo* dicto, qui Eutychetis, Dioscori, Cnafæi, & Severi confusis erroribus, novam sectam, à suo nomine, Jacobitarum dictam, instituit. Archiepiscopus ordinatus à prædictarum hæresum fautoribus Episcopis, Syriam, Mesopotamiam, aliasque Orientales plagas peragravit, ubi suis promulgatis erroribus, & ordinatis Diaconis, Presbyteris, & Episcopis sibi adhærentibus, differentes sectas in unum redegit, quibus suam communicavit erroneam doctrinam, & contra quartam Synodum Universalem Chalcedonensem se erexit. Sed anno 1227. Jacobitarum Patriarcha, unà cum præcipuis suæ sectæ, ad fidem conversus, ut narrat Spondanus ad ann. cit. Jerosolymis abjuratis erroribus, cum Romana Ecclesia se conjunxit; at paulò post, juxta instabilitatem Græcorum, iterùm ab eadem secedens pristinos in errores est denuò prolapsus. Cardinalis Jacobus de Vitriaco in historia Orientali c. 76., & 77. præcipuos Jacobitarum errores recenset.

1 Aliqui ex Jacobitis ponunt thus juxtà se in igne, credentes, quòd cum fumo peccata sua ascendant ad Dominum. Quare non recipientes Confessionem auricu-

ricularem, dicunt sufficere, si homo confiteatur peccata sua soli Deo. R. Ex Conc. Constantiensi, in quo damnata fuit assertio Wicleffi asserentis Confessionem auricularem esse superfluam. Ex Florent. sub Eugenio IV. in definitione fidei datæ Armenis. Ex Tridentino sess.14. Can.3. Tum quia Confessio auricularis fuit à Christo instituta, quandoquidem à Christo acceperunt Apostoli potestatem dimittendi peccata: sed peccata nequeunt dimitti, nisi dimittens noverit peccata, quia dimissio ferri nequit in incertum, ubi agitur de actu judiciario, qualis est dimissio peccati, nam Judex reum non judicat, nisi sit vel per se, vel per testes convictus: ut autem sciat Sacerdos, quæ peccata debeat remittere, quæ retinere, quandoquidem dixit Christus: *Quorum remiseritis peccata, remissa sunt; quorum retinueritis, retenta sunt*, debent Sacerdoti peccata pœnitentis innotescere, quod fieri nequit, nisi pœnitens peccata confiteatur. Constat ex historiis Ecclesiasticis, quòd Apostoli pœnitentes audiebant. Præceptum autem Confessionis non est jugum grave, ut blaterant hæretici, imò jugum suave, cum per hoc Sacramentum plura commoda, consolationes, & subsidia percipiant pœnitentes; intèr quæ illud considerandum, quòd cum actus perfectæ contritionis sit difficilis, per solam attritionem (sivè contritionem imperfectam, ut à sententiarium probabilium discrimine abstineamus) cum Sacramento pœnitentiæ, peccator justificatur, & certiorem spem concipit de sua salute, ubi in lege Mosaica, cum peccator non posset justificari, nisi per contritionem, quæ difficiliùs elicitur, difficiliorem spem concipiebat de remissione peccatorum.

2. Dicunt: hominem esse baptizandum in igne; quarè suis infantibus cum ferro candenti imprimunt signum Crucis. Rep. Ex Concil. Lateran. sub Innocentio III. ex Floren. sub Eugenio IV., & Trident. sess.7.Can.2. in quibus statuitur, materiam baptismi esse aquam, non ignem, de quà vaticinatus est Propheta Ezech. 36. vers.25. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis*. Dominicum est præceptum Joann.3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* De hoc Sacramento conferendo in aqua loquitur Apostolus ad Ephes. cap.5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Ex actibus Apost. cap.8. constat Apostolos baptizasse in aqua: *Et jussit stare currum, & descenderunt uterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum*. Vide verbo *Harmias*.

3. Eucharistiam sub utraque speciè infantibus, etiam lactentibus impertiuntur. R. verbo *Bohemi*.

4. Unam naturam tantùm in Christo, quemadmodum, & unam personam asserunt. R. Ex iis, quæ dicta sunt contra *Cerinthum*, ubi ostensum est, Christum non esse purum hominem, sed esse simul hominem, & Deum, & habere naturam humanam, & Divinam. Vide etiam verbo *Artemon*.

5. Negant Mysterium Trinitatis, unam tantùm Personam esse asserentes in Divinis, in cujus rei significationem, uno tantùm digito se muniunt signo Crucis. R. verbo *Bogomilli*.

6. Aliqui ex Jacobitis dicunt, Deum esse mendacem; hujusmodi sunt, qui dispersi inveniuntur in Armenia. Reprobationem ulteriorem non exigit tam iniqua blasphemia, contra quam stat illud Matth. 22. vers. 16. *Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces*. Sap.15. 1. *Tu autem Deus noster suavis, & verax es*. Propheta Realis perhibet, quòd Deus disperdet omnes, qui loquuntur mendacium. Num.23. 19. *Non est Deus, quasi homo, ut mentiatur*: Sæpè in sacris paginis Deus prohibet mendacium, ergo &c. Demùm viri mendaces tamquàm ignominiosi censentur apud homines, ergo nequit esse in Deo, quòd ignominiosum est in ipso homine. Vide verbo *Armeni*. Omnes præfatos errores ex Scriptoribus, qui de Jacobitis agunt collegi; non tamen omnes ego illis impingere contendo, nam falsò ipsis imputari notat, & demonstrat Assemanni in dissertatione de Jacobitis

Tom.3. part.1. Bibliothecæ Orientalis, cui certè in hac causa, plus quàm cæteris Scriptoribus præstandam fidem crediderim, quippè qui ratione linguarum Orientalium, quas possidet, unà cum notitia librorum, melius potuit in fonte investigare veritatem. Nunc temporis, prout testatur prælaudatus Assemanni, Jacobitarum errores ad tria tantùm capita reducuntur.

Unam tantùm in Christo naturam profitentur, ex Divinitate & humanitate compositam, conversionis tamen, confusionis, & commixtionis expertem, consequenter ad hunc errorem, unam tantùm in Christo voluntatem, & operationem admittunt. Damnatos ab Ecclesia hæreticos recipiunt, ut Dioscorum, Barsumam, Timotheum, Xenajam, Severum, Jacobum, Theodosium, cæterosque ejusdem furfuris Monophisitas: Patres verò, qui pro fide Orthodoxa decertarunt, rejiciunt, & in primis S. Leonem Papam. Repr. verbo *Monophisitæ*.

2. Eorum Antesignani partim negant processionem Spiritus sancti à Filio, partim affirmant.

3. Oleum, & salem triticeo, seù fermentato pani censent admiscendum.

4. Intèr Sanctos Doctores venerantur plures hæterodoxos, qui post Concilium Chalcedonense scripserunt, & ut plurimùm Eutychianæ, ac Dioscorianæ hæresis sunt asseclæ, quorum nomina, & opera recenset Faustus Naironus in sua Evoplia, differens de Monophisitis. Hujusmodi sunt Severus, Philoxenus, Barsalibi, Barsuma &c. Vide citatum Faustum pag.53.

* XVI. Jacobus Chelmensis, pseudo-Episcopus Uladislaviensis, Clerum Chelmensem corrupit, de cujus impietate compescenda scripsit Paulus IV. Pontifex M. ad Sigismundum Poloniæ Regem.

Asserebat neminem ad continentiam obstringi posse, ex oraculo Salvatoris, innixus illis verbis. *Qui potest capere capiat*, quem eruditè confutat Hosius Cardinalis. *De conjugio Sacerd. p.*340.

XVI. Jacobus Brocardus; secta Calvinianus, natione Pedemontanus, ineptus, & fatuus ariolus, cujus, & scripta inanium vaticinationum plena fuerunt, prædicabat fore ut non multò post aliquot annos Romanus Pontifex à Principe quodam, secta Calvinista, de suà sede deturbaretur, isque Princeps caput concordiæ Christianæ futurus esset, quæ falsa vaticinia, etiam Scripturæ testimoniis perperàm acceptis confirmare non erubescebat. Ex Spond. ann. 1583.

XVI. Jacobus Andreæ, Calvinista, vixit circa medium seculi 16. Thesi 156. effutit, pati, & mori nomine, & repertinere ad Divinitatem. Rep. Quia ratio Divinitatis excludit à se omne malum &c. Item Jacobi 1. 17. legitur: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Ex Coccio.

XVI. Jacobus Kautius. (Ex Coccio) secta Anabaptista, dixit; Baptismum parvulorum à Deo non esse, sed directè contra Deum. R. Ex Scrip. locis, ubi Christus præcipit Apostolis, ut omnes baptizent: ibi autem Christus non prohibet parvulos baptizari, quibus æquè vult salutem, ac adultis: de quibus parvulis alibi in Euangelio legitur: *Sinite parvulos venire ad me*.

XVI. Jacobus Herbrandus (Ex Coccio) secta Calvinista, in disputatione *De semine Abrahæ*, odium, quo, more Calvinistarum, in Sanctam Mariam efferbuit, evomit, negans esse laude dignam, misericordiæ fontem &c. R. Luc. 1., ubi ab Angelo salutatur utpotè benedicta intèr mulieres: & 11., ubi mulier exclamavit: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti*. In Liturgiis SS. Petri, Marci, & Jacobi, Maria invocatur, ut Sancta, ut auxiliatrix hominum, cujus misericordiam experiuntur quotquot eamdem humili, & filiali affectu deprecantur.

1. In posteriori disputatione de Missa, negat Missam esse Sacrificium, imò audet asserere esse cultum impium. R. verbo *Faustus Manichæus*.

2. Dicit Sacramentum esse puram cæremoniam, quà, tanquam sigillo obsignatur promissio gratiæ, quapropter nega-

negare videtur Sacramenta conferre gratiam. Repr. verbo *Calvinus*, & *Armeni*. Confutat Herbrandum potissimùm circa hanc quæstionem, *Martinus Beccanus* in manuali controverf. lib.1. cap.4.

XVI. Jacobus Faber. Ex obscuris natalibus progenitus in vico abjecto Piccardiæ, nuncupato vico Stapulensi, litteris Divinis, & humanis excultus, in Sorbonæ universitate fuit adscriptus; sed cum nonnullis novitatibus in materia Religionis adhæsisset, in Lutheri doctrina nimiùm sibi complacens, hàc de causà à corpore Sorbonæ rejectus, in Aquitaniam fugiens, Nearci latibulum sibi quæsivit, sub Regis Navarræ protectione, ubi nescio quam novæ Religionis formam commentus est, quam ità amplectebatur, ut tamen vellet Catholicus apparere. Nearci anno 1537. moritur. Ex Spondan.

XIV. Jacobus Justi. Unà cum Bononato Beguardorum sectæ primicerius, natione Germanus, sivè, ut aliis placet, Catalaunus, Sacerdotem sinè observantia cœlibatus agere volebat: Beguardorum, qui in Germania contra Ecclesiam circa initium seculi 14. insurrexerunt, se Ducem constituit, asserens Beatos esse à sacræ Inquisitionibus Judicibus propter hæresim ex Beguardorum secta condemnatos, imò ut martyres esse colendos; ob suam impietatem quadruplici muro circumclusus, miserè animam efflavit. In Concil. Generali Viennen. anno 1311. condemnatur. Bononatus autem igni traditus infeliciter periit. Ex Spondan.

XVI. Jacobus Melstinscht nobilibus parentibus progenitus in Polonia regnante Sigismundo, eò insaniæ processit, ut Christi nomen, & officium sibi assumpserit, adscitis duodecim Apostolis, quorum primus fuit quidam Petrus Ratoschi Cracoviensis: cum quibus selectis Apostolis varias Provincias discurrens, mirabilia à Christo facta, se etiam operari gloriabatur. Furtis, & latrociniis interim cum vacaret præfatus Melstinschi, unà cum suis impostoribus, quidam rustici in Silesia contrà eosdem excitati, illos diris verberibus emendarunt.

XVI. Jacobus Paleologus, ortum ducens ex Imperiali familia, anno Jubilei 1575. Romam venit, curiositate potiùs, quàm devotione ductus, ubi habitum Regularem suscepit, sed cum juxtà Græcorum arrogantiam, elati & inquieti esset ingenii, pauló post detectus fuit dubitare de præcipuis Ecclesiæ, & Christianæ fidei mysteriis; quare ab Inquisitionis Judicibus carceri mancipatus, anno 1579. è carcere aufugiens in Germaniam se contulit, & cum Lutheranis, & Zuinglianis societate inita, inde in Poloniam se recepit, ubi cum hæreticos, Christi Divinitatis hostes invenisset, iisdem adhæsit, & sua prædicatione hæreticales errores propagare nisus est: sed cum ejus perfidia multum Ecclesiæ damnum inferret, Maximiliani Cæsaris jussu iterum captus, Romam transmittitur, ubi in sua obstinatione persistens, igni damnatur; timore tamen supplicii correctus, oretenùs, non corde abjuravit: nihilominus in carcere suis in blasphemiis sibi complacens, nullisque admonitionibus acquiescens, ut illas relinqueret, maluit impœnitens igne cremari. Ex Spondan.

XVI. Jacobus Præpositi, de quo agit Bernardus Lutzemburgensis, ex Sacerdote Regulari factus Lutheranus, natione Brabantinus, apud Antuerpiam, Bremæ, aliisque in locis Lutheri dogmata propagavit; unde comprehensus, Bruxellis errores suos abjurare cogitur coram Clemente VII. & Carolo V. sed iterum relapsus, etiam alios suæ domus confratres in suam duxit sententiam; Quare jussu Adriani VI. ejusmodi Apostatarum Conventus Antuerpiæ funditus solo fuit coæquatus. Errores, quos prædicabat num 27. sunt sequentes:

1. Opera ab hominibus facta licèt bona, & ut talia habeantur in conspectu hominum, nihilominus esse peccatum, ideòque asserebat, omnia opera hominum sanctorum egere misericordià ignoscente, & remittente. R. ex Concil. Trident. sess.6. de Justificatione canon.37.

Tum quia operibus bonis, quæ fiunt ab hominibus justis mediante auxilio Divinæ gratiæ, deberi præmium, sæpè proclamant sacræ paginæ; unde S. Petrus epist.2. cap.1. ait: *Fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*. 1. ad Corinth. 3. 8. *Unusquisque autem propriam mercedem recipiet secundùm laborem suum*; ex quibus, & similibus textibus, constat Deum retribuere unicuique juxtà opera sua; est enim justus Judex. Neque judicium posset assumere, si nulla essent opera bona, inter quæ, & mala discernere deberet. Tum quia benè operantibus sæpè in sacris paginis Deus promittit copiosam mercedem, ergo dantur de facto opera bona, quorum meritum non tollit gratia, quæ ad elicienda bona opera est necessaria, imò confert; nam opera bona sunt liberi arbitrii elevati, & adjuti à gratiâ concurrente, ergo sunt meritoria, quòd si meritoria, sunt bona, ergo dantur de facto bona opera, quibus debetur merces: & licèt præmium detur bonis operibus, hoc tamen non minuit pretium Sanguinis Christi; Christus enim suis meritis nobis obtinuit vim & dignitatem ad merendum: sicut non minuit Dei omnipotentiam virtus, quam dedit Deus creaturis ad agendum.

2. Dicebat: Pontificem non esse Caput Ecclesiæ jure Divino, sed solùm jure humano, & ideò solùm dici debere primum inter pares. Repr. verbo *Hussitæ*; contrà quos probatum est, Romanum Pontificem esse totius Ecclesiæ Caput; & verbo *Flaciani*, contrà quos ostenditur Ecclesiæ regimen esse debere Monarchicum; sed hæc Monarchia non fuit à Cæsaribus, neque ab Episcopis, seu Conciliis, sed à Christo instituta, ergo Pontifex est Primas totius Ecclesiæ, non jure humano, sed Divino. Vide verbo *Hussitæ*, circa finem, & verbo *Guillelmus*, *Ocham*, & *Anastasius*.

3. Tria tantùm esse Ecclesiæ Sacramenta, Baptismum, Pœnitentiam, & Eucharistiam. Repr. verbo *Bissarramentales*.

4. Non est Indulgentiis confidendum.

5. Papa Indulgentias dare non potest.

6. Indulgentiæ non sunt efficaces. R. verbo *Lutherus*.

7. Nulli merita Sanctorum applicari possunt. Repr. Nam exuberantia merita Sanctorum unita infinitis meritis Christi, quæ constituunt Ecclesiæ thesaurum, essent quodammodo inutilia, si Christifidelibus non possent applicari; quæ applicatio vergit in gloriam Dei, & honorem Sanctorum, quorum meritis Deus indulget pœnitentibus pœnas debitas peccatis, quibus propria desunt, aut non sufficiunt merita. Cæterùm, si merita Christi infinita, unà cum superabundantibus meritis Sanctorum, non possent applicari, sequeretur quodammodò, quod tot merita forent superflua. Ab initio Ecclesiæ consueverunt Pontifices dispensare hunc thesaurum, in vita enim Sancti Gregorii Magni per Joannem Diaconum exarata, constat S. Silvestrum in dedicatione Basilicæ Principis Apostolorum, & per Octavam, concessisse Indulgentias, in remissionem pœnæ peccatis debitæ, ad eam Basilicam convenientibus; quod & successivè ab aliis Pontificibus peractum Ecclesiastica perhibet historia. D. Bernardus acceptis litteris Apostolicis, ut prædicaret expeditionem Jerosolymitanam in remissionem peccatorum; prædicationem suam miraculis plurimis confirmavit, ut constat ex Gaufrido in vita ejusdem S. Bernardi. Ex quibus omnibus patet Summum Pontificem, utpotè dispensatorem thesauri Ecclesiæ, posse applicare merita Christi, & Sanctorum, Fidelibus, qui in piis operibus præscriptis se devotè exercent. Vide S. Thom. Supplem. 3. p.

8. Nullus est Ecclesiæ thesaurus, præter Christi merita, quæ dumtaxat per ipsum Christum unicuique secundùm suam fidem applicantur. R. Nam merita B. Virginis fuisse summa, proclamant omnes SS. PP. excellentia etiam fuerunt merita plurium insignium Sanctorum, qui licèt vix venialitèr peccaverint, multa passi sunt propter Christum, ideoque Chri-

Christus ipse passus est in membris suis; ex quo sequitur, quòd passio Sanctorum etiam augeat Ecclesiæ thesaurum, qui consistit in superabundantibus meritis, quæ sua Passione Christus promeruit, vel per se immediatè, vel per Sanctos suos, in quibus est passus: quamobrem dicebat Apostolus; *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea*. Hinc quidem verum est, quod solius Christi merita sunt primordialia, & cæterorum omnium origo; sunt etenim Sancti palmites ferentes fructum ex vite, quæ Christus est, ut perhibet Euangelium.

9. Lutherus, cum sua doctrina non est legitimè per Sedem Apostolicam condemnatus. Reprobatione non indiget adeo erronea propositio; sufficit enim vel leviter considerare ineptias, & blasphemias, quas effutiit Lutherus, ut constet, quàm legitimè condemnationem subierit.

10. Liberum Arbitrium causa non est effectiva actuum suorum interiorum, sed receptiva dumtaxat, & ut talis solummodò passivè se habet. Repr. Nam si liberum arbitrium solùm passivè se haberet, homo non esset capax meriti, aut demeriti, dum elicit actum bonum, aut malum internum, cujusmodi est actus amoris, vel odii, cujus oppositum nuper ostendimus; ubi enim non est plena libertas, ibi neque actio imputari potest ad meritum, vel demeritum; sed si liberum arbitrium solum passivè se haberet in actibus interioribus, neque esset plena libertas, quam tamen esse in homine, dum elicit actus interiores, constat ex sacr. pagin. Consensus enim ad Divinam vocationem est actus interior; porrò hunc consensum præstare, aut negare, omninò esse debet in libertate hominis, quandoquidem Deus conqueritur Proverb. 1. *Vocavi, & renuistis*; quod secùs foret, si liberum arbitrium solum concurreret passivè.

11. Omne opus liberi arbitrii peccatum est, quantumcumque bonum, egens Dei misericordia ignoscente, & remittente. R. ex iis, quæ diximus ad primum.

12. Quidquid agit homo ante justificantem gratiam, peccatum est. R. Nam opera, quæ agunt plures Ethnici viventes secundùm legem naturæ, quæ omnes docet declinare à malo, & facere bonum, dici nequit, quòd sint peccatum; imò ratione hujusmodi operum Deus sæpè impertitur lumina, & media ad faciliùs obtinendam gratiam justificantem, quemadmodùm docent nos Acta Apostolorum de orationibus, & eleemosynis Cornelii Centurionis. Tum quia, omnis actio, quæ dicitur mala, vel est mala per se, vel est mala quia prohibita, dantur plura opera, quæ nec per se sunt mala, nec sunt prohibita, in quibus exerceri potest homo, antequam habeat gratiam justificantem; ergo dici nequit, quòd quidquid agit homo ante justificantem gratiam, sit peccatum. Ubi advertendum opera esse bona, vel mala secundùm ordinationem ad finem, vel aversionem à fine; ad ordinandum autem actionem ad finem honestum, non requiritur gratia justificans, licèt requiratur ad meritum.

13. Unica refectio, & à certis cibis abstinentia tempore Jejunii, contrà rationem præcipiuntur, & contrà Scripturam. R. Vide *Aeriani*, *Agapetæ*, *Entusiastæ*.

14. Christiani sunt liberi ab hujusmodi jejuniorum observantia. R. locis, ut supra.

15. Dubium est, an homo se obligare possit ad supradictum jejunium. R. Nam jejunium sæpè commendant sacræ paginæ; cujus salutares effectus plures SS. Patres recensent, est etiam institutum Christi exemplo, & ideo est de meliori bono, ex quo sequitur, quòd jejuniorum observantiæ potest quis se voto obligare, cum liberum sit ea vovere, quæ sunt de meliori bono.

16. Papa, vel Ecclesia non potest sibi subditos sub pœna peccati mortalis obligare, quòd quis transgrediens præceptum hominis, peccet mortaliter. R. Nam Princeps obligat ad observantiam aliquarum legum sub pœna mortis; ergo potest Ecclesia sub pœna peccati mortalis obli-

obligare ad observantiam certarum legum. Vide verbo *Confessio-Augustana*, *Albanenses*.

17. Superiores non tenentur subditos obligare sub pœna peccati mortalis. R. Nam cum nullus alius aditus patet ad manutenendam observantiam legis necessariæ pro bono regimine, quàm comminatio gravis, in tali casu Superiores Ecclesiastici, qui tenentur ad promovendum incrementum boni Ecclesiæ, tenentur etiam ad obligandos subditos sub pœna peccati mortalis, exemplo Dei, cujus vices gerunt in terris, qui sub pœna mortis prohibuit Prothoparentibus, ne comederent de ligno vetito.

18. Subditus sui Superioris præceptum transgrediens ex ignorantia supina, vel passione, secluso scandalo, non peccat. R. Nam licèt peccatum cum scandalo sit gravius, non tamen omnis actio, quæ fit secluso scandalo, habet rectitudinem debitam; ex quo sequitur, quòd subditus sui Superioris præceptum transgrediens, etiam secluso scandalo, peccat. Non enim transgressio præcepti est peccaminosa, quia simpliciter scandalosa, sed est peccaminosa, quia est contrà mentem Superioris ex quo sequitur, quòd cum innotescit, sit scandalosa; quòd autem ignorantia supina, vel passio non excuset à peccato, abundè probant Moralistæ.

19. Petrus solo jure humano factus est primus, vel supremus intèr reliquos Apostolos, & idem censendum est de quolibet Petri successore. R. ex iis, quæ dicta sunt in Reprob. ad secundum.

20. In omni foro tam exteriori, quàm interiori, omnes Episcopi sunt æquales. Repr. verbo *Armeni*, & *Arnandus*.

21. Concilium ritè congregatum, præcisè tantum decidere potest, quantum sacra Scriptura expressè continet. R. Nam cum non omnia scripta sint, reliquit Deus Ecclesiæ suæ auctoritatem decidendi circa ea, quæ ad bonum Ecclesiæ incrementum spectant, cæterùm non bene consuluisset Christus regimini Ecclesiastico. De facto Apostoli deciderunt circa legalium observantiam, de qua observantià nihil expressè habetur in novo Testamento. De summa auctoritate, quam habet Ecclesia in Concilio ritè congregata, agunt omnes Canonistæ. Conciliorum determinationibus Imperatores, & Principes se submiserunt. Quæstiones autem quæ pertinent ad Catholicam fidem, non solùm ex Scriptura, sed etiam ex Divinis traditionibus deciduntur. Vide Melchior. Canum *de locis*. Bellarmin. & alios.

22. Concupiscentia, quæ in baptizato relinquitur, est peccatum propriè dictum contrà hoc, *non concupisces*. R. Ex Concil. Trident. sess.5. in qua definitum est per baptismum tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet. Item omnes Sancti PP. distinguunt inter concupiscentiam, de qua ait S. Jacobus: *Unusquisque tentatur à concupiscentia suâ*, & peccatum: concedunt quidem concupiscentiam, quæ remanet post baptismum, stimulum esse ad peccatum actuale, negant autem esse peccatum actuale, quod exprimit præfatus Apostolus dicens: *Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum*. Concupiscentia igitur, quæ est effectus peccati originalis, opponitur legi tantùm causaliter: gignit quidem in homine difficultatem ad operandum bonum, & inclinat in malum. Non opponitur tamen formalitèr legi, aut rationi, cum ejus motus non sint invincibiles, imò mediante Dei gratià possunt superari. Quod habet rationem formalem peccati, totum deletur per baptismum; legimus enim 2. Joann. c.1. *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato*. Cæterùm concupiscentia non parit peccatum nisi allexerit, atque ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis consensum. Demùm, omne peccatum consistit in voluntate; concupiscentia verò residet in appetitu sensitivo: ergo concupiscentia non est peccatum.

23. Caro tali concupiscentia infecta, ad omne opus liberi arbitrii concurrit; unde quodlibet opus humanum, peccatum efficitur. Idem censendum est de mar-

martyrio Petri, & aliorum Sanctorum operibus. R. Nam opera spiritualia, atque illa quæ procedunt à perfecta (prout in hac vita) charitate, ac quæ fiunt contra concupiscentiam ipsam, non admittunt aliquem influxum concupiscentiæ, & tamen sunt à libero arbitrio, quin imò arbitrium eò liberius est, quo magis subjicitur rationi concupiscentia. Habuit enim perfectissimam libertatem in Adam, ad quam nos accedimus per gratiam Christi, superando rebellem concupiscentiam, licèt ab illà omninò liberari in hac vita non possimus.

24. Omnes Laici sunt Sacerdotes. R. Quia ad exercendum Sacerdotale ministerium requiritur potestas, quæ nullatenus laicis confertur, ut constat ex Concil. Trident. sess. 6. can. 10. ubi legitur: *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit*. Præiverat Concil. Laodicænum sub Silvestro Papa, cap. 13. Item Lateranense sub Innocent. III. & Rhemense relatum in canone de Consecratione, dist. 2. quòd expressè prohibet Laicis pertractare Sacramentum; tantum abest, quòd Laici sint Sacerdotes, & possint Sacramenta conficere, vel ministrare. Tum quia Christus ordinavit Sacerdotes, cum dixit discipulis: *Hoc facite in meam commemorationem. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; sed cum hæc dixit, soli erant discipuli, nulli prorsus alii viri, neque mulieres. Tum quia in veteri lege omnes non erant Sacerdotes, ergo hoc à fortiori dicendum in lege gratiæ. Tum quia ex Apost. 1. ad Tim. 4. ubi legitur: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterii*; constat, non omnes esse Sacerdotes, sed illi soli, quibus ritè facta est impositio manuum presbyterii.

25. Qui manet in peccato mortali, non manet in Baptismo, Sacerdotio, Episcopatu, vel Papatu. R. Ex iis, quæ dicta sunt contrà *Gerbertum*. Tum quia si per peccatum homo decideret à Baptismo, Sacerdotio &c. quoties quis peccat, toties deberet rebaptizari, Sacerdotio initiari; sed Baptismus, & Ordo non possunt reiterari, cum imprimant characterem indelebilem. Tum quia discerni non posset in Ecclesia, quis esset legitimus Sacerdos, si quoties quis peccat, decideret à Sacerdotio, & amitteret jurisdictionem. Tum quia præfata propositio damnata fuit contrà Wicleffum, & Hussitas in Conc. Constantiensi sess. 8. item in Trident. sess. 7. de Sacramentis in genere canon. 12. Tum quia Christus Matth. 23. vers. 2. nos præcipit obedire Ministris Ecclesiæ, etiam peccato inquinatis: *Super cathedram &c. quæcumque dixerint vobis, facite*. Quod Christus non præciperet, si per peccatum mortale Sacerdos decideret à Sacerdotio. Tum quia Sacerdos, cum non agat auctoritate proprià, sed sibi à Deo concessà, semper validè conficit, & ministrat, licet in peccato mortali constitutus, estò conficiat illicitè. Nihil plus valent evincere rationes Hæreticorum. Vide verbo *Apostolici*, *Albigenses*.

26. Displicentia de peccatis admissis, non est via ad gratiam justificantem, sed potiùs gratià est via ad ipsam displicentiam.

27. Dolor de uno peccato, sinè dolore omnium, est peccatum. R. Nam ratione displicentiæ, quam habet peccator de Dei offensa, Deus dat uberiorem gratiam, ut majorem displicentiam concipiat, usque dum debitè conteratur; accedente autem perfecta contritione, fit statim infusio gratiæ, quæ duo, licèt sint instantanea, scilicet contritio, & infusio gratiæ, prioritate tamen naturæ prius est contritionem adesse; deindè gratiam justificantem; ex quo sequitur contritionem esse viam ad gratiam. Neque propterea rejicimus sententiam asserentium mutuam prioritatem in diverso genere, inter contritionem, & gratiam, sed eam Theologis scholasticis relinquimus. Neque subsistit alia propositio, quòd dolor de uno peccato, sinè dolore omnium sit peccatum; sæpè enim contingit, ut quis ita præoccupetur à dolo-

dolore alicujus gravioris peccati commissi, ut nullatenùs reflectat ad leviora peccata, & totus immergatur in displicentia gravioris peccati, quæ displicentia implicitè involvit etiam omnium peccatorum displicentiam, quamvis expresfè ad alia peccata commissa non attendat ille, cui magis displicet de graviori peccato. Itaque non est possibile salutarem dolorem habere de uno peccato, nisi omnium pœniteat; quatenùs omnia cadunt sub communi ratione offensæ Dei.

XVI. Jacobus Scinchius (ex Coccio) secta Lutheranus ad Euangelium de Christi conceptione, impiè contrà puritatem tam mentis, quàm corporis Immaculatæ Virginis Matris blateravit: de qua legimus Cantic. 4. *Tota pulchra es, & macula non est in te*; cujus Virginitatem omnes SS. Patres semper collaudarunt, & venerati sunt.

Jacobus Smidelinus Calvinista. Vide verbo *Infernales*.

XVI. Jacobus Schmidelinus, dictus etiam Fabritius, quia ex Patre Fabriferrario progenitus, unus fuit ex rigidioribus præcipui nominis Lutheranis, qui librum Concordiæ Electori Saxoniæ oblatum, non modò subscripsit, sed multum laboravit suis suasionibus, præsentationibus, circumventionibus, dolis, artificiis, ut à pluribus, sive doctis, sive indoctis subscriberetur, nulli ad hoc parcens labori, pluribus circumcursando laboriosis susceptis itineribus. Colloquio cum Beza pro concordia inito, discordiam auget. Anno 1589. colloquium habuit Badenæ, cum Joanne Pistorio Nydano, qui ex hæretico reversus est ad Catholicos, à quo fuit etiam convictus; & præ mœrore confusionis habitæ in dicta disputatione, quæ in summam hæreticorum ignominiam cessit, quandoquidem vel Catholicus Pistorius potuit hæreticalem doctrinam confundere, paulò post moritur. Vide verbo *Lutbero-Calvinistæ*.

* XVI. Jacobus Ruffus seditionum author, propè Lugdunum pestilentiæ cathedram erigit, urbemque postmodum in Hugonotticam servitutem redigere sed in cassum tentavit.

III. Jamblicus, qui vixit circa medium tertii seculi, agens de mysteriis Ægyptiorum, cap.33. plures asserit esse Deos, alios materiales, alios immateriales. Repr. verbo *Politheismus*, *Antropomorphitæ*.

XVII. Janseniani, vocantur illi, qui sustinent quinque propositiones excerptas ex libro, cui titulus *Augustinus Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi*. Cornelius Jansenius in Vico propè Leerdam in Holandia ortum habuit anno 1585. Ultrajecti humaniores literas fæliciter professus, dein Lovanii Philosophiæ, & sacræ Theologiæ studiis interfuit, postmodùm Parisios se transferens, iterùm post 12. annorum studium Lovanium transmeavit, ubi Doctoratus laureâ assumptâ in facultate Theologica, etiam cathedram obtinuit. Crescente ejus nominis fama, ab Hispaniarum Rege Iprensis Episcopus renunciatur, dum Clero reformando insudat, pestilentiali morbo, tunc grassante, correptus, anno 1638. hominem exuit. Inter varia, quæ typis edidit, composuit famosum opus in tria volumina divisum, in quorum primo de hæresi Pelagianâ, in secundo de statibus naturæ, & de Gratiâ Dei potissimùm agit; in tertio denique, de Gratiâ Salvatoris, ac de quibusdam collationibus, quas præstat nos præterire, quàm commemorare. Huic operi præfixit titulum: *Augustinus Cornelii Episcopi Iprensis*, in quo sibi proposuerat universam D. Augustini doctrinam in materiâ Gratiæ, liberi arbitrii, & prædestinationis perstringere; quem librum neque ad finem redegit, siquidem morte præventus, ultimam eidem manum imponere cum non valuisset, Doctoribus Lovaniensibus Liberto Fromondo, & Henrico Caleno publici juris faciendum reliquit: submisit nihilominùs S. Sedis judicio, & à prædicti testamenti executoribus, prælo commissum est opus Lovanii anno 1640. Vix Augustinus Cornelii apparuit, cum in eodem decerptæ sunt diversæ propositiones resonantes Bajanam doctrinam, jam

jam proscriptam à Summis Pontificibus. Quare Urbanus VIII Jansenii librum prohibuit, quæ prohibitio, promoventibus Jansenianæ doctrinæ defensoribus, non modò Lovanii, sed etiam in Gallia diversas excitavit factiones. Quinque potissimùm sunt Jansenii propositiones ab Innoc. X. proscriptæ, quas esse erroneas, cum negare non valerent defensores Jansenii, easdem in Jansenii libris haudquaquam reperiri, blaterare cœperunt; qui dicendi modus ab Alexandro VII. etiam fuit proscriptus, cum in sua Bullà emanata sub die 18. Octobris anno 1656. declaraverit, de facto quinque propositiones proscriptas, ex libro cui titulus: *Augustinus Cornelii Jansenii* fuisse decerptas: sunt autem sequentes.

1. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, quà fiant possibilia. R. Ex Concil. Arauxicano 2. can. 25. parte 3. ubi sic: *Hoc etiam secundùm Catholicam fidem credimus, quòd acceptà per baptismum gratià, omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante possint, & debeant præcepta Dei, si fideliter laborare voluerint, adimplere:* Item definitum fuit in Concil. Trident. sess. 6. cap. 11. Prob. insuper nulla præcepta Dei esse impossibilia Matth. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve*; quod dici non posset, si jugum Christi, idest ejus lex contineret præcepta impossibilia. Tum quia si darentur hujusmodi præcepta impossibilia, essent superflua; nemo enim tenetur ad impossibile: patet siquidem stultum fore dare ei præcepta, cui liberum non est, quod præcipitur, facere, & iniquum esse eum damnare, cui non sit potestas jussa complere.

2. Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. R. Ex omnibus Scripturæ locis, ubi agitur de Divinæ Incarnationis motivo, quod aliud non fuit, quàm omnium salus; unde in Symbolo Nicæno: *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis*. Lucæ 14. 10. *Venit Filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat*; sed omnes omninò homines perierant propter Adæ peccatum; ergo Christus venit salvare omnes. Tum quia Christus præcepit Euangelium prædicari omni creaturæ: mandavit Apostolis, ut irent in universum mundum, baptizantes omnes gentes; ubi notandum: *Omni creaturæ, omnes gentes*. Ex quo evincitur, Deum velle omnes salvare, & pro omnium salute Christum esse mortuum, & sanguinem fudisse.

3. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquàm resistitur. R. Ex Concil. Trident. sess. 6. can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium. . . . non posse dissentire, si velit &c.* Item ex Concil. Senonensi, decreto 15. *Nec tale est Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit*. Reprobatur etiam ex proprià intelligentià divisionis gratiæ in efficacem, & sufficientem, siquidem totus error Jansenii, & sequacium situm est in eo, quòd sufficientem gratiam non agnoscant. Nec mens est nunc disputationem intexere de vi gratiæ efficacis, an scilicet sit illi intrinseca, vel extrinseca, quamquàm intrinsecam dicere conformius judicem Patrum doctrinis. Fatendum tamen est omnibus Catholicis dari gratiam Dei sufficientem, sivè non efficacem, cui rebellis hominis voluntas resistit, unde 2. ad Corinth. 6. monet Apostolus: *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Si ergo possumus illam in vacuum recipere, profectò possumus eidem resistere, & contra ejus motionem operari. De gratià autem efficaci, undecumque habeat efficaciam, nihil pronuncio: mei siquidem non est instituti disputationes scholasticas aggredi. Defensores auxilii ab intrinseco efficacis, apertè negant posse voluntatem eidem resistere; quia per ipsam gratiam dat Deus velle, & perficere. Siquidem fatendum est secundùm Catholicam fidem, quòd merita nostra sunt dona Dei, atque quòd Deus dat nobis non solùm posse, sed etiam ipsum salutariter operari, juxtà illud Apo-

Apostoli: *Quid habes, quod non accepisti?* Institutum hoc latè, & prolixè pro dignitate materiæ prosequitur M. Benitez in suo opere: *Concursus Dei prævius, & efficax* Romæ edito an. 1730. disp. 6. dub. 3. Item Abbas Castell. in volum. *De Arbitrio humano* lapso, quæst. 4. Itaque cum à Deo habeamus per efficacem gratiam ipsum agere, atque ipsum non resistere, sequitur juxtà hanc sententiam, non posse nos gratiæ efficaci resistere; alioquin possent stare simul *non resistere* ex dono Dei, & *resistere* ex libero arbitrio. Defensores autem scientiæ mediæ, contendunt omnibus auxiliis gratiæ posse voluntatem humanam resistere, quia alioquin non putant manere libertatem. Hæc opinio magnis exagitata controversiis, & apud innumeros Societatis Jesu scriptores defensa invenitur. Ut ut sit, neutra ex iis sententiis ad fidem pertinet, nec tangitur in præcedenti propositione, aut in ejus proscriptione.

4. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. R. Nam libertas à necessitate illa est, quæ dicit naturalem facultatem in creatura rationali, eligendi ex duobus contrariis unum potiùs, quàm aliud, itaut pro sua voluntate æquè tendere possit in bonum, ac in malum, & consequenter tam possit peccare, quàm bonum agere. Libertas à coactione illa est, per quam agens spontè quidem agit, sed necessariò agit, quod agit, quia optionem non habet ad agendum hoc potiùs, quàm illud: ex quo sequitur, quòd ad merendum, & demerendum, non sufficit in homine libertas à coactione, sed requiritur libertas à necessitate. Libertas à coactione non constituit hominem liberi arbitrii, sicut constituit hominem liberi arbitrii libertas à necessitate; solùm autem homo in libero arbitrio constitutus, est capax merendi, & demerendi. Constat ergo non sufficere, ad liberum arbitrium constituendum, libertatem à coactione, sed requiri libertatem à necessitate, quod & aliundè suaderi potest; quia si sufficeret libertas à coactione, scilicet spontè agere; etiam pecudes, quæ spontè quærunt pascua, divagantur in campis, mox supinæ in terra procumbunt, mox saltant, dicerentur esse liberi arbitrii. Quod idem asserendum esset de amentibus, qui spontè occupantur in suis insaniis. Tum quia implicat in terminis liberum arbitrium, non esse solutum à necessitate; omnis enim voluntas, quæ est determinata ad unum, & in illud spontè fertur, potest quidem dici libera, quatenus in illud spontè fertur, sed non potest dici, quòd sit liberi arbitrii, si optionem non habet ad utrumlibet; quam optionem esse in homine constat ex Apost. 1. ad Corinth. 7. *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis*. Item Eccl. 15. *Apposui tibi ignem, & aquam, ad quodcumque volueris, extende manum tuam*. Demùm ex Concil. Arauxicano, constat hominem liberè consentire Divinæ inspirationi, quam potest rejicere.

5. Semipelagiani admittebant gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. Repr. Ex iis, quæ dicta sunt in reprobatione ad tertium, ubi probatum est, quòd interiori gratiæ potest homo resistere; quare autem Semipelagiani essent hæretici, sub proprio nomine discutiemus. Vide verbo *Pasqualis Quesnelius*.

*. Ampliora in hac materia gratiæ hic discutere urgebant maximè tempora quibus Jansenii, & Quesnelii sequaces scribere, & loqui non cessabant pro illorum defensione doctrinæ, toties à S. Sede fulminatæ: Cum tamen animadverterim ex eorum cauillationibus, potius ab assumptà pertinacia sustinendi errores satis ipsis cognitos, quàm à defectu luminis veræ fidei saniorisque in vestigandæ sententiæ stimulatos tot scripta cumulasse, in quibus diabolica versutia, & calliditate opinionem suam erroneam obtegere satagunt, etiam SS. Augustini, & Thomæ perperam interpretatis sententiis, non ultrà mihi progrediendum in

in hàc materià, attenta maximè qualitate operis Lexicografi arbitratus sum: nihilominus cum statim post primam præsentis operis impressionem mihi contigerit, non sinè magno delectu & admiratione pervolvere celeberrimum opus clarissimi Auctoris Magistri Cajetani Benitez de Lugo Ord. Præd. ex comissione Rmi Patris Joannis Baptistæ Zuanelli S. P. Ap. Magistri, meum qualecunque pusillum sensum circa præfati operis pondus in actu impressionis ejusdem, deposcentis; atque compererim clarissimum auctorem in materià Gratiæ, & liberi arbitrii summa discussisse fælicitate quidquid circà eandem, juxta doctrinam SS. PP. & præcipuè Magni Patris Augustini, & Doctoris Angelici, nos docet Ecclesia catholica; ubi simul, & semel ponit in propatulo quàm longè à fide orthodoxa dissonent sensus Janseniani, & Quesneliani: ad præfatum opus Lectorem, qui ampliora in hàc materià desiderat, remittendum censui, in quo auctor purgatissimo Criterio enodavit omnia quæ circa concursum Dei prævium, & efficacem cum libero arbitrio umano necessario cohærentem, & à necessitate libero, tractari possunt fusiorique explicatione indigent. Ex prælaudati lectione operis abundè satis unicuique persuasum erit quomodo gratià libero arbitrio non modo non sit obnoxia, sed in adjutorium potius tam excelsæ facultatis liberæ, quà à Deo homo est gratiosè insignitus, à Deo ipso sit gratissimè exhibita, sivè cum volentem prævenit ut velit, sivè cum volentem subsequitur ne frustrà velit. *S. Bern. tract. de Gratia, & libero arbitrio.*

Incomprehensibilis thesaurus est Dei gratia, de cujus plenitudine omnes accipimus, vel cum nos initiat, & vocamur, vel cum nos prævenit, & justificamur, vel cum nos consumat, & glorificamur, ita ut semper cum Apostolo cuicunque de gratià rectè sentire cupienti reliquum sit dicere *Gratia Dei mecum* sivè preveniens sit cum excitamur, sivè cooperans cum adjuvamur, sivè subsequens cum in bono roboramur. Gratia est quæ liberum excitat arbitrium cum seminat cogitatum, sanat cum immutat affectum, roborat ut perducat ad actum, servat ne sentiat defectus: & de hoc satis nam cum mentis oculos erigere intendimus arcana Dei Gratiæ investigaturi, eàdem cautelà nobis progredi opus est, quà se gerimus cum corporis oculos erigimus solem perspecturi: tantùm erigimus quantum sufficit ut possimus cum veritate asserere existentiam solis, cujus benignos influxus toto orbi quotidiè experimur esse proficuos, sinè cujus lumine nec possumus ipsius solis discernere lumen; quod si nimis corporeos oculos in solem intendere præsumimus, ab ipsius solis radiis obcæcati, jam amplius discernere non valemus.

VIII. ICONOMACHI, sivè ICONOCLASTÆ. Horrendum monstrum oritur in Oriente, nempè Iconoclastarum hæresis, quæ sacrarum Imaginum cultum impugnavit. Contrà hunc cultum jam proclamaverant, sed cum nullo, vel saltem parvo successu Judæi Marcionitæ sub Zenonis Imperio, circà annum 686. cum Xenajas Persa Heliopolis in Syria Episcopus renunciatus, ex sua Ecclesia Imagines sacras, sed in frustra, resistente populo, deturbare, est aggressus. Nihilominus indictum in sacras Imagines bellum invaluit, cum Gisidus Saracenorum Princeps in Syria, à duobus Judæis, qui ventura prædicere sese jactabant, vaticinium accepit, se ad annos quadraginta feliciter regnaturum, si sacrarum Imaginum cultum à sua ditione expulisset; cui prædictioni acquiescens Gisidus, immani edicto omnes sacras Imagines statim confringendas imperavit: sed nondùm erat in tota ditione promulgatum edictum, cum morte correptus, satis quàm falsum fuerit Judæorum vaticinium, suis sumptibus comprobavit. Quarè Judæi impostores, fugà sibi consulentes, Asiam minorem peragrarunt, & dum Isauriam Galatiæ Provinciam transeunt, obviam habent quemdam nomine Cononem, professione mercatorem, ex Isauria oriundum, cujus aspectum admirati vaticinatores Judæi, quasi

forent prophetæ ad eum missi, sic eumdem sunt affati. Ad Imperium destinaris Conone, & infallibilitèr consequeris, si jurejurando te unum servaturum, quod requiremus à te, cum ad imperium assumptus fueris, promittere non dedignaris. Promisit Conon, & suam promissionem, utpotè Catholicus, in Templo S. Theodoro sacro, jurejurando confirmavit. Interim Cononus, Leonis nomine assumpto, inter Isauriæ milites, quibus præerat Sisinius, adscribi voluit; cumque ab Imperiali exercitu ann. 717. Imperator fuisset proclamatus, præstò ad eum fuerunt vaticinatores Judæi, ut promissum adimpleret; rogatus proindè ut Jesu Christi, & Sanctorum Imagines exturbaret, quod se facturum, opportuni temporis occasionem nactus, indulsit. Anno igitur 724. per suum edictum in toto Imperio sacrarum Imaginum cultum reprobavit, Constantino Natoliæ in Phrigia Episcopo, & Bezer secta Mahometano, pro edicti executione enixè laborantibus; frustra oppugnante S. Germano Patriarcha Constantinopolitano; magisquè insolescente in sua hæreticali perfidia Leone Isauro, sub pœna mortis anno 730. impium edictum, improbans sacrarum Imaginum cultum, reiteravit. Contrà Iconoclastas strenuè decertante S. Joanne Damasceno. Iconomacorum hæresis à Gregorio II. proscripta, iterùm in Concilio Romano sub Gregorio III. fuit condemnata: sæviente nihilominùs in Catholicos Leone Isauro, usque ad annum 741. quo miserabilitèr è vita decessit. Nec minùs impius fuit Constantinus Copronymus, Leonis successor, qui non modò sacras Imagines, sed Deiparæ cultum, & Reliquias Sanctorum exprobravit, convocato Constantinopoli propria auctoritate Conciliabulo, cui interfuerunt 330. Episcopi Iconoclastæ: cui Conciliabulo septimæ universalis Synodi perperàm nomen dederunt hæretici. In hoc hæreticali, & perfido consessu, iterùm Imperator hæresim sanciri voluit, & etiam anathema dictum Sancto Germano Patriarchæ, Georgio Cypri Episcopo, & S. Joanni Damasceno, invictis sacrarum Imaginum defensoribus; proscriptis ab urbe Constantinopoli omnibus Monachis, qui Romæ asylum quærere fuerunt coacti.

1. Negant sacras Imagines esse colendas, asserentes Idololatriam esse, illas venerari. R. Ex Concil. suprà citatis. Item ex Nicæno sub Irene Imperatrice, & Constantino ejus Filio, cui interfuerunt 350. Episcopi Orientales, præsidentibus Apostolicæ Sedis Legatis, Petro Romanæ Ecclesiæ Archipresbytero, & Petro S. Sabbæ Abbate. Item, ex Concil. Francofordiensi in quo congregati fuerunt 300. Episcopi sub Adriano I. an. 794. Demùm ex Concil. Trid. sess. 25., in quibus omnibus sancitum est, deberi sacris Imaginibus cultum, jam à tempore Apostolorum exhibitum à Christifidelibus, referentibus ad prototypum honorem, quem deferunt sacris Imaginibus: proindè nequeunt Catholici in hoc cultu Idololatriæ accusari, ut perperam dixerunt Iconoclastæ. Cæterum apponuntur Imagines Sanctorum in Ecclesiis, ut ad earumdem aspectum faciliùs excitemur ad devotionem, illa conspiciendo, quæ Christus pro nobis gessit, & Sancti operati sunt, in quo aspectu facilius, quàm per auditum, excitantur Fideles ad imitanda Sanctorum vestigia, sicut experientià constat, dum quis devoto affectu in sacras Imagines oculos piè intendit. Opportunè ergo consuevit Ecclesia, etiam à tempore Apostolorum sacras Imagines venerationi exponere. Deindè imagines sacræ rusticis hominibus pro lectione sunt, quæ enim in libris legere non possunt, è sacris imaginibus addiscunt; immò omnes obviam in eis semper habent sacrorum heroum repræsentationem, quam vel ipsi libri segniùs offerrent.

2. Dicebant in sacra Eucharistia esse solam, & verám imaginem corporis Christi, quod eo fine asserebant, non modo, ut negarent existentiam corporis Christi in Eucharistia, sed ut hoc dicendi modo, cæterarum sacrarum imaginum cultum penitùs abolerent. R. verbo *Anabaptistæ*. Contrà quos ostendi-

tur

tur Christi corpus esse verè, & realitèr sub speciebus panis; ideoque dici nequit cum Iconomachis, panem Eucharisticum esse solùm imaginem corporis Christi; legitur enim Joan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: Qui textus sufficere debet ad confundendos quoscumque negantes existentiam realem corporis Christi in Eucharistia. Confundantur & Iconoclastæ; non enim dixit Christus: *Panis, quem ego dabo*, est imago corporis meì, sed, *Caro mea est*. Item, panem Eucharisticum non esse imaginem, aut figuram corporis Christi, abundè colligitur ex aliis Christi verbis: *Hic est panis, qui de Cælo descendit: non sicut manducaverunt Patres vestri manna, & mortui sunt: qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Ex quo deducitur panem Eucharisticum non esse sicut manna quæ fuit figura panis Eucharistici, in quo realiter fideles manducant Christi corpus, quia in lege gratiæ, res non ampliùs in figura contingunt. Undè Concil. Nicænum secundum actione sexta habet: *Nullus... Incruentum nostrum sacrificium dixit imaginem corporis ejus*. Et si panis Eucharisticus esset solùm Imago corporis, non dixisset Christus: *Nisi manducaveritis Carnem filii hominis*, sed dixisset: *Nisi manducaveritis imaginem corporis mei*.

XII. Iconoclastæ Novi. (Ex Lindano, illi sunt, qui veterum Iconoclastarum errorem jam extinctum renovare impudenter ausi sunt, quorum primus fuit anno 1126. Petrus de Bruis, ejusque discipulus Henricus apostata, ambo à D. Bernardo confutati. Item Albigenses, & Valdenses contrà sacrarum imaginum cultum se invexerunt. Etiam Wicleffus hanc hæresim in Anglia refricare conatus est. Post Wicleffum, Hussitæ sacras imagines dilacerarunt, quod etiam præstitit impius Carlostadius. Demùm Zuinglii, & Calvini discipuli omnes impietates, quas jam pridem Leo Isaurus, Copronymus, & Teophylus, in sacras imagines exercuerant, renovarunt.

I. Idololatriæ. Vocantur illi omnes, qui sculptilia venerantur, & opera manuum hominum, tanquam Deos. Hos non hæreticos, sed Ethnicos dicimus, aut Paganos; decet tamen non illos, prætermittere. Incertum est qui primus incœperit alium Deum invocare, prætèr Deum verum. Sunt, qui à tempore Enos, scilicèt ann. 245. à creatione mundi invaluisse Idololatriam super terram, deducant ex aliquibus Scripturæ locis. Certum est Cham, cujus posteritas à Noè viro justo exposita fuit maledicto, à cultu Deo soli debito aberrasse: dispersisque per orbem nationibus, post Babylonicæ urbis erectionem, in varias Religiones abiisse. Cœperunt homines tamquàm Diis cultum tribuere Cælo, Soli, Lunæ, & Stellis, antequàm Jovis, Martis, aut aliorum Deorum nomen audiretur in terra. Postmodum ea, quæ humano victui erant pernecessaria, etiam in numero Deorum collocata fuerunt; hinc antiquissimus fuit apud Chaldæos, cultus ignis. Hinc etiam factum est, ut tamquàm Dii haberentur penè omnes utilium artium pro humano victu inventores: quare cum Bacchus vinearum, & Ceres agrorum culturam invenerint, intèr Deos adstipulati fuerunt. Etiam viri, qui heroicis factis se illustrarunt, divorum honorem reportavere: & quia hujusmodi heroum post mortem præsentià frui ampliùs non poterant homines, statuas confecerunt, quæ eorundem memoriam excitarent; hinc Idolorum, statuarum, simulacrorum usus intèr Gentiles ortum duxit, ante quorum conspectum procumbebant venerabundi: quà de re, multiplicatis passim divinitatibus, facta est tanta Deorum confusio, ut neque eorum numerus ipsis cognitus esset Gentilibus, qui simulacra ab ipsis erecta, & quodam superstitioso ritu dicata, Deorum suorum habitaculum esse arbitrabantur. Eò magis decepti, quod sæpè diabolus per ora Idolorum loquebatur mendacium. Contrà idololatriam extat elegans invectiva Sap. 13. cujus origo disertè ponitur cap. 14. A pluribus Imperatoribus Idolorum insania fuit reprobata. Demùm sub Theodosio juniore penitùs extincta. Vigent adhùc in America, & in Regno Chi-

Chinensi aliquæ Paganismi reliquiæ, ubi Idololatræ communiter Cælum; necnon & aliqui ignem adorant. Verbo *Polytbei* Deorum incompossibilitas ostenditur.

XVI. Jenenses, qui emerserunt anno 1598. sectam quamdam constituunt Lutheranorum, quæ confessionem Ducum Vinaciensium amplectitur: damnant præcipuè Witembergenses, & Lipsenses. Ex Prateolo.

XVI. Illuminatorum Secta, de quà agit Spondanus anno 1623. ortum suum habuit anno 1575. in Hispania, vernaculo idiomate *Adumbrados* dicti sunt, hujus hæresis sectatores: Auctores verò Cordubæ Inquisitionis sacræ sententià, debitas impietatis pœnas luerunt: ex quo factum est, ut sopita, sed non extincta Illuminatorum secta, anno 1623. reviviſceret Hispali, ubi ab Episcopo Andræa Paciecco, Generali in Hispania Inquisitore, septem ex præfatæ sectæ innovatoribus deprehensi, igni traditi fuerunt. Sexaginta sex errores in hac secta profiteri, asseruit in suo diplomate præfatus Inquisitor Generalis, quorum potissimi sunt infra recensendi. Dissipatis in Hispania Illuminatis, paulò post iterùm repullularunt in Gallia, in Picardiæ Provincia, ope cujusdam Parochi *Petri Guerini*, undè etiam *Guerini* dicti sunt à Gallis hæretici Illuminati, qui postmodùm Flandriam infestarunt anno 1634. sub Ludovico XIII., qui statim dignè severitatis judicium exequi mandavit contra hosce impuros sectarios, quapropter anno 1635. omninò eradicata fuit, & ad nihilum redacta Illuminatorum hæresis, quæ potissimùm sequentes profitebatur errores, à Michaele Molinos postmodùm refricatos.

1. Per orationem mentalem fieri unionem mentis cum Deo, ità sublimem credebant, meditationi addictum constituentem in tali perfectionis statu, ut meditationi vacans, ampliùs non egeret aliis bonis operibus, neque Ecclesiæ Sacramentis: imò absque veniali peccato posse meditantes, facta unione mentis cum Deo, committere quodcumque, licèt impurum peccatum. R. Nam licèt oratio mentalis sit optimum remedium ad acquirendam perfectionem, falsum tamen est orationem mentalem sufficere, ità ut negligi debeant alia bona opera à Deo præcepta, & Sacramenta à Christo instituta: Perfectus enim ille magis censetur esse, qui magis declinant à malo, & magis instat ad faciendum bonum. Verum autem est, quod ad veram, & continuatam orationem mentalem, consectaneæ sunt in anima orante omnes virtutes; quapropter summus *Illuminatorum* error erat talem sibi finxisse orationem, quæ animam non reformaret, hancque putarent ad studium perfectionis sufficere; sed vera oratio non potest non reformare, & perficere orantem, eundemque ad omnia bona opera excitare. Tum quia opera bona sunt omninò necessaria ad salutem, ut probavimus contra Antinomos; sed jam non essent necessaria; si per orationem mentalem acquiri posset perfectio; imò plures idiotæ, qui nesciunt meditari, nunquàm possent ad perfectionem pervenire, cum tamen sæpè sit magis Deo accepta anima alicujus simplicis, qui declinat à malo, & facit bonum quod scit, licèt nunquàm noverit meditari, quàm anima eorum, qui, licet meditari sciant, non tamen cum tanto fervore sicut simplices, & idiotæ exercentur in bono, & student declinare à malo. Tum quia Christus non hortatur simpliciter ad meditationem, sed hortatur efficaciter ad bona opera, ad implementum legis, quam nobis exhibuit: Lex autem Christiana præcipit plura bona opera, plura habet præcepta tam negativa, quam positiva, quæ opus est adimplere, ut salutem consequamur. Nullibi autem legitur solum sufficere studium meditationis. Tum quia veræ meditationis fructus est proponere obedire exactè mandatis Divinis, declinando à malo, & faciendo bonum: Quapropter D. Paulus nos admonet ad Philip. 2. 12., ut cum metu, & tremore nostram operemur salutem. Et D. Petrus Epist. 2. cap. 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis*

tis aliquando. Tantùm abeſt, quòd liceat homini perfecto, abſque imputatione peccati, peccatis ſe inquinare, ut aſſerunt Illuminati. Tum quia ad perſeverandum in ſtatu perfectionis, opus eſt operari bonum, & reſiſtere diabolo tentanti, cui non reſiſtitur, niſi per exhibitionem bonorum operum; Deus enim, licèt velit eſſe auxiliator noſter, & exhibeat adjutorium gratiæ ad benè operandum, & ad ſuperandas tentationes, vult tamen nos cooperari gratiæ: Ex quo ſequitur, nos debere cooperari activè, & ad bona opera, & Sacramenta recurrere. Tum quia Deus omni tempore prohibuit peccata impura, quæ non modò opere conſumantur, ſed etiam cogitatione committuntur; ergo falſum eſt, abſque imputatione peccati poſſe meditantes per acquiſitam unionem mentis cum Deo, hujuſmodi peccatis ſe inquinare. Tandem Deus abhorret in homine potiſſimùm peccata impuritatis, propter quæ ſæpè mundum peſte, fame, bello, diluviis, & etiam igne laſcivos peccatores punivit; ergo nullatenùs poteſt ſubſiſtere unio mentis cum Deo in illo, qui hiſce ſceleribus potiùs unitur cum diabolo.

2. Ex præfato errore deducebant Illuminati, opus eſſe ſolùm relinquere ut Deus ageret in homine; hominem verò nullatenùs teneri ad agendum, contrà illud D. Petri teſtimonium ſupra adductum, quod ſufficit ad confundendos Illuminatos, qui per meditationem perveniri poſſe ad talem ſtatum aſſerebant; itaut actiones omnes, licèt per ſe malæ, ſanctificarentur; quapropter veram devotionem, in quo conſiſteret, ignoraſſe omnes SS. Patres aſſerebant, & impuris hiſce ſectariis ſolùm revelatum fuiſſe gloriabuntur, qui devotionem totam reponebant in unione mentis cum Deo, nullatenùs curando de executione bonorum operum, dicentes, Deum ſolùm amare ſeipſum, nihil prorſus curare de noſtris bonis operibus; cum tamen ſciamus quantùm amet bona opera, ad quæ nos frequentèr hortatur. Demùm aſſerebant Illuminati poſt decennium, Illuminatorum ſectam in toto orbe dilatandam, nec imposterùm ampliùs opus fore pro bono regimine Eccleſiæ Epiſcopis, Parochis, aut Religioſis; quæ omnia refert Victorius Syrius in ſuis memoriis reconditis.

XVI. Impeccabiles (ex Joſeph de Turre) ſecta ſunt Anabaptiſtæ, emerſerunt anno 1544. Docebant hominem baptizatum non ampliùs poſſe inquinari peccato, & ſi quid humani pateretur, deleri virtute baptiſmi. R. Nam ex ſacra Scriptura legimus, quòd etiam juſtus ſæpè cadit. Chriſtus docuit Petrum remittere peccata, non modò uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties, quod fuiſſet ſuperfluum, ſi baptizatus non ampliùs poſſet peccare. Tum quia quidquid vel per omiſſionem, vel per commiſſionem fit contrà Divinam legem, eſt peccatum; conſtat autem baptizatos, ſæpè plura facere contrà Divinam legem. Quod ſi peccata hominis baptizati, ideſt quæ committuntur poſt baptiſmum, delerentur virtute baptiſmi, ſuperfluum fuiſſet inſtituere Sacramentum pœnitentiæ. Tum quia baptiſmus eſt lavacrum; ſordes autem quæ nondum ſunt, lavari nequeunt; ergo baptiſmus non poteſt delere peccata, quæ committuntur poſt baptiſmum. Vide verbo *Jovinianus*.

XIV. Impurorum Secta. Anno 1340. menſe Martii detecta eſt perfida ſimulatio cujuſdam adoleſcentulæ Cremonenſis agri, obſcuro quidem loco natæ, ſed formà, totoque corporis habitu, & gratia morum, ac venuſtate, etiam ad nobiliſſimarum invidiam ornatæ, quæ ad imitationem ſceleratæ quondam Guillelminæ (de qua actum ſuo loco) externo cultu, jejuniis, & auſteritatibus, ſanctimoniæ exemplo cunctis palàm exiſtens, ſecreto ſacrilegio cujusdam impuriſſimi Sacerdotis, flagitioſam vitam agebat; quouſque ſumptà audacià in publicum prodeundi, compoſita ad omnem imaginem ſeveritatis, vitæ ſanctioris auctrix, unà cum ſuo amaſio videri voluit, concionanteſque paſſim, fecere aſſeclarum ad decem mille, qui turpem privatim vitam ducentes, in hominum conſpectu verberabant ſeſe, ac ſeminudi incedebant.

bant. Latè pervagati, demumque Mediolani detecti, Archiepiscopi monitu, auctores sectæ ab Episcopo Cremonensi compræhensi sunt, & igni damnati.

XI. Incestuosi. Error asserentium matrimonia in quarto consanguinitatis gradu licita esse, à quo originem duxerit, incertum. Viguit tamen potissimùm Ravennæ, excitatus à nonnullis Jureconsultis, & præcipuè à quodam Doctore Florentino, qui mordicùs hunc errorem propagabat. Hanc sententiam suis doctissimis scriptis eruditissimè confutavit S. Petrus Damiani, & in Concil. Romano sub Papa Alexand. II. hac de causa congregato anno 1065. damnati fuerunt Incestuosi, qui asserebant licitè in quarto consanguinitatis gradu posse contrahi matrimonium. R. ex pluribus Ecclesiæ definitionibus, quæ in Conciliis congregata, dignis de causis prohibuit conjugia inter consanguineos in quarto gradu, quod definivit Ecclesia pro majori bono; ubi autem agitur de bono promovendo, Ecclesia habet auctoritatem constituendi leges. Una ex validis rationibus, propter quam laudabiliter Ecclesia prohibuit conjugia in quarto gradu, est, quòd cum homines speciali instinctu naturæ habeant inter se familiaritatem, ex hac familiaritate, si libera essent conjugia in quarto gradu, orirentur scandala, nec posset auferri suspicio vehemens ex frequenti cohabitatione consanguineorum. Motivum aliud est etiam, quòd cum in quarta generatione videatur deficere vis ejusdem sanguinis, quæ à primo stipite oritur, ad uniendos iterùm animos post quartum gradum renovari possunt conjugia, quæ cum propagatione generis, etiam animorum unionem respiciunt. Tertium motivum, & magni momenti, ne contingat familias à familiis divisas conservari, sicut inter Judæos Tribus à Tribubus divisæ conservabantur, quod utique facilè contingeret, si è proprio sanguine conjuges sumere in quovis gradu liceret. Cum ergo Christiana charitas perficiat naturalem amorem, oportuit ut hic amor ad diversas familias cognationibus protenderetur, & opportunam legem impedimentorum matrimonialium sancire. Antiquitùs usque ad septimum gradum procedebant; postmodùm justè ad quartum restituta sunt.

Independentes. Vide verbo *Puritani*, ubi de Independentibus actum est.

Incorruptibiles. Vide *Gajanitæ*, & *Aphtardocitæ*, etiam dicti *Impassibiles*.

V. Indiani, populi per D.Thomam Apostolum ad fidem conversi, Christianos se profitentur, cum tamen pluribus erroribus veram fidem contaminent.

1. Circumcisionem recipiunt. R. verbo *Ærarius*.

2. Adurunt parvulos in fronte stylo ferreo per modum Crucis, cum eos baptizant. R. Quia de materia, & forma baptismi, ubi agitur in sac. pagin. nulla fit mentio de signo Crucis faciendo cum stylo ferreo ignito. Vide verbo *Jacobitæ*, & *Efrontes*. Item, quod baptismi validitas non consistat in signo Crucis. Vide *Claudius Taurinensis*.

3. In fermento conficiunt Eucharistiam, azyma reprobantes. R. verbo *Græci*.

4. Communicant sub utraque specie, credentes hoc esse de necessitate salutis. R. verbo *Bohemi*.

XVI. Infernales. Illi vocantur, qui quorundam veterum errorem renovarunt, asserentium Christum descendisse usque ad locum damnatorum, ibique in animà suà omnia damnatorum tormenta passum esse. Nicolaus Gallus, & Jacobus Smidellinus hujus erroris inventores, sivè potiùs renovatores esse censentur. R. Nam Christum descendisse ad Inferos, significat descendisse ad locum, in quo detinebantur animæ sanctorum Patrum; non verò ad locum in quo torquebantur animæ damnatorum. Tum quia Christus, quà Deus, erat impassibilis, quà homo, fuit impeccabilis, nec potuit pati tormenta, quæ Deus solis peccatoribus præparavit. Vide verbo *Beza*.

XII. Insabbatati. Iidem sunt, ac Valdenses, à quibus tamen distinguebantur, eò quòd in majoris perfectionis argu-

gumentum, in superiori parte calcei signum aliquod deferre consueverunt. Cœpit autem hæc hæresis in Hispania circà annum 1160. sub Alexand. III. Summo Pontifice, ubi cum calcei vulgò dicantur *Zappati*, ideò Insabbatati dicti sunt, contrà quos Concil. Tarraconense celebratum est anno 1240. Eorum partialis error est sequens:

Negant bonum esse, aut posse orare pro aliquo in particulari. R. ex Apostolo ad Rom. 15. 30. ubi Apostolus hortatur Romanos, ut specialitèr orent pro eo in particulari: *Obsecro vos fratres per Dominum nostrum Jesum Christum, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum*. Item, Christus Dominus oravit aliquando pro solo Petro. Ex quo sequitur, non modò licitum, sed bonum esse orare pro uno solo. Ecclesia, cum Petrus erat in carcere, orabat ad Deum pro eo. David orabat pro seipso: *Miserere mei Deus*. Bonus Latro in cruce oravit pro se. Lucæ 23. *Memento mei, dum veneris in regnum tuum*. Quod evidens est argumentum unumquemque posse orare pro seipso, secundùm suam indigentiam.

VI. INSTABILES. Quidam ex Manichæorum secta, discipuli cujusdam Sergii, qui se Pauli Apostoli discipulum jactitabat, imò etiam se Paraclitum, ac lucidam stellam esse efficiebat, Instabiles sunt nuncupati, qui iidem, ac Astati esse censentur.

IV. INSTANTIUS (ex Durand. lib. 2. art. 44.) fuit Episcopus Hispanus, & unà cum Salviano pariter Hispano Episcopo, non modò Priscillianorum erroribus adhæsit, sed insuper prædicavit.

1. Plures esse Deos. R. verbo *Politheismus*.

2. Animas hominum, & corpora subjecta esse fatalibus stellis. Vide verbo *Cacus*.

3. Prophetas non intellexisse ea, de quibus loquebantur. R. Nam Prophetia est Divina revelatio, rerum eventus immobili veritate denuntians, vel circa futura contingentia, vel circa Divinæ voluntatis decreta, vel circa secreta cordium, & similium; sed Prophetæ, qui Deo inspirante locuti sunt, ut probavit eventus, de facto intellexerunt, quæ prædixerunt, ergo intellexerunt, quæ locuti sunt. Minor est evidens in sacris paginis, ubi sæpè legimus res contigisse, sicut de facto Prophetæ prædixerunt. Hinc legitur de Daniele cap. 1. vers. 17. quòd Deus ipsi dederit intelligentiam omnium visionum, & somniorum. Item ad rem Job 32. *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam*. Veri Prophetæ nonnisi vera locuti sunt, quæ aut jam verificata patent, aut opportuno tempore manifesta fient.

XVI. INTERIMISTÆ [Ex Spondan. ann. 1548.] degebat Augustæ Carolus V. Imperator, qui cum pacis instaurandæ in Germania, quæ Lutheranismo erat infecta, & in varias opiniones divisa, se anxium perhiberet omnia de Religione capita, Concilii Tridentini sanctionibus remittenda fore Catholicè, & prudenter stabilierat, sed cum intellexisset varias ob causas dilatos esse Concilii Tridentini congressus, impatiens componendi Religionis dissidia, quæ Germaniam dilaniabant, remedium adhibere constituit, quod immò Germaniæ plagam magis, ac magis exacerbavit. Remedium à Carolo fuit propositum, ut quid in Germania sentiendum foret in materia fidei, ita proponeretur, ut usque ad Concilii Tridentini resolutionem, nulla alia posset credendi formula admitti, quàm quæ Cæsaris jussu promulgaretur. Ad hanc formulam componendam delegit Imperator Episcopum Naumburgicum Julium Sflugium, Michaelem Heldingum Episcopum Sidoniensem, Moguntini Archiepiscopi Suffraganeum, & Joannem Agricolam Islebium, qui cum jam pridem apostatasset à fide, factus Antinomorum princeps, ad Catholicam Religionem postmodùm redierat. Ab his ergo tribus delectis viris liber exaratus, cui datus est titulus *Interim*, eo quòd præscriberet doctrinæ formulam in Germania retinendam, usque dum Ecclesia in Concilio congregata, definitiones suas promulgaret. Complectebatur præfatus Il-

liber capita vigintisex ; de præcipuis Christianæ Religionis dogmatibus, de Sacramentis, de Æconomia, ac de Cœremoniis Ecclesiæ. In hoc libro concedebatur potissimùm Sacerdotio initiatis conjugium, & laicis communio sub utraque specie. Non modò à Catholicis, sed etiam ab hæreticis variis scriptis impugnatus statim fuit liber, sivè *Interim Cæsareum*, pro cujus observantia, nimis quàm par esset, auctoritate sua Carolus utebatur ; eademque damna peperit in Religione *Interim Cæsareum*, quæ jam produxerant Zenonis *Henoticon*, Heraclii *Ecthesis*, & Constantii *Typus*. Quos libros, cum præfati Imperatores prætextu sedandarum in Religione scissionum, infaustis edictis promulgassent, nihilominùs majora in Ecclesia dissidia pepererunt, æquè infaustum fuit Religioni *Interim Cæsareum*. Doctrinæ in præfato *Interim* contentæ, vel in toto, vel in parte sectatores, dicti sunt Interimistæ, qui fuerunt in triplici genere: Alii vocabantur Interimistæ *Cæsarei*, qui in nullo se Lutheranos profitebantur, præterquàm in usu Calicis, & Sacerdotum conjugio, consentientes in reliquis cum toto orbe Christiano: Alii dicti sunt Interimistæ *Lypsiei*, ab urbe Lypsia Misniæ, cujus Ministri *Cæsareum Interim* connexerunt novo condito, quo ritus quidem, & cæremonias facilè admittebant, plus tamen aliquid de doctrina Lutheri retinentes: Tertii demùm Interimistæ dicti sunt *Francici*, idest Marchionis Alberti concionatores, qui etiam in *Interim. Lypsino* quædam emendarunt, asserentes contrà decretum Lypsiensium, Corpus Christi nullatenùs fore in Pixide servandum.

XVI. Invisibiles ; de quibus agit *Prateolus*, ex secta rigidiorum Confessionistarum prodierunt circa ann. 1540. asserentes nullam in terris dari visibilem Ecclesiam ; quam sententiam docuerat Lutherus, sed postmodùm retractavit; retinuerunt nihilominùs hunc errorem plures ex Lutheri sequacibus. R. Nam Ecclesia repræsentatur per Pontificem, & Episcopos in Conciliis congregatos ; ergo est visibilis, Ecclesia vocatur grex, cujus oves sunt Christifideles, ergo est visibilis, sicut visibilis est pastor, cui dictum Joann. 25. *Pasce oves meas*: sed si Ecclesia esset invisibilis, non posset pastor pascere agnos. Tum quia Christus præcipit, quod quando frater est incorrigibilis, dicamus Ecclesiæ; hoc fieri non posset, si Ecclesia esset invisibilis. Paulus profitetur se persecutum fuisse Ecclesiam Dei, scilicet fideles, qui sunt membra Ecclesiæ: Hoc autem non subsisteret, si Ecclesia esset invisibilis. In actibus Apost. 12. legimus, quod *Herodes Rex misit manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia*. Item *Posuit Christus Episcopos regere Ecclesiam Dei*: quod percipi non posset, si Ecclesia non esset visibilis, Ecclesia utique est invisibilis, quoad dona spiritualia, quæ in ipsa sunt, quoad efficaciam Sacramentorum, non autem est invisibilis quoad congregationem fidelium, qui Deum suo eadem lege, sub eodem capite visibili adorant. Vide verbo *Brentius*.

XVI. Joachinus Westfalus, Hamburgi ortum habuit anno 1510. & inter Lutheranos, tamquam unus ex primariis suis Theologis, veneratur. Contrà Calvinum in materia Sacramentorum scripsit, & vicissim Calvinus calamum acuit contra Westfalum. Etiam Beza Westfalum impugnare est aggressus: utrumque scriptis suis Westfalus confutavit. Hamburgi decessit anno 1574. ex Bayl. in dict. critic.

XVI. Joachinus Curæus, secta Calvinista, in Exegesi de sacra Cœna asserit Deum, ne quidem per omnipotentiam suam posse efficere, ut corpus non habeat extensionem localem. R. à Philosophis, qui efficaciter probant posse corpus Divinitùs existere sinè extensione, & dimensione locali. Tum quia, quidquid contradictionem non involvit, à Deo fieri potest, sed nullam involvit contradictionem quod corpus existat sinè dimensione locali. Huc etiam spectat, quod legitur Matth. 19. 26. *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt*. Deum esse omnipotentem sæpè clamant sacræ pag. Genes. 13.

nef. 13. 18. 28. Reg. 1. 12. Paralip. 2. 14. Job 42. In Pfalm. David fæpe etiam Deum omnipotentem effe concinit. Sicut etiam omnes Prophetæ, & Euangelia omnipotentiam Dei prædicant.

XII. **Joachimus Abbas**, in vico propè cofcientiam in Calabria, anno mixi. genitus, in aulà Neapolitani Regis, ætatis annorum 14., vix delibatis humanioribus literis, defervivit. Deindè ad loca fancta profectus, in Monte Thabor quadraginta dierum fpatio, fummà cum aufteritate victitans, delituit. Patriam reverfus, in Monafterio Sambucenfi aliquandiù commoratus, Cifterciensis Ordinis habitum affumpfit. Abbas electus, arctiori in folitudine, obtenta à Lucio III. facultate, fe recepit, ubi operum fuorum compofitioni manum admovit: inter quæ librum compofuit contrà Magiftrum fententiarum, in quo afferuit in Divinis effentiam generare effentiam; qui modus dicendi apertè Tritheifmum fentit. Reprobandus verbo *Tritheitæ*. Hanc tamen fententiam in alio opere infcripto *Pfalterium decem chordarum*, ipfe retractavit, ubi orthodoxo calamo fcripfit. Cæterùm fuo fenfui nimis credens, aliquà etiam de futuro divinare eft arbitratus, quæ tamen falfa fuiffe, contrarius eventus comprobavit. Biennio antequam è vita migraret, S. Sedis judicio, authentica proteftatione, omnia fua fcripta fubmifit corrigenda, approbanda, vel condemnanda, prout Romanæ Sedi benè vifum fuerit. Proindè Innocentius III. Joachini opera, non tamen Auctorem damnavit, quem tamquam Orthodoxum virum Honorius III. declaravit; ita ut operum condemnatio venerationem, quæ auctoris pietati debetur, non imminuat. Videatur Bellarmin. de Scriptoribus Ecclefiafticis.

XVI. **Joanna** Bucera, præter Calvini hærefim, quam profitebatur in Anglia, etiam Valentini hærefim innovavit, ab ipfis hæreticis Londini combufta. Varias in Anglia hærefes hoc anno diffeminatas, fivè ex antiquis jam extinctis defumptas, & refricatas. Vide in Annal. Odor. Rinald. ad ann. 1550.

XVI. **Joannes Agricola** (ex Spondan. ann. 1540.) natus Islebii, Lutheri concivis, cum Witembergæ Theologicum curfum perfeciffet, Lutheri fe profefforem declaravit. Propter fuam eloquentiam Electori Saxono, & Comiti Mansfeldenfi valdè acceptus, cum Melancthone diffidium habuit. Witembergæ Minifter conftitutus, novam propofuit doctrinam, cujus fectatores *Antinomi* funt dicti. Ex quo factum eft, ut novæ fectæ fe Coriphęum conftitueret; quod ægrè accepit fuperbus Lutherus, qui novitate doctrinæ folus omnibus præeffe cupidus, Agricolam impugnavit. In Comitiis Auguftanis, doctrinæ Saxonicæ confeffionem, unà cum Melancthone, & Brentio defendit: fed ad communionem Catholicam iterùm reverfus; poftmodùm Sidenio, & Phlugio Comitem fe adjunxit, hortante Carolo Quinto, ad libellum *Interim* dictum componendum. Deceffit Berlini, ann. 1566. ætatis fuæ 74. Vide verbo *Antinomi*.

XV. **Joannes Bechaim**, referente Sandero, hæref. 179. profeffione pecorarius, Wicleffi erroribus addictus, cadente feculo 15. etiam dogmatizare eft aufus, pluribufque rufticis (erat fiquidem Tympanifta) convocatis, iterùm Wicleffi renovavit errorem, in quo docebat, nullatenùs folvendas effe decimas Clero, ficut & nullam effe obligationem folvendi vectigalia, & tributa Principibus; quin aquas, & nemora omnibus afferebat effe communia. R. verbo *Wicleffus*.

XIV. **Joannes Banæus**, Wicleffi hærefiarchę difcipulus, motuum, & diffenfionum, quę anno 1385. Angliam infeftarunt, pręcipuus excitator, omnis dominationis, obfequii, & ordinis hoftis infenfiffimus; tandem captus, exenteratus eft, & in quatuor partes diffectus fuit, prout colligitur, ex hift. Wiclef. Peculiariter afferebat.

1. Decimas non effe dandas, nifi qui reciperet, effet pauperior dante, imò, nifi ille cui daretur, inculpabilioris effet vitę, quàm qui daret. R. ex his

 quę

quę dicimus contrà Vvicleff. oftendentes decimas esse solvendas. Videatur deindè D. Thom. 2. 2. q.87. art. 1. Plures etiam alii Doctores ostendunt esse de jure naturali Divino alimenta præbere ministris Religionis, & cultus. Unde conveniens judicavit Ecclesia, ut determinata alimentorum ratio, quę de jure Divino in veteri lege solutione decimarum servabatur, etiam in novà lege positivo jure taxaretur, & consequentèr nullatenùs negari possunt, cui debentur, sivè qui recipit, sit ditior, sivè non sic tam probus, quàm qui solvit.

2. Neminem ex illegitimo matrimonio natum salvari posse. R. Quia Christus pro omnibus mortuus est, vult omnes salvos fieri. Tum quia filius non portat iniquitatem patris. Tum quia illicitum matrimonium esse prohibitum, certum est; sed ex illegitimo matrimonio natos, damnandos esse, nullibi legimus. Tum quia videmus plures homines ex illegitimo matrimonio natos, cum summà ędificatione vivere juxtà legem Euangelicam, quam qui observat, consequitur salutem; ergo &c. Quin & Christus Dominus non est dedignatus originem habere ex Phare illegitimo Judę filio; quod enim in illegitimis est naturę, bonum est, & Deus fecit, licèt parentes malè, quod bonum est, fecerint.

XIV. Joannes Beret, etiam inter primarios Wicleffi discipulos adnumeratur, & peculiaritèr dogmatizavit, quantùm constat ex histor. Wiclef.

1. Nec Regi, nec Episcopo, qui peccato mortali implicati essent, ullatenùs obediendum. R. verbo Wicleffus.

2. Nullum in fornicatione, & stupro peccatum subesse. Rep. verbo *Nicolaitæ*.

XVI. Joannes de Bruch. Vide *David Georgius*, idem enim est, qui Basileam commigrans, sub nomine *Joannis de Bruch* latitans, ibidem mortuus est anno 1556. sed post obitum ejus, annis circiter duobus, compertum fuit ipsum fuisse Davidem Georgium, cui paulò ante in Flandria plurimi Anabaptistæ adhæserant.

XVI. Joannes Casimirus, Comes Palatinus, in sua reformatione Ecclesiastica, plura sancivit contra Romanam Ecclesiam, & disciplinam Ecclesiasticam, quæ jam in hoc opere confutata contrà alios Lutheranos hæreticos perhibentur.

XVI. Joannes Bugenghangius, Pomeranus ex oppido Julino, & familià Senatorià natus; Sacerdos impurus, & regularis excucullatus, Witembergæ hæreticis præfuit. Tanquam pastor eorum synagogæ superintendens, librum edidit inscriptum: *Adversùs fures Calicis*, scatentem de more Lutheranorum maledictis, mendaciis, & calumniis, in quo probare nititur esse necessarium usum Calicis, & improbat Missæ sacrificium. SummumPontificem præsumptuosè agens in Dania, ibi Lutheranos Episcopos constituit, relegatis Catholicis, & hæresim stabilivit, ex Spond. ann. 1532.

XVI. Joannes Carnovsus; epistolà ad Calvinum, negat Spiritum sanctum ex Patre, Filioque procedere. R. verbo *Græci*.

XVI. Joannes Clericus, Meldensis in Gallia urbs ad Matronam fluvium sita, itinere unius diei à Lutetia distans, lanæ carminator, cum ob vocatum Papam Antichristum, virgis cæsus, & ut à nonnullis asseritur, lilio quoque candenti in fronte inustus, Metas sese recepisset; ibi propter deturbatas noctu in quodam sacello sacras Imagines, tormentis subjectus, igne periit, quem propterea Beza Genevensium Calvini starum posteà Calipha, in suis Iconibus primum instauratorem Ecclesiæ Metensis prædicat, & Meldensis.

XVIII. Joannes Clericus, dum hæc scribimus adhuc superstes, librum vulgavit, cui titulum præfixit: *Joannis Clerici quæstiones Hieronymianæ, in quibus expenditur Hieronymi nupera editio Parisina, multaque ad criticam sacram, & prophanam pertinentia agitantur. Amstelodami apud Westenios 1719.* In hoc opere auctor se verum probat progenitorum suorum in hæresis perfidia hæredem, sì à Joanne Clerico, qui vixit tempore Calvini, suam fortè trahit originem.

nem. In præfato opere sibi præfixit Clericus impetere Joannem Martianæum Congregationis S. Mauri Monachum studiosissimum, qui publici juris recenter fecit opera D. Hieronymi, & eadem ab hæreticorum calumniis, præcipuè à David, & Joanne Clerici in S. Doctorem illatis, vindicavit. Insuper Joannes Clericus in suo libro potissimùm in S. Hieronymi doctrinam, & scientiam per tot secula ab universà Ecclesia receptam, & commendatam invehitur, eundem S. Doctorem sugillando, tanquam linguæ Græcæ, & Hebraicæ ignarum, confusum, audacem, jactabundum, Origenistam. Quis in hac scribendi methodo, non dico, non miretur Scriptoris audaciam, sed non compatiatur ejusdem dixerim stultitiæ, dum culicem cernit, qui in leonem exasperatur? Quid sibi soli revelatum jactat Clericus in directione operum S. Hieronymi, quod tot præterierit Sanctos, effugerit sapientes, qui intemeratam Hieronymi doctrinam semper venerabundi receperunt per tredecim secula? Ergo ignorantià laborarunt omnes Hieronymianæ doctrinæ veneratores, usque ad Clerici novissima tempora, & ipse solus valuit ad trutinam Hieronymi scripta reducere? Malè etiam sensit Clericus de indicibus Romanis, & Hispanis, pejus de sacrosancta Tridentina Synodo, quæ omnia, ejus opus percurrenti, facilè obvia apparebunt, ex quo quale judicium formari debeat de hoc novissimo critico acatholico, lectoris sensui relinquo.

IX. JOANNES ERIGENA ingenio excellens, natione Hibernus, sub Carolo Calvo in Galliam se contulit, qui Joannis Erigenæ doctrinà, & moribus allectus, eum sem familiarissimum habuit; sed cum librum edidisset, in quo de Sacramento Eucharistiæ non Catholicè sentire videbatur, datis à Pontifice litteris ad Regem Galliæ, proscriptus fuit Joannes, quem tamen aliqui credunt, solùm aliquas movisse quæstiones circa Sacramentum Eucharistiæ, nullatenùs verò à Catholica dissensisse veritate. Quidquid hac de re sit, certum est, post Erigenæ obitum, librum ab eo exaratum (in quo auctor Sacramentarius videbatur, innuens in Sacramento Eucharistiæ nihil esse, nisi figuram Corporis Christi) in tribus Conciliis Parisiensi, Vercellensi, Romano fuisse proscriptum; Quare communiter Sacramentariorum primipilus esse censetur Joannes Erigena, à quo Berengarius suam hausit erroneam doctrinam, judicio Concilii Romani, sub Nicolao II. compulsus Joannis Erigenæ librum, cujus auctoritate fulciebatur, propriis manibus flammis tradere. Joannes e Galliis exul, Angliam reversus, pedagogum agere coactus, ut victitaret, à discipulis suis pugionum ictibus interemptus creditur, cadente seculo nono. Reprobatur ejus hæresis verbo *Berengarius*. Ex Jacobo Varræo de script. Hiberniæ.

IV. JOANNES JEROSOLYMITANUS, fuit fautor Origenistarum, & insuper in Antropomorphitarum errorem prolapsus est, ex Hieron. epist. ad Pamach.

XIV. JOANNES JANDUNUS, patrià Perusinus, unà cum Marsilio Patavino, dicto de Menandrino, doctrinæ magis curiosæ, quàm solidæ homines, Ludovici Bavari Imperatoris Doctores jurisconsulti stipendiarii, plura scripserunt, præcipuè contrà Joann. XXII. tunc Pontificem, qui eosdem tamquam hæreticos condemnavit: errores, quos promulgabant, sunt:

1. Christum ex necessitate, & obligatione solvisse tributum Cæsari, non ex pietate: ex quo inferebant, de bonis temporalibus Ecclesiæ posse ad libitum, tanquam propriis, Imperatorem disponere. R. Nam Christus, quando dixit Petro. Matth. 17. vers. 26. *Ut iret ad mare, mitteret hamum, staterem ab ore piscis sumeret*; non dixit Petro: *Staterem sume, & solve*; sed dixit: *Staterem sume, & da pro me, & te*. Dedit itaque didrachma, non solvit, ne fieret scandalum in populo, sed ita dedit, ut immunitati Ecclesiæ prospiceret; non enim dixit: *Solve, sed da*; sæpè enim ad evitanda jurgia Ecclesiastici dant seculari potestati, quod solvere non tenentur.

tur. Dedit ergo Christus didrachma ex pietate, non ex necessitate; dixit enim Petro: *Ut non scandalizemus &c. da pro me, & te.* Cæterùm non posse Imperatores de bonis temporalibus Ecclesiæ, ad libitum disponere tamquam propriis, constat cuicumque rationis compoti; nemo enim habet dominium in res alienas: bona Ecclesiæ sunt omninò Ecclesiæ propria, utpotè à pietate Fidelium spontè oblata; & sicut Imperator non poterat de illis bonis ad libitum disponere tamquam propriis, quandò adhuc erant propria offerentium, ita neque postquàm per piam oblationem facta sunt propria Ecclesiæ, potest de illis disponere: Nulla enim est possessio magis legitima, quàm quæ acquiritur per spontaneam donationem.

2. Christum in cælos ascendentem nullum in Ecclesia visibile caput constituisse, nullum Vicarium reliquisse. R. verbo *Hussita*, *Jacobus Præpositi*, *Armeni*, *Arnaudus*. Sed præter ibi dicta, adhuc expressè probatur, S. Petrum universæ Ecclesiæ principem, & pastorem à Christo fuisse constitutum, præcipuè ex illo Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; ut mirum sit, quomodò audeant hæretici veritatem hanc adeò patentem impugnare; & certè nomine hujus petræ ab Euangelistâ designatæ, non nisi Petrum intelligendum esse, satis denotat connexio verborum sacri Textus, ubi ly *super hanc petram*, appellat super Petrum, de quo immediatè antecedenter habetur sermo, dum dicitur: *Tu es Petrus*, quod negat Erasmus, qui nomine hujus petræ vult omnem hominem fidelem intelligendum esse. Negat Calvinus, qui nomine hujus petræ vult venire Christum: quamquam iste Calvini sensus hæreticus non sit, nisi in ore Calvini, propter intentionem perversam, & aliqui Catholici non negent etiam sic licere locum exponere, prout aliquandò exposuit S. Augustinus, & alii. Negat Lutherus, qui nomine hujus petræ vult intelligi fidei confessionem; sed nulla ex his interpretationibus subsistit. Non prima, nam si res se haberet in sensu Erasmi, debuisset Christus dicere Petro, utpotè alloquens omnes Fideles: *Vos estis petræ*. Tum quia tot essent fundamenta Ecclesiæ, quot fideles, & sic ædificium Ecclesiasticum consisteret totum in puris fundamentis. Tum quia Erasmus dicit, implicare, quòd super hominem fundetur Ecclesia; ergo pariter implicat, quòd fundetur super fideles, qui sunt etiam homines. Tum quia omnes ferè SS. PP. exponunt hunc textum Matth. 16. litteralitèr, & intelligunt de facto pro petra Divum Petrum, utpotè constitutum universalis Ecclesiæ principem, sic designatum à Christo sub nomine petræ fundamentalis.

Sed neque subsistit interpretatio data à Calvino, in ejus sensu; scilicet sub nomine petræ Christum venire, per positivam Vicarii sui exclusionem. Nam licèt Christus utique sit prima petra fundamentalis totius Ecclesiæ, Petrus verò solùm sit petra fundamentalis loco Christi suffecta; dico tamen ex adducto loco Matth. 16. nomine petræ non posse colligi Christum, nisi alienentur verba; Christus enim ille est, qui Petrum alloquitur, cui cum dixisset: *Tu es Petrus*, statim subdit: *& super hanc petram*, ubi constat, quòd ly, *hanc* appellat supra Petrum: Cæterùm, si Christus de seipso loquebatur, debebat dicere: Ego sum petra, & super hanc &c. ad quid enim præmittere: *Tu es Petrus*, ut subderet de seipso: *Et super hanc petram*?

Neque demùm nomine hujus petræ intelligi potest cum Luthero fidei confessio, nisi sub nomine hujus fidei veniat fides Petri, quatenùs Petrus est totius Ecclesiæ pastor, in quo sensu idem erit, ac dicere, nomine hujus petræ designatæ à Matthæo, venire Petrum, & Petrum esse totius Ecclesiæ pastorem; quo admisso, satis habemus, nihil enim ultrà probare nitimur in præsenti, quàm Petrum esse totius Ecclesiæ pastorem: sed ratio movens Lutherum ad asserendum nomine petræ fundamentalis venire fidei confessionem, non Petrum, est, quia, ut ipse ait, si nomine petræ fundamentalis

lis veniret Petrus, jam fundamentum Ecclesiæ corruisset, quia Petrus Christum negavit; sed hæc ratio nihil evincit, quia quandò Christus dixit Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, solùm designavit Petrum futurum petram fundamentalem Ecclesiæ, sed pro tunc nondùm eumdem stabilierat tamquam fundamentum indefectibile, nondùm enim ei dixerat: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; postquàm enim hæc à Christo dicta sunt Petro, Petrus immobilis perseveravit in fide: ratio etiam evincit quòd Christus per præfata verba ad Petrum, solùm eumdem designaverit futurum suum successorem visibilem in regimine Ecclesiæ, quia cùm hæc dicta sunt à Christo Petro, scilicet *Tu es Petrus &c.* Christus adhuc nobiscum degebat, quapropter nondum opus habebat Vicario, quem post resurrectionem suam Ecclesiæ visibili constituit, & præposuit. Adde, quòd quando Petrus negavit Christum, propriè non defecit à fide, sed timore præoccupatus, potiùs excidit à charitate. Hinc S. Bernard. tract. de Gratia, & libero arbitrio cap. 12. negationem Petri discutiens ait: *Peccavit autem non spernendo, aut odiendo Christum, sed se nimis amando, quia scilicet nimis timuit mortem corporis*. Stat ergo, Petrum de facto constitutum universæ Ecclesiæ principem, & de persona Petri Christum locutum fuisse, non autem de omni fideli homine, aut de seipso, aut de confessione fidei, cum dixit; *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Quod adhuc magis declarant subsequentia verba, quæ leguntur Matt. 16. *Et tibi dabo Claves*, quæ etiam in contrarium sensum extorquere conantur Lutherus, Calvinus, &. omnes hæretici hujus temporis, qui negantes primatum Petri, volunt illa verba non ad personam Petri, sed ad universam Ecclesiam pertinere, quam Ecclesiam (dicunt hæretici,) Petrus repræsentabat; undè volunt, claves datas esse universæ Ecclesiæ, & per Ecclesiam pastoribus universis, non autem datas esse immediatè Petro.

Attamen datas esse immediatè Petro claves, satis apertè designatur per pronomen *Tibi*, specificatur per nomen proprium *Petri*, scilicèt *Simon*: dixit enim Christus: *Beatus es Simon*, declaratur per illud quod sequitur *Bar-Jona*; Petrus enim erat Filius Jonæ, itaùt nullus esse possit dubitationi locus, quòd Petro immediatè commissæ sint claves: Petro, inquam, utpotè qui constitui debebat Ecclesiæ Pastor, non verò quà repræsentans Ecclesiam; quis enim eò tempore constituerat Petrum, ut repræsentaret Ecclesiam, quam Christus nondum fundaverat sanguine suo. Undè nam hoc colligere possunt hæretici? ex quo Scripturæ textu animadvertunt Petrum tunc temporis constitutum ad repræsentandam Ecclesiam? utique hæc pura sunt hæreticorum somnia, & figmenta, ergo Petrus non accepit claves nomine Ecclesiæ, sed suo, quandoquidem in præmium suæ confessionis, quam fecerat, dicendo: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, statim dixit illi Jesus: *Et ego dico tibi &c.* Demùm claves immediatè datas esse Petro à Christo asserit S. Bernard. Serm. 69. in Cantica.

Dedit itaque Christus Petro claves, & consequenter dedit illi principatum, quod negat Calvinus, qui vult quod dare claves nihil aliud significet, quàm accipere ministerium verbi: sed.

Contrà est, nam quisquis habet ministerium verbi Dei, non dicitur habere claves, quæ consistunt in potestate ligandi, & solvendi: Cæterùm, si ministerium verbi pertineret alicui laico (ut de facto viris laicis sanctitate conspicuis, qui numquàm Sacerdotes fuerunt aliquando permissum constat.) jam dicendum foret, quòd laici in tali casu haberent claves, scilicèt potestatem ligandi, atque solvendi, quod hactenùs inauditum. Verum quidem est, quòd hic nomine clavium, quas Christus promisit Petro dicens: *Tibi dabo claves*, præcipuè intelligitur principatus Ecclesiæ Petro commissus, supremaque potestas, & jurisdictio in universum gregem Ecclesiasti-

siasticum, cujus gregis Petrus constitutus est pastor à Christo, dicente Joan. 21. *Pasce oves meas*, quæ verba soli Petro dicta sunt, hoc enim evincunt rationes supra adductæ ad probandum soli Petro dictum: *Tibi dabo claves*; per hæc autem verba. *Pasce oves meas* soli Petro dicta, traditam esse summam potestatem Ecclesiasticam ipsi Petro: *Et per oves meas* universam Christi Ecclesiam esse designatam, nervosè probat S. Bernard. lib. 2. de consid. cap. 8.

Lutherus autem, ut probet per illud verbum *Pasce* non dari summam potestatem Petro, dicit, per illam vocem *Pasce*, solùm injungi officium diligendi, prædicandi, & docendi Petro, qui (ut ait Lutherus) jam erat constitutus pastor, non quidem Ecclesiæ universæ, sed cujusdam portionis: sed

Contrà est. Tum quia verbum *Pasco* ibi stare pro summa potestate Petro collata, exponunt omnes SS. Patres. Tum quia, quando dixit Jesus Petro: *Pasce oves meas*, locutus est absque exceptione, & consequentèr Petrus non est constitutus pastor cujusdam portionis, sed totius gregis. Audiatur S. Bernard. loco super cit. *Cui enim non dico Episcoporum, sed Apostolorum sic absolutè, & indiscretè tota commissæ sunt oves? Si me amas Petre, pasce oves meas. Quas? illius, vel illius populos Civitatis, aut certi Regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes. Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et fortè præsentes cæteri condiscipuli erant, cum committens uni, unitatem omnibus commendaret in uno grege, & in uno pastore.*

Ex hoc textu corruit, quod putat Lutherus lib. de potestate Papæ. Illiricus contrà primatum Papæ. Magdeburgenses Centuria prima, qui per ly *oves meas*, negant universam Ecclesiam significari, sed absque fundamento, quandoquidem ut ait S. Doctor: *Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil*. Tum quia etiam Episcopi sunt oves Christi, ergo si Christus dixit Petro: *Pasce oves meas*, etiam Petro commendavit alios Apostolos, & consequentèr Episcopos.

Resolvitur ergo: Defacto Petrus universæ Ecclesiæ princeps, & pastor ab ipso Christo est constitutus; undè primatus Romani Pontificis super universam Ecclesiam comprobatur. Et primò quidem ex sacris paginis Matth. 10. *Duodecim Apostolorum nomina sunt hæc. Primus: Simon, qui dicitur Petrus* Matt. 16. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves.* Insuper ex Marci 16. 7. Lucæ 22. 31. Joann. 7. 42. 13. 5. 20. 4. 21. 15. Act. 2. 24. 3. 1. 15. 7. Sed jam à ratione primatum Pontificis juvat comprobare.

Probatio Prima.

Ex ipsis motivis, quibus ducti hæretici Pontificis primatum impugnant, probatur veritas primatus supremi Pontificis.

Romanæ Ecclesiæ primatum impugnare, qui cæterùm & ab ipsis Gentilibus receptus fuit, ignorantium Novatorum, seu potiùs superborum ignorantium error fuit, qui si ignorantes Novatores dici debent, ideò primatui Petri contradixerunt, ut aliud sibi caput constituerent, & præficerent, sub quo liberius possent proprios profiteri errores. Si autem superbi ignorantes nuncupandi, ideò Romano Pontifici negarunt primatum, ut ambitione ducti aliquem sibi titulum arrogarent, quo propriæ possent ambitioni explere; nec opus est ad hæc probatione, quia ut, in annalibus videre est, & apud eos, qui de impugnatoribus hujus primatus agunt, non nisi hoc duplici motivo constat, insanos homines primatum Pontificis impugnasse.

Quod ut clariùs pateat primò quoad primum, quod diximus, nempè, ideò alios huic primatui contradixisse, ut liberiùs sub alio capite suos valerent profiteri errores, hoc primò constat de Græcis, qui negantes processionem sancti Spiritus à Patre, & Filio, proptèr additionem in Latina Ecclesia factam verbi *Fi-*

Filioque, apertè pronunciant Romanum Pontificem de suo gradu excidisse, & jam summum, & primum omnium Episcoporum esse Constantinopolitanum Patriarcham, quoniam licet eis sub tali Patriarcha negare processionem Spiritus sancti a Filio. Testis est de hac re Sigebertus in Chronicis.

Item, Valdenses ideò dixerunt, quòd Romano Pontifici non tenemur obedire, quodque ejus decreta nullius sunt momenti, quia obtinere nusquam potuerunt, quòd Romanus Pontifex suam sectam approbaret. Refert Conradus Uspergensis de anno 1180., & Guido de Valdensibus.

Demùm notum satis est, quo ductus motivo Lutherus supremum noluerit agnoscere Pontificem, quia siquidem aliqua ejus scripta non fuerunt à sancta Sede approbata, hinc habuit Lutheranæ revolutionis origo, cui accessit Calvinus, qui propter enormissima scelera Lugduni morte damnatus, Hugonis Ducis, ejusque exercitus, qui reformationem militiæ in Gallis ægrè sentiebat, fretus auxilio, proprios tutavit errores.

Quòad secundum verò, quod dictum est, nempè hunc errorem ab ignoranti superbia etiam suam duxisse originem, hoc constat præcipuè in Patriarchis Constantinopolitanis, intèr quos primus recensetur Anatolius, qui urbis suæ, cui præsidebat, magnitudine, & potentia gloriabundus, Romanæ Sedi parère despexit, quasi propriæ Sedis dignitati derogaret ei obedire, cujus nutibus, & ipsi Reges flectunt cervicem, quem Anatolium secuti sunt, & alii Patriarchæ perplures, non nisi eodem ducti arrogantiæ motivo. Ex his facilè est arguere, quàm levis momenti esse possint rationes ab impugnantibus primatum Romanæ Ecclesiæ adductæ, quoniam tam fragilibus innituntur principiis.

Probatio Secunda.

Primatus supremi Pontificis confirmatur ex eo, quòd Gentiles quodammodò hunc agnoverunt.

Romani Pontificis primatum, & ab ipsis Gentilibus agnitum fuisse, colligi potest ex eo, quòd cum Imperatores in Christianos desævirent, totis viribus conarentur captivos habere supremos Pontifices, quos cum tamquàm caput universæ Ecclesiæ à cæteris haberi scirent, hinc facile futurum fuisse arbitrabantur, ut Christianam Religionem ad nihilum redigerent, quandocumque Christianorum caput abstulissent.

Nero, primus qui persecutionis ignem contrà Christifideles accendit, Petri primatum agnovit; nam cum Petrum simul, & Paulum morte damnasset, & eamdem ob causam, quia siquidem Christum prædicabant; Petrum tamen, quem agnoverat huic novæ Religionis præesse, ideò turpiori morte, qualis erat tunc temporis mors Crucis, damnavit: adeò apud ipsos Gentiles receptum erat, in Ecclesia unum esse, qui primatum obtineret.

Probatio Tertia.

Primatus Romani Pontificis probatur ex verbis ipsorummet hunc primatum impugnantium.

Per ipsos, qui negant primatum Romani Pontificis, hic primatus desiit esse, ergo fuit, nihil enim in bona philosophia potest desinere esse, nisi extiterit, ergo ipsimet impugnatores fatentur primatum Ecclesiæ aliquando fuisse in Romano Pontifice. Quòd ità sit, audiantur eorum aliqui, & in primis Græci dicunt Romanum Pontificem propter additionem factam in Symbolo *Filioque* de suo gradu excidisse, ex quo sic contrà ipsos arguo: Ergo si excidit propter additionem factam de verbo *Filioque*, antè talem additionem de facto erat primatus Ecclesiæ in Romano Pontifice. Item Gerardus Sagarellus cum aliis dixerunt, quòd tota auctoritas à Domino nostro Jesu Christo collata Ecclesiæ Romanæ est omninò evacuata, & jam dudum cessavit propter malitiam Prælatorum; contrà quos pariformitèr arguo ut supra: ergo si auctoritas Romanæ Ecclesiæ cessavit de facto per adversarios,

farios, Romana Ecclesia aliquando prima fuit, & habuit supremam auctoritatem; Non enim dici posset cessasse, nisi anteà talem auctoritatem habuisset, quam per cessationem amisisset; ergo impugnatores primatus Romanæ Ecclesiæ, talem primatum in Ecclesia Romana agnoverunt, ergo per ipsos aliquando fuit primatus in Ecclesia Romana; ergo si fuit, nunc adhuc perseverat. Probatur consequentia, quia non subsistunt rationes allatæ ab ipsis impugnatoribus, per quas volunt cessasse in Ecclesia Romana primatum, non quidem prima, nempè asserere, quòd Spiritus sanctus ex Patre, Filioque procedat; hoc enim ità esse videri potest fusiùs apud Theologos, qui de processione personarum expressè hac de causa temporibus D. Anselmi egerunt, & efficacissimis rationibus probarunt hujus processionis, nempè à Patre, & Filio, veritatem: quando autem addita fuerit Nicæno, Symbolo particula *Filioque*, non satis constat. Plures eruditi sentiunt additam fuisse à Concilio Toletano octavo celebrato in Hispania circa annum 553. antè quàm oriretur Græcorum schisma. Vide Annatum in suo apparatu ad positivam Theologiam lib. 5. de Conciliis.

Neque subsistit secunda ratio allata, nempè cessasse primatum in Romana Ecclesia propter proterviam Episcoporum, nam hoc gratìs dicitur: si quæ enim fuisset protervia Romanorum Episcoporum, per quam ab ipsis decidisset suprema auctoritas, maximè esset hæresis, quæ omnium malorum summum est malum: sed in tota serie Romanorum Episcoporum numquàm legitur, aliquem prævaricasse à vera fide, teste Justiniano Imperatore, dicente in Epistola relata in Decretis Bonifacii Papæ: *In Sede Apostolica extrà maculam semper est Catholica Religio servata*: ergo propter hanc proterviam non potest à Romanis Pontificibus excidisse auctoritas suprema, de quà in præsenti agitur. Deindè gratìs dato, quòd fuerint aliqui Pontifices malitiosi, dummodò non fuerint hæretici, non ideò dicendum est, cessasse in ipsis auctoritatem, quia plures fuerunt Reges criminosi, & tamen ipsis parère adhùc tenebantur subditi: sed nemo tenetur parère non habenti auctoritatem; ergo si tales subditi de jure parebant Regibus discolis, signum est, quòd per solam malitiam non cessat in superioribus auctoritas. Imò si jubemur obedire superioribus etiam discolis, obedire autem non tenemur non habenti dominium; quomodò sentiendum, malitiam tollere auctoritatem? Sed etiam dato, quòd malitia tolleret auctoritatem, non ideò probatur cessasse primatum in supremo Pontifice; successerunt enim post malitiosos, plures & per plures Sanctissimi Viri, morum sanctitate clarissimi. Quid autem habet aliorum malitia horum derogare auctoritati? si ità esset, sequeretur malorum culpam retorqueri in bonorum pœnam; ergo neque propter aliquorum malitiam constat cessasse supremam auctoritatem in Romano Pontifice. Demus etiam aliquem Romanum Pontificem in hæresim incidere (quod nec fuit, nec erit) ideo nè cessabit auctoritas officii? Hæresis, non officium sed personam afficit. Caderet quidem singularis ille homo à dignitate, dignitas tamen intemerata maneret. Sicut & plures inferiores Episcopi inciderunt in hæresim, nullo auctoritatis sedis præjudicio. Sed iterùm insto contrà hujusmodi Innovatores: Fuit aliquando primatus in Romana Ecclesia per ipsos hæreticos; ergo est. Probatur consequentia: si non esset in Romano Pontifice primatus, deberet esse in alio Episcopo: non est in quocumque alio Episcopo, ergo est in Romano Pontifice. Major probatur, quia cum regimen Ecclesiæ sit Monarchicum, consequenter etiam semper debet esse unus, qui in Monarchia præsideat. Probatur minor, quòd nempè primatus non sit in alio Episcopo. Si esset in aliquo alio Episcopo primatus Ecclesiæ, deberet talis primatus fuisse ab habente auctoritatem translatus; sed non fuit ab habente auctoritatem translatus: qui enim habet auctoritatem, est Christus; Christum autem numquàm legitur transtulisse hunc pri-

primatum: ergo à nemine primatus Ecclesiæ fuit translatus; ergo adhuc nunc temporis viget, & est in Romano Pontifice. Dico in Romano Pontifice, quatenùs Romanus Pontifex est Petri successor, non autem præcisè quatenùs est Episcopus Urbis Romæ.

Probatio Quarta.

Primatus in Romano Pontifice probatur ex eo, quòd hujus primatus semper Romani Pontifices in possessione fuerint.

Melior est conditio possidentis, receptissimum est oraculum, & eò melior est conditio, quò antiquior possessio; sed Summi Pontifices Romani, à D. Petro usque ad hæc tempora semper fuerunt in possessione hujus primatus, ergo ipsis solis etiam hoc jure debetur. Majorem non est, qui neget. Minor probatur, tum ex continuata serie Pontificum, qui à D. Petro usque ad hæc tempora semper sibi defenderunt hanc prærogativam primatus, ut ipsis solis debitam, quippè veris successoribus Petri. Quod probatur auctoritate Pii Primi Epist. 1. dicentis: *Christus hanc sanctam Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum caput esse pracepit, ipso dicente principi Apostolorum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et hæc sufficiat auctoritas, quoniam centum & quatuor Pontificum possem auctoritates subnectere, per quas constat, omnes Pontifices sibi defendisse prærogativam primatus, quas, qui videre voluerit, consulat Thesaurum Catholicum, in quo istæ omnes auctoritates proferuntur. Nobis satiùs ad rationes venire; quarè minorem, de quà hìc agimus, sic probo. Primò ex antiquissimo titulo Romanorum Pontificum; Romanus enim Pontifex universalis Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus, & Pontifex Maximus dicebatur. Quòd hujusmodi titulo condecorati fuerint ab initio Romani Pontifices, fidem facit una ex epistolis Sixti Primi Papæ, in cujus initio hæc legitur inscriptio, relata in Annalibus Baronii anno 142. *Sixtus universalis Ecclesiæ Episcopus Pontifex Maximus*; Quæ utique inscriptio, cum sit authentica, & manifesta, adeò urget Novatores, ut adhæc relata silere cogantur. Item Episcoporum Episcopus vocatur, & in primordiis Ecclesiæ jam tali titulo condecoratum Summum Pontificem constat ex pluribus antiquis authenticis scripturis; & ipse Tertullianus, qui fuit Tertullianistæ sectæ auctor, suis temporibus Romanum Pontificem Episcopum Episcoporum, in signum primatus sui, jam ex tunc vocari testatur.

2. Probatur minor ex auctoritate suprema, quam semper Romanus Pontifex in universa Ecclesia exercuit, qualis est definire quid à Christifidelibus agendum, quid sentiendum in causis fidei, confirmare Conciiia &c.

3. Probatur minor ex eo, quòd famosiores hæretici soliti fuerunt ad Romanum Pontificem recurrere, ut ab ipso absolverentur, & iterùm in communione Ecclesiæ reciperentur. Hoc fecisse legimus Ursacium, & Valentem, qui Ariana hæresi infecti, Deo dante, proprii facti conscii erroris, Romam accersiti, coram Pontifice Arianam hæresim anathematizarunt: refert Athanasius orat. 1. contrà Arianos.

4. Probatur minor ex eo, quòd solus Pontifex Romanus hæreticorum causas judicat, & condemnat; ità Damasus Papa condemnavit Eustathium, & Apollinarem Ariana hæresi infectos, rogante D. Basilio, qui licèt horum Episcoporum esset Metropolitanus, non tamen ausus est falcem mittere in messem alienam, ipsosque condemnare, sciens hoc solùm pertinere ad Romanum Pontificem Petri successorem, sicuti jam D. Petri temporibus, in causis fidei, consueverunt ad ipsum recurrere ipsimet Apostoli.

5. Probatur minor ex eo, quòd solus Pontifex consuevit deponere Episcopos criminosos, sicut legimus Damasum deposuisse Lucium Alexandrinæ Sedis occupatorem, & substituisse alium nomi-

ne Petrum: Arguatur hinc summa auctoritas Romani Pontificis, juxtà cujus judicium Episcopus Alexandrinæ Sedis, intèr primas post Romanam Sedem deponitur, & alter substituitur. Ex his constat, qualitèr Romani Pontifices semper in possessione fuerint supremæ in Ecclesia potestatis.

Probatio Quinta.

Primatus Ecclesiæ in Romano Pontifice probatur ex eo, quòd Imperatores, Reges, & Principes semper in ipso hunc primatum agnoverunt.

Nemo negabit magnam esse proprii judicii proterviam, ab illa veritate dissentire, cui præstant assensum tot Reges, tot Principes, tot Duces, tot Magistratus, tot Doctores, tot Scholæ. Miror igitur, quomodò proprium non agnoscant errorem Lutherani, & Calvinistæ, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Primatum impugnantes, ubi tot, ut diximus, tum dignitate, tum virtute, tum sapientià præstantissimi viri, Romani Pontificis pedibus se submiserunt, ejusque primatum confessi sunt. Numquid soli Luthero, & Calvino veritas revelata, & tot præstantissimi homines, qui hunc primatum agnoverunt, ignorantiæ tenebris obcæcati, falsa professi sunt? Ego certè fateor, quòd quamvis fides non me doceret veritatem hujus primatus, (idem, quò ad cætera fidei nostræ documenta me urget argumentum) hæc sola consideratio me consolidaret in fidei nostræ mysteriis, tamquam impossibile sentiens, tot dignissimos, sanctissimos, & eruditissimos viros, qui fidei Catholicæ adhæserunt, potuisse in fide errare, sciens utique, quòd, licèt maximo pollerem ingenio; & licèt essem in omni eruditione clarissimus, ne umbræ quidem speciem deferrem in comparatione scientiæ; & intellectus tot illustrissimorum simul virorum, qui fidem Catholicam professi sunt, & profitentur. Nunc aliqua proferamus exempla, & auctoritates virorum, qui in orbe aut dignitate, aut sapientia clarissimi Primatum Romani Pontificis testantur. Luitprandus Rex Longobardorum: *Papa urbis Romæ in omni mundo caput est Ecclesiarum Dei, & Sacerdotum.* Hæc verba desumpta sunt ex legibus Longobardorum tit.33. parag.5. Justinianus Imperator in authenticis de Ecclesiasticis titulis, & Privilegiis cap.2. hæc habet: *Ideoque sancimus, secundum sanctarum Synodorum definitiones, Sanctissimum Romæ Papam primum esse Sacerdotum.* Valentinianus, & Marcianus Imperatores Epist. ad Leonem Papam sic habent: *Ad hoc maximum Imperium venimus Dei providentia, & electione Senatus Excellentissimi, cunctæque Militiæ, undè pro Reverenda, & Catholica Religione Christianæ Fidei, cujus auxiliis virtutem nostræ potentiæ confidimus gubernari, tuam Sanctitatem Principatum in Episcopatu Divinæ fidei possidentem, sacris Litteris in principio justum credimus alloquendam.* Nec desunt auctoritates eorum, qui circà eadem tempora Lutheri, & Calvini regnarunt, ad majorem horum Novatorum confusionem. Videatur hac de re quid senserit circà primatum Romani Pontificis, Sigismundus Rex Poloniæ Epist. ad Concil. Later. videatur Henricus VIII. Rex Angliæ in assertionibus adversùs Lutherum art.2. Plures alias videre est auctoritates in eorum libris, qui sacrosancta Concilia, & Canones collegerunt. Hic tantùm ad majorem hæreticorum confusionem subdenda censui verba Theodori Bezæ Calvinisticæ sectæ in urbe Gebennensi anno 1600. publici professoris, & ministri, qui à Calvinistis tamquàm oraculum habebatur. Verba, inquàm, desumpta ex historia Florimundi Consiliarii Burdigalensis lib. 8. cap. 5. anno 1600. Theodorus Beza Genevæ circà annum 1600. dùm concionando priùs dicta repetisset, cœpit verba facere de successione Patriarcharum, sumpto themate ex cap.7. Actor. ubi de S. Stephano agitur, ac ibi tùm pusillum gregem suum deprimere, Ecclesiæ verò Catholicæ amplitudinem plurimùm extolle-

tollere, deindè ad successionem Apostolorum transiens: si inquit, adversarii nostri, (Catholicos intelligens) à vobis quærant, ubi sit apud vos Cathedra, & successio Petri? cedamus illud, quoniam verè Catholici, & Papistæ hanc habent successionem Apostolicam personalem ad hunc usque diem, velut per manus traditam, & propagatam, id inficiari non possumus. Aderat tum vir honesto loco natus è Lotharingia Metensis, Joannes Druet nomine, qui Genevam adventarat, & apud Bezam divertens è Germania reversus, ubi ministri officio apud hæreticos functus erat, ejus concionem hospes hæreticus audire voluit. Beza domum reversus unà cum Ministro illo, aliisque convictoribus, eos interrogat, quid rerum novarum audissent. Respondit Minister: certè Domine mi, hodiè nova, eaque prodigiosa ex te audivimus, nimirùm, quòd Papistæ veram habeant successionem Apostolicam, quæ à Christo, indè à Petro in hanc usque diem legitimè perseverat. Sumus ergo, subdit ille, schismatici? Ad quem Beza, Amice mi, inquit, habent ipsi veram successionem personalem, nos verò successionem doctrinæ: Quomodò, inquit alter, potes sejungere successionem doctrinæ à successione personarum? in quibus capitibus erat hæc doctrina? quinam erant pastores? His interruptis, nè scandalum adstantes paterentur, Minister ille post seriam dictorum discussionem, rectà Lutetiam pergit, ubi hæresim abjuravit cum sexaginta & sexdecim aliis, coram Cardinale Florentino ad Gallos Legato, indè Romam profectus, ubi à Sanctissimo Pontifice Clemente VIII. absolvitur anno 1600. ex quibus sufficienter constat, D. Petrum, ejusque successores esse Vicarios Christi, plusque auctoritatis accepisse à Christo, quàm reliquos Apostolos, &. Episcopos. Qui testimonia voluerit per secula digesta ad hujus veritatis confirmationem, Coccium consulat in Thesauro. Item, Cardinalem Perronium in responsione ad Regem magnæ Britaniæ cap. 25. Sed de hac materia jam satis actum, quòd si fortè prolixè alicui videbitur pro instituto nostro discussum hoc argumentum, ansam dedere hæretici, potissimùm ex Lutheri, & Calvini schola pregeniti, qui fere usque ad nauseam unanimiter contrà Romanos Pontifices calamum acuentes, integra scripsere volumina. Tempus est ut ad alios Janduni errores reprobandos recurrat sermo.

3. Erravit Joannes Jandunus dicendo Imperatorem succedere Pontifici, & Ecclesiam Sede vacante regere posse.

4. Sacerdotes omnes sivè Pontifices, sivè Episcopos, sivè simplices Sacerdotes ex institutione Christi esse æqualis auctoritatis, & jurisdictionis: quòd autem unus ampliorem alio potestatem habeat, id ab Imperatoris pendère arbitrio, qui ut liberaliter concedit, ità revocare pro libito potest.

5. Ecclesiam nullum hominem punitione coactiva coercere posse, nisi id concesserit Imperator; neque posse excommunicationis, aut interdicti ferre sententiam, absque auctoritate Principis.

6. Matrimoniorum humanà dumtaxat, non Divinà lege prohibitorum, dispensationem spectare ad Principem.

7. Legitimare filios, qui non sunt ex legitimo Matrimonio nati, eosque habilitare ad officia, & beneficia Ecclesiastica, unius esse Principis, penès quos constituebat auctoritatem judicandi de capacitate promovendorum ad sacros Ordines, non verò penès Episcopos. Ad Principem spectare numerum Ecclesiarum, sacrorumque Ministrorum decernere, & beneficia Ecclesiastica conferre, Religiosos Ordines approbare, de rebus temporalibus ad pias causas destinatis disponere, Concilia congregare, ita ut nullam vim habeant, quæ sinè illius auctoritate celebrantur: Observantiam decretorum, quæ à Conciliis prodeunt indicere, sicut & jejunia, & feriationem ab operibus decernere, esse solius Principis asserebat. Ex quibus constat, quòd totius regiminis Ecclesiastici caput solum Principem, non verò Romanum Pontificem agnosceret. R. Ex sacra Scriptura, ubi legitur quòd soli Petro, ejusque suc-

cessoribus Christus Ecclesiæ regimen commisit, quandoquidem D. Petro, non verò Imperatori, aut feculi Principibus dixit Jesus: *Tibi tradidi claves, quodcumque solveris, & ligaveris in terris, erit ligatum, & solutum in cælis*. Vide, quæ dicta sunt verbo *Apologetici*, *Arnulphus*, *Beguini*, *Confessio-Augustana*, *Guillelmus Ocbamus*, *Joannes Wesfasalus*, *Hussita*, *Jacobus Præpositi*. Contrà quos ostendimus Papam esse Christi Vicarium, esse Caput Ecclesiæ jure Divino: Non esse subditum Imperatori: esse totius Ecclesiæ Primatem; nec Episcopos habere parem auctoritatem cum Pontifice: imò Principem laicum nullum habere jus ad judicandum de rebus fidei. Facili quidem negotio deduci potest ex Scriptura Ecclesiasticos Præsules posse causas seculares discutere, secus verò posse Principes seculi super Ecclesiastica jura judicium proferre; audiatur Apostolus 1. ad Corintb. 6. quid de hujusmodi sentiat: *Secularia judicia si habueritis: contemptibiles, qui sunt in Ecclesiâ, illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum?* Satis manifestè constat ex præfatis verbis Apostolum asserere, Ecclesiam Christi habere jus, & auctoritatem in res seculares, & politicas, quandoquidem præcipit constitui judices, qui causas seculares expediant; quæ lex ab initio Ecclesiæ ita invaluit, ut omnes ferè Episcopi quascumque causas seculares suo jure deciderent: nemo enim vel leviter in Ecclesiasticis versatus bistoriis, negaverit sanctiores Episcopos judicis munere simul, & semel perfunctos fuisse, sicut constat de Sancto Gregorio Thaumaturgo, teste Nisseno in ejus vitâ. De S. Ambrosio, ut colligitur ex libro officiorum cap. 29. De S. Augustino, ut patet de opere Monachorum cap. 26. aliisque quamplurimis Episcopis. Proculdubio in primitivâ Ecclesia, causarum etiam secularium judicium commissum fuisse Ecclesiasticis viris, patet ex S. Clemente lib. 2. constit. cap. 29. 50. Idem etiam colligitur ex epistola primâ ad Jacobum fratrem Domini, ubi legitur: *Si qui fratres babent negotia inter se, apud cognitores seculi ne judicentur, sed apud Presbyteros Ecclesiæ quidquid est illud dirimatur, & omnimodo obediant statutis eorum*, quod posteà lege Cesareâ etiam roboratum fuit, quæ extat quæst. 1. can. *Quicumque litem habens, sive petitor fuerit, vel initio litis, vel diversis temporum curriculis, sivè cum negotium peroratur, sivè cum jam cœperit promi sententia, si judicium elegerit sacrosanctæ Sedis Antistitis, illicò sinè aliqua dubitatione, etiam si alia pars refragetur, ad Episcoporum judicium cum sermone litigantium dirigatur*. Legant hæc, & intelligant, legant & confundantur, qui non modò S. Sedis judicio se submittere recusant, sed jam penè omnem auctoritatem judicandi ab eadem contendunt excludere; confundantur illi, qui Ecclesiasticas causas ad secularia tribunalia audent revocare, impium utique facinus, à quo non modò Catholici, sed etiam hæretici, & Reges abhorruerunt. Legimus piissimum Constantinum Imperatorem, in Religionis causâ à Donatistis arbitrum electum, recusasse judicium proferre in causâ, cujus discussionem ad solam Ecclesiam spectare, spectatissimum habuit. Sed quid Christianorum Regum exempla proferre juvat, cum ipsorummet Gentilium Principum, veritas hæc comprobetur testimonio. Aurelianus Imperator, licèt Gentilis in quadam controversia circà Samosatenum Episcopum exortà, rescripsit ad Romani Patriarchæ judicium recurrendum fore, ipsiusque judicio omninò acquiescendum. Rex Theodoricus Arianus, calumnias contra Symmacum Pontificem à malevolis contextas, & ad eumdem Theodoricum delatas, protinus Episcoporum examini, congnitioni, atque judicio remisit, dato illo adeò celebri, & memorabili responso calumniatoribus: *Nibil ad se de Ecclesiasticis negotiis, præter reverentiam pertinere*. Ex quibus evincitur, quam injustè Principes seculi sibi judicium circa Ecclesiasticas causas usurpare contenderent.

8. Ad Imperatorem spectare Pontifices

fices instituere, deturbare, ac punire. R. verbo *Anastasius*.

9 Ecclesiam bona temporalia possidere non posse. R. verbo *Joannes Wicleffus*. Hos omnes errores doctè refellit Alexander de Sancto Elpidio Archiepiscopus Ravennatensis libro inscripto *de Jurisdictione Imperii, & Auctoritate Summi Pontificis*. Item Pelagius Alvarus Episcopus Silvensis in opere inscripto *de Planctu Ecclesiæ*. Et Petrus de Palude Ordinis Prædicatorum.

10. Dixit: Sanctum Petrum non plus auctoritatis, quam reliquos Apostolos accepisse. Ex quo inferre videtur, omnes Episcopos cum Romano Pontifice esse pares in jurisdictione, & omnes immediatè à Deo suam jurisdictionem accipere. R. Ostendendo, quòd licèt Episcopi sint successores Apostolorum, & Apostoli acceperint immediatè suam jurisdictionem à Christo, nihilominùs Episcopos non habere parem auctoritatem cùm Pontifice, imò accipere à Pontifice suam jurisdictionem: pro cujus rei intelligentia: sciendum est Apostolos, uno excepto Petro, cui totius gregis fuit cura commissa, assumptos fuisse in partem Apostolici ministerii, non verò in plenitudinem; neque enim alicui præter Petrum dictum est *Pasce oves meas*, quod jam supra tetigimus. Habent ergo Episcopi omnes successionem suam ab Apostolis; sicut à Petro Pontifex Romanus, siquidem iste in plenitudinem ministerii Petro succedit, alii in partem assumuntur, sicut Apostoli à Christo. Est tamen magna diversitas in modo succedendi. Nam successio in eadem Cathedra, non pertinet ad veritatem successionis in cæteris Episcopis, præter Romanum, sed tantùm successio in ordinatione, quatenùs semper Episcopi ab aliis Episcopis ordinandi sunt. Hæc successio pertinet ad veram permanentiam Ecclesiæ, consequenter jurisdictio Episcoporum, quam determinatè unusquisque exercet in particulari ditione, non pertinet ad veritatem Ecclesiæ, quia sivè talis jurisdictio mutetur, sivè omninò deficiat, eadem Catholica Ecclesia semper manet: undè multæ Sedes Episcopales defecerunt, aliæ ingentes habuerunt mutationes tam graduum Episcopalium, tum territorii, sivè Diœcesis. Indè fit, quod omnium Episcoporum jurisdictio à Romanà Sede immediatè dependet, juxtà ipsam Divinam constitutionem Ecclesiæ; & Romanus Pontifex collatà sibi auctoritate, & potestate Sedes Episcopales multoties divisit, univit, ac denuò erexit multoties etiam prout urgebat necessitas, pro meliori bono Ecclesiæ, aliquorum Episcoporum (aut exigente eorum culpà) jurisdictionem, vel ad tempus, vel etiam in perpetuum suspendit. Propterea D. Bernardus epistolà 238. ad Eugenium sic scribit: *Peremptoriam dare sententiam ad depositionem Episcoporum Solius Romani Pontificis noscitur esse*. Ex quo infertur Episcopos suam jurisdictionem habere à Papa, ille siquidem solus potest deponere, id est jurisdictionem suspendere, qui potest conferre, & si Episcopi non acciperent suam jurisdictionem à Papa, neque Papa posset illam, aut ad tempus, vel in perpetuum suspendere; estò autem Episcopos habere immediatè suam jurisdictionem à Christo, qui constituit, & voluit Episcopos esse in Ecclesià suà, exercitium tamen jurisdictionis voluit Episcopos habere immediatè à Pontifice.

XVI. Joannes Kauxius, natione Scotus, Presbyter, & à Religione apostata, quem Scotorum Apostolum Beza in suis Iconibus nuncupat, moribus turpissimus, libidinosa vità abominabilis, necromantiæ deditus, fugà sibi consulit, ut pœnas suis sceleribus debitas evaderet, primò in Angliam, deindè Genevam ad Calisam Calvinum se conferens, à quo in impietate instructus patriam repetit, eoque hortatore plura Templa, & Monasteria diruta fuerunt à seditiosis Protestantibus, quibus se junxerat, sacra conculcata, imagines confractæ, bona Ecclesiastica expilata, Monachi in exilium relegati, Episcopi ejecti. Plura scripsit impudenti calamo, quæ à Rege Jacobo prohibita fuerunt. Ex Spondan. ann. 1559.

XVI. Joannes à Lascho, nobilis Polonus,

lonus, cum plures Ecclesiasticas dignitates obtinuisset, ad Lutheranos declinans, postmodùm propter animi sui levitatem Sacramentariis Zuinglianis se adjunxit. Duodecim erroneas explicationes proferens super verba consecrationis; omninò etiam Baptismum rejiciens, quem in Idololatriam conversum fuisse effutiebat; Tam à Catholicis, quàm ab Hæreticis reprobatus fuit ejus sensus. In Anglia Ecclesiæ peregrinorum diù præsidens, sub Rege Eduardo, sacrilegas nuptias contraxit. Regnante Maria Regina, Angliâ pulsus, diversis peragratis Provinciis, ubique ob suam hæresim ejectus, demùm Francofordiæ receptus, postmodùm in patria moritur, ætatis suæ anno 61. qui Joannis à Lascho sententiam secuti sunt circa Sacramentum Eucharistiæ, dicti fuere *Lascbani*. Vide Spondan. ann. 1536.

XVI. Joannes de Leidem, & Joannes Matthiæ. Joannes Boccoldus sartor, seu sarcinator Leidensis in civitate Monasteriensi Westfaliæ Metropoli, successit Joanni Matthiæ, qui Anabaptistarum regnum in dicta civitate erigere nisus est anno 1534. in qua cum plures ex civibus Lutheri doctrinam essent amplexati, variè certatum est inter Christianos, & Lutheranos, præcipuo incentore certaminis quodam Sacerdote apostata, nomine Bernardo Rothmanno, vilibus orto natalibus. Furentium Lutheranorum vi cædere coacti Catholici, & ab urbe expulsi, triumphabant Lutherani; cum ipsi, supervenientibus Anabaptistis, quorum caput se constituerat præfatus Joannes Matthiæ, etiam ab urbe fuerunt expulsi. Prophetam se jactitabat Joannes Matthiæ, cujus insaniis facilè adhærens plebs credula, eodem hortatore seditionem in Magistratus concitavit. Eò res devenit, ut qui rebaptizari renuerent, aut cæsi essent, aut in exilium pulsi. Compositus interim ab Anabaptistis liber inscriptus *Restitutionis*, quo significabatur, regnum Christi futurum esse electorum triumphum in hoc mundo, omninò deletis impiis: in libro præfato sequentes continebantur errores:

1. Licere plebi Magistratum abrogare.

2. Ecclesiæ Ministros vi armorum debere novam constituere rempublicam.

3. Neminem, qui non sentiret cum Anabaptistis, tolerandum esse in Ecclesia.

4. Matrimonium eorum, qui non adhærebant Anabaptistis, esse adulterium.

5. Pontificem Romanum, & Lutherum esse falsos Prophetas; sed posteriorem primo deteriorem. Sic debacchantibus in urbe Monasteriensi Anabaptistis, Regem proclamarunt Joannem Matthiæ, qui exercitu comparato, in conflictu quem habuit cum Catholicis urbem obsidentibus, Duce legitimo urbis Principe, & Episcopo Francisco ex Nobilissima Valdecensium familia, interemptus fuit; quo extincto statim Rex proclamatus fuit ab Anabaptistis Joannes de Leidem, assumpto titulo *Rex justitiæ hujus mundi*, qui suum imperium per totum orbem dilatandum jactitabat: indito etiam novo nomine *Sion*, & *Jerusalem* urbi Monasteriensi, in quà Regni thronum erexerat, & comitatum regium statim explicuit sumptibus Ecclesiarum, quas devastavit, spoliavit, omnibus abdicatis Magistratibus, sibique arrogatis Ecclesiæ redditibus. Interim in adulterio deprehensus, ad suam turpitudinem velandam, legem tulit de poligamià; quam reprobavimus verbo *Bernardinus Ochinus*. Quicumque legem de poligamià amplecti renuerunt, misere Joannis Sartoris jussu fuere trucidati: Ipse verò, ut cæteris exemplum præberet, sexdecim uxores duxit. Ad magnam cœnam suis invitatis proceribus, eadem completà, ausus est frustulum panis omnibus distribuere discumbentibus, dicens: *Accipite & comedite, & mortem Domini annuntiate*: (formà nimirum hæc est cœnæ Calvinianæ) similitèr primaria ex ejus uxoribus accepto poculo distribuit, dicens: *Bibite, & mortem Domini annuntiate*. Omnibus pro Anabaptisticà sectà sustinendà se paratos profitentibus, viginti octo electi fuerunt, qui eamdem per universum orbem propagarent, data eis à Rege potestate patrandi signa, & pro-

prodigia: sed Pseudo-Apostoli, quasi, omnes capti, dignas impietatis suæ pœnas dederunt, nec paulò post iterùm ab Episcopo, obsessa urbe, & ad obedientiam redactâ, captus est Rex, cum suis proceribus, qui diversis suppliciis exagitati, suæ histrionicæ scenæ finem fecerunt, quæ omnia refert Spondan. ann. 1534.

Joannes de Lugduno. Vide *Cathari*.

XVI. Joannes Marpachius Zuinglianus, libro adversùs Martinum Eisengrinum de Miraculis Sanctorum in Papatu; negat Sanctorum animas, permittente Deo, viventibus aliquando apparuisse. R. 1. Regum 28. ubi de apparitione Samuelis post obitum factâ Sauli, cui futura prædixit, differitur. Lib.2. Machab. 15. aliæ apparitiones referuntur. Matth. 17. *Apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes*; quorum primum defunctum esse constat ex sacrà Scripturà; ergo à fortiori hoc fieri potest in Romanâ Ecclesiâ.

XVI. Joannes Masso, primus, qui Parisiis pestilentiæ Cathedram erexit, etiam primus ibidem Ecclesiæ Calvinianæ pastor constituitur. Ab hoc hæretico, patriâ Andegavense, concives sui Calvinianum venenum hauserunt. Morte improvisâ correptus fuit ætatis suæ an.39. Ex Spondan anno 1555.

XIV. Joannes de Mercuria. Parisiis anno 1347. damnati sunt per Episcopum, & Magistros in Theologia plurimi articuli, propositi à Joanne de Mercuria, concernentes volitionem, & voluntatem Christi, & causam peccatorum, quorum alii habiti sunt erronei, alii suspecti, aut malè sonantes in fide. Ex Spondan. anno 1343.

XVI Joannes Monchemius Calvinista, Dialogo tertio, sic scribit: Nemo, quantumvis perfectus, præstare potest, quod lex jubet. R. Verbo *Manichæi novissimi*. Dialogo sexto sui Catechismi, orationes nostras inutiles esse ad obtinendum à Deo, quod petimus, asserit. Repr. verbo *Calestius*, contrà quem actum de utilitate orationis, per quam Deus orantes exaudit, ut commendant sacræ paginæ. Exod. 17. 1. Reg. lib. 12. vers. 18. *Et clamavit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces, & pluvias in die illa*. Item 4. Reg. 20. Esdræ 1.8. Psalm.49. 119. Eccles.35. Matth.6.7. Joan.14. & alibi, nos docent sacræ paginæ Deum exaudire preces: quòd si aliquandò non exaudire videtur, hoc facit misericors Deus, quia sæpè non expedire novit ad salutem nostram, quæ petimus.

XV. Joannes Oldechastelius, natione Anglus, de loco Cobham, rebus bellicis conspicuus, sed labe Wicleffistarum corruptus, ad fores Ecclesiæ Civitatis Londinensis affigere non dubitavit, se habere centum millia hominum paratos adversùs eos, qui ipsorum sectæ adversarentur. Interim captus, & ab Episcopo Londinensi de hæresi convictus, brachio seculari traditur; è carcere ope fautorum suorum aufugit, & ita evasit, ut non nisi post aliquot annos repertus, & captus, suspensus, & combustus fuerit an. 1413. (quæ refert Spond.) cum se jactaret tertia die resurrecturum. Ejus errores, de quibus convictus fuit in Concilio Constantiensi, ad quod fuit adductus, iidem sunt, quos in Wicleffi schola didicerat, cujus fuit pertinacissimus fautor. Interrogatus siquidem à Patribus Concilii quid de Eucharistia sentiret, respondit: Quòd sicut Christus in terris degens habuit in se Divinitatem, & humanitatem, Divinitatem tamen velatam, & invisibilem sub humanitate, quæ in eo aperta, & visibilis fuerat; sic in Sacramento Altaris est verum Corpus, & verus panis, scilicet quem videmus, & Corpus Christi sub eodem velatum, quod non videmus: determinationem verò Ecclesiæ factam circà hoc Sacramentum, esse contrà sacram Scripturam. R. Ex communi SS. PP. sententia, qui à tempore institutionis hujus Sacramenti à Christo factæ, usque ad nostram ætatem, semper cum universa Ecclesia Catholica professi sunt, fieri in consecratione transubstantiationem, ita ut nullatenùs remaneat substantia panis, sed solæ species; sub speciebus verò desinat esse panis, & adducatur vera sub-

ftantiæ Corporis Christi. Insuper transubstantiatio probatur ex verbo Dei,nam si non fieret transubstantiatio, illa propositio: *Hoc est Corpus meum* esset falsa: si enim remaneret substantia panis, idem esset ac dicere, quòd panis esset Corpus Christi; hoc autem patet esse falsum. Tum quia Christus numquam dixit præcisè: *Ego sum panis*, sed semper dixit, vel *sum panis vivus*, vel *sum panis vitæ*; ut nos doceret in pane Eucharistico esse verum Corpus suum, quod verè est panis vitæ, panis vivus, panis reficiens animam, quod dici non potest de pane usuali; ex quo infertur verè fieri transubstantiationem, de qua fusè agunt Theologi, solventes hæreticorum instantias. Vide quæ dicta sunt verbo *Berengarius*. Ex dictis etiam infertur, determinationem de transubstantiatione non esse factam contrà sacram Scripturam, neque inventam esse, ex quo ditata est Ecclesia; cum SS. PP. primi, secundi, & tertii seculi hanc veritatem transubstantiationis nobis in operibus suis disertis verbis testatam reliquerint. Videatur pro primo seculo S. Dionysius Apostolorum Coævus, lib. de Hierarchia. S. Ignatius Martyr epist. ad Smirnenses. S. Andreas Apostolus in responsione ab ipso data Ægeæ Tyranno. Sanctus Martialis epist. ad Burdegal. cap.3. S. Clemens Papa lib.6. Constit. Apostolic. cap.23. Qui omnes unanimitèr transubstantiationis veritatem proclamant: Quos secuti sunt seculo secundo S. Alexander Papa, epist. ad Univers. S. Justinus Martyr in apologia 2. ad Antoninum Imperatorem. S. Irenæus lib.4. cap.34. Tertullian. contra Marcionem. Patres 2. seculi secuti sunt Patres 3. seculi, in asserenda veritate transubstantiationis Eucharistiæ: Clemens Alexandrinus lib.1. & lib.4. Stromatum. Origenes contrà Celsum, & sæpè suis in operibus. Sanctus Hippolytus Episcopus, & Martyr in oratione de consumatione mundi. S. Cyprianus, sermone de Cœna Domini. S. Dionysius Alexandrinus epist.5. de Baptismo ad Sixtum Romanum Pontificem. Quæ testimonia sufficiant ad convincendos hæreticos, qui sententiam de transubstantiatione solùm à tempore S.Silvestri invaluisse in Ecclesia effutiunt; cum tamen à tempore institutionis hujus Sacramenti à Christo institutore factæ, Apostolis, ab Apostolis eorum successoribus, & sic deinceps universæ Ecclesiæ, hæc veritas de transubstantiatione fuerit manifesta, & in toto orbe Catholico accepta.

2. De Sacramento Pœnitentiæ interrogatus, sentiebat, quòd si quis esset gravis peccati reus, expediret, & bonum esset aliquem sanctum, & discretum Sacerdotem adire pro consilio ab eo habendo, sed confiteri peccatum suum proprio Parocho, seu alteri Presbytero, etiamsi haberet copiam ejusdem, non esse necessarium ad salutem, quia sola contritio peccatum hujusmodi delere posset, & per hanc ipsum peccatorem purgari. R. verbo *Adalbertus*, & *Jacobitæ*, contrà quos probatur necessitas Sacramenti Pœnitentiæ pro illis, qui sunt lethalitèr lapsi; cum enim difficilè sit verum actum perfectæ contritionis elicere, misericors Dominus Sacramentum absolutionis instituit, per quod peccator de attrito factus contritus, faciliùs possit per semitam salutis incedere.

3. Solum Christi Corpus, quod in Cruce pependit, non verò Crucem debere adorari. R. verbo *Claudius Taurin.*

4. Romanum Pontificem dixit esse caput Antichristi, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque viros religiosos ejus membra. Repr. verbo *Blandrista*, & *Bartholomæus Janovesius*.

5. Papæ, Episcopis, & Superioribus obediendum non esse, nisi quatenùs fuerint imitatores Christi in vita, moribus, & conversatione. R. verbo *Arnulphus*, *Gerbertus*. Sed manifestè convincitur ex illo D. Pauli: *Obedite Superioribus vestris, etiam discolis*. Quare Christus sciens futuros Superiores, qui à rectis moribus declinassent, volens nihilominùs à subditis præstari obedientiam, monuit ut faceremus quæ dixerint, non autem secundùm eorum opera.

XVI. Joannes Œcolampadius, natione

tione Germanus, Winſpergæ oppidulo Cheruſiorum ortum duxit anno 1482. ſtatum Eccleſiaſticum amplexatus, & ad Presbyteratum promotus, apoſtata factus, Zuinglii opinionem contrà realitatem Corporis Chriſti in Euchariſtia publicè docuit. Baſileæ Miniſter conſtitutus, tractatum edidit inſcriptum de genuinà expoſitione verborum Domini: *Hoc eſt Corpus meum*, ideſt figura, ſignum, typus, ſymbolum: contrà quem diſputavit in Baden, atque confutavit doctiſſimus Echius; & propè eadem tempora, cum Baſileæ alteram iniiſſet diſputationem cum Anabaptiſtis, à ſuis adverſariis, licèt hæreticis irriſus fuit: quem etiam valdè exagitavit Lutherus, & verbis, & ſcriptis. Tandem Baſileæ extinctus in lecto à prætenſa muliere, vel ut alii dicunt à dæmone ſuffocatus inventus eſt anno 1537. ætatis ſuæ 49. Baſileenſes cives eidem tumulum elevarunt in templo cum hoc Epitaphio: *D. Joannes Œcolampadius, profeſſione Theologus, trium linguarum peritiſſimus, Auctor Euangelicæ doctrinæ in hac urbe primus, & templi hujus verus Epiſcopus*. Ex Florimondo de origine hæreſ. lib.2. cap.8.

1. Sub ſpeciebus Euchariſticis non continetur Corpus Chriſti. Repr. verbo *Oldecbaſtelius*, *Wicleffus*, & *Berengarius*.

2. Euchariſtiam non eſſe adorandam, & illam adorare eſſe Idololatriam. Rep. verbo *Beguardi*.

3. Sancti non ſunt adorandi, nec orandi. R. verbo *Beza*.

4. Hominem non eſſe liberi arbitrii, neque liberum arbitrium agere, ſed pati: quaſi Stoicam coactionem, & neceſſitatem admittens in omni actione humana. R. verbo *Jacobus Prapoſiti*. Verbo *Baraezanes*. Item hominem eſſe liberi arbitrii definitum eſt in variis Conciliis. Bracharenſi anno 563. ſub Joanne III. Moguntino IV. canone 2. Trident. ſeſſ. 6. can. 5. & 6. Tum quia homo poteſt eligere, electio autem non eſt, niſi ubi eſt liberum arbitrium. Quòd homo poſſit eligere, patet ex illo Pſalm. 118. *Quoniam mandata tua elegi*. Item homo poteſt velle, & nolle juxtà illud Iſaiæ cap. 1. verſ. 19. & 20. poſſe autem velle, & nolle eſt ſolius humanæ libertatis. Item homo in rebus arduis quærit conſilium, quod eſſet ſuperfluum, ſi non eſſet liberi arbitrii, ut ſequi valeat conſilium, quod quærit. In homine autem eſſe libertatem, nedum à coactione, ſed etiam à neceſſitate, conſtat ex lib.Geneſ.cap.4. verſ. 6. & 7. *Ubi Deus* Cainum alloquens ſic ait: *Quarè iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne ſi bene egeris recipies: ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit? ſed ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*.

5. Bellum nullatenùs eſt gerendum. R. ex ſac. Script. Judic. 3. *Hæ ſunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Iſraelem, & omnes qui non noverant bella Chananæorum, & poſteà diſcerent filii eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi*. Item R. exemplo ſanctorum virorum, qui tam in veteri, quàm in novo teſtamento bella geſſerunt. Inſuper Deus juſta bella adjuvat, ut colligitur ex ſacr. Script. præcipuè Geneſ.14. Quod etiam conſtat ex hiſtoriis Eccleſiaſticis. Demùm, licet unicuique defendere quod ſuum eſt, cum verò Principes nonniſi per bella, ut plurimùm poſſint ſua jura tutari, ſequitur poſſe bellum committere. Neque valet ratio Lutheri, quòd cum voluntas Dei ſit, quod Turca perturbet Chriſtianos, contrà ipſos bella committere, ſit facere contrà Dei voluntatem. Chriſtiani ſiquidem præliantes contrà Turcas, non reſiſtunt voluntati Divinæ. Nam ideo quia bellum Turcæ eſt flagellum Dei, pugnando contra Turcas pro Dei amore, & fidei dilatatione, poſſumus hoc flagellum avertere. Sed argumentum Lutheri nimis probat; probat enim, quòd quando tribulamur, non debemus ponere media, ut Deus avertat tribulationem, cum cæterùm omnis tribulatio ſit à Divinà voluntate. De bello, quod legitimè committitur contrà Infideles, differit S.Bernard. in exortatione ad Milites Templi, cap.3.

XV. Joannes Parvus, (cujus vitam perstringit, Spond. ann. 1411.) Doctor Theologus, in universitate Parisiensi celeberrimus, causam Universitatis agens in dissensionibus tunc temporis exortis inter Regnum Galliæ, & Benedictum Pontificem, subtractionem obedientiæ fieri petiit: Cæterùm fuit homo sua scientiâ inflatus, ventosus, venalis, assentationibusque serviens, qui proindè in causâ necis illatæ fratri Caroli Francorum Regis à Duce Burgundo, octo veritatibus (ut ipse dicebat) probare studuit, fas esse, ac meritorium cuilibet homini privato, propria auctoritate Tyrannum opprimere; qualem fuisse probabat Regis Caroli fratrem à Burgundo occisum; addens insuper, non potuisse Burgundum occisorem absque peccato gravissimo hoc facinus non perpetrare: quæ propositio utpotè ab omni Christianâ Theologiâ aliena, reprobata fuit à Concilio Constantiensi, sess. 15. Obiit Pseudo-Theologus meritò nuncupandus Hedini ditionis Burgundi anno 1411. Interim mortuo Joanne Parvo, nec ampliùs prævalente Burgundi præpotentiâ, octo articuli ex Joannis Parvi libello decerpti, tamquam erronei in fide, & moribus condemnati fuerunt ab Inquisitore Joanne Poleto Ordinis Prædicatorum; condemnationem approbante ipsa universitate Parisiensi, cujus Cancellarius erat tunc temporis Joannes Gerson: quo præcipuè procurante, articuli Joannis Parvi in atrio Ecclesiæ Parisiensis cremati fuerunt, qui omnes colimant ad ostendendum quemlibet Tyrannum licitè à quocumque suo vassallo, aut subjecto, & per quemcumque modum, maximè per insidias, & blanditias; non obstante quocumque juramento, aut confœderatione, non expectatâ sententiâ, aut mandato cujuscumque Judicis, posse, & debere occidi. Reprob. hujusmodi articuli à Concilio Constantiensi, sess. 15. ab Inquisitore, & ab universitate Parisiensi damnati; quippe qui esse perhibentur contrà regulam juris: nemo enim debet, quantumcumque reus cógnitus, inauditus damnari, & puniri. Sequitur etiam ex positis articulis quemcumque subditum, prætextu suppositæ tyrannidis, posse impunè grassari in Dominum suum: pluraque alia absurda contrà justitiam, contrà charitatem, & contrà veram politiam ex præfatis assertionibus sequuntur, ut levitèr consideranti patet. In eadem sententiâ erronea Joannis Parvi fuit etiam Joannes Petit Normannus Laicus homo, & venalis Joanni Parvo. Ut tam horridæquè propositionis insubsistentia, cuicumque vel à minimo crepusculo rationalis lucis obumbrato fiat obvia, hinc eamdem ex professo breviter reprobatam exhibere opportunum censui; quamvis ex hoc satis explosa omnibus innotescat, quòd ejusdem diabolicæ sententiæ sola prolatio omnibus non modo piis, sed & perversis auribus horrorem incutiat, orbe universo detestante eorum audaciam, qui diabolicam hanc sententiam temerario ausu scriptis suis refricatam dissepelire non erubuerunt; ab omnibus qui umani capaces sunt sensus non sinè horrore auditam: utique non nisi à fanaticis credere par est tam impiam asseri, & defendi posse blasfemiam, non modo hæreticam, sed expressè uni ex decem Decalogi præceptis. *Non occides*, oppositam.

Pluribus autem, magnique ponderis S. Scripturæ exemplis evincitur, non licere cuiquam contra proximi sui vitam conspirare, eamquè vel solo momento abbreviare: quà de re manifestum exhibetur exemplum cap. 1. lib. 2. Regum, ubi legitur Davidem præcepisse occidi Juvenem Amalecitem, à quo Saul super Montem Gelboe fuerat interemptus. Incumbebat Saul super Astam suam, currus appropinquabant, quibus pretereuntibus horribiliorem vitæ suæ exitum erat subiturus, sub eorum pondere jam propè dilaniandus; tenebant eum mortis angustiæ; vivere jam non poterat post ruinam; Saul ipse Amalecitem rogaverat: *sta super me, & interfice me*: rogatus Amalecites, ut rogantem eximeret ab ulterioribus mortis, jam propè imminentis angustiis, Saulem interficit, qui tyran-

tyrannicè persequebatur Davidem, nihilominus David Amalecitem increpatus est his verbis: *Quare non timuisti mitere manum tuam ut occideres Christum Domini?* jussitque David Amalecitem interfici dicens: *Sanguis tuus super caput tuum, os enim tuum locutum est adversum te dicens: ego interfici Christum Domini*. Increpantur, & justè ab universo cœtu sanè, umaniter, civiliter, catoliceque sentientium, quotquot ausi sunt scriptis suis tàm iniquam refricare sententiam; calamus enim eorum scripsit adversus eos, cum scribere ausi sunt: *licet cuicunque occidere Tirannum*: Nemini privato permissum esse quemquam occidere licet Tirannum, evincitur etiam ex lib. Judicum c.3. in quò legitur contra Eglom quantumvis Tirannum neminem per 18. annorum cursum, ausum extendere manum suam, usquedum suscitavit Deus Aod, qui nonnisi Divinà auctoritate fretus, Deoque præcipiente occidit Eglon, sub cujus tyrannide Israelitæ gemebant.

Veritas est Divina revelata, nemini licere ex auctoritate privatà occidere quemquam, quæ hoc irrefragabili probatur argumento: nemini licèt occidere se ipsum, quantumvis se inter omnes homines crederet pessimum, ergo à fortiori nemini licèt occidere alium, etiam si certo sciret esse tyrannum: antecedens est evidens ex sacris paginis: nemo est Dominus vitæ suæ, ergo à fortiori evidentior est consequentia. Ille enim solus potest occidere, qui est Dominus vitæ, & mortis; sed solus Deus est Dominus vitæ, & mortis cujuscumque hominis, & cum dominium vitæ, & mortis, pro bono regimine mundi, pro servandà justitià, pro tuenda societate umanà, pro evitandis flagitiis, Deus contulerit his, qui publicà auctoritate sunt freti, consequenter illis tantum, qui publica auctoritate pollent, quales sunt Reges in suo Regno, Dinastæ in Republicà, permissum est judicium ferre inter homines vitæ, aut mortis: quandocunque agitur pro bono publico de justitià tuendà.

Ereticalem hanc propositionem, *licet occidere Tyrannum* à Concilio Constantiensi sess.15. jam proscriptam, iterum amplexati sunt Lutherus, Calvinus eorumdemquè sectatores, hoc solo ducti motivo, ut per hanc erroneam doctrinam confonderent, si potuissent, omnem hierarchicum ordinem cujuscumque Reipublicæ, aut Monarchiæ, omnemque facultatem legislativam: sicquè se suosque sectatores ab omni jurisdictione immunes rederent, & totum prædominium concederent sacrilegæ libertati passionum suarum, à quibus obcœcati universo mundo ducatum præbere, prout ipsis benè visum fuisset, contendèbant; & tamquam universi orbis novi legislatores, & reformatores estimari ambientes, de unoquoque eorum omni jure dici poterat, quemadmodum, & dici debet de omnibus sacrilegam præfatam propositionem propagare, & sustinere verbo, & scripto conantibus. *Superbia eorum ascendit semper*: Qui hujusmodi sunt furfuris, suis privatis doctrinis, non bonum publicum, sed privatum commodum unicè respiciunt, neque aliud intendunt, quàm super aliorum ruinas extolere edificium suum, quapropter nulli melius quam ipsis Tyranni nomen consonat, siquidem evidenter cognoscitur ex eorum actis dispoticum supra omnes gentes, & regna ambire dominium, quæ diabolica ambitio genuinus est Tyrannorum character.

Regnum omnesque Respublicæ aliud non sunt quam legitima potestas naturalibus, & civilibus circunvalata legibus, pacificè administrata in orbe à Principibus constitutis à Deo super gentes; nullus homo privatus jus habet judicandi de possessione, quam exercet sua inditione Princeps, nequè sub quocumque prætextu jus habet privatus homo inferendi quamcunque minimam molestiam Principi in his quæ ad tranquillam possessionem sui principatus spectant, & exercitium suæ potestatis, etiamsi Princeps Tyrannicè principaret: hæc est doctrina Magni Basilii in principio proverbiorum Principum enim judicium sibi soli Deus reservavit, utpotè supremus Dominus vitæ omnium viventium. Potest quidem Prin-

Princeps, tamquam vices Dei gerens, ad communis boni incrementum a subdito delinquente vitam eripere, in quò casu, ut ait S. Augustinus: *Non ipse occidit qui ministerium debet jubenti, sed sicut adminiculum gladius est utenti*. S. Aug. lib.1. de Civ. Dei cap.21. Videatur etiam S Thomas 2. 2. quæst.54. Vita est donum divinitus datum, solusque Deus potest eripere aut per se ipsum, aut media auctoritate collatà Regibus: privatus homo hac auctoritate nullatenus potest contra quemcumque criminosum, etiamsi ageretur de Tyranno, ergo nullatenus privatus homo proprià auctoritate potest alium occidere. Vide verbo *Ferquardus* ubi probatum est populum non habere auctoritatem deturbandi Regem à solio: demum in Conc.Tolet.4.Can.27.declaratur juramentum fidelitatis factum ergà Principes esse inviolabiliter observandum.

XIV. Joannes Parisiensis, Regularis, subtilis homo, & expertus in multis scientiis, Regens in Theologia; quamdam novam de corpore Christi in Sacramento Altaris positionem proponens, à Guillelmo Episcopo Parisiensi, & Magistris in Theologia pluries auditus, demùm ab Ægidio Archiepiscopo Bituricensi, Guillelmo Episcopo Ambianensi, & Magistris Theologiæ diligentiùs examinatà ejus positione, prohibitus est ampliùs legere, & disputare Parisiis; qui ad Curiam Romanam appellans, & accedens, ibi hominem exuit. Meminerunt ejusdem Joannis cum laude Trithemius, Bellarminus, absque ulla notà erroris; nisi quòd Bellarminus observat eum in tractatu, quem scripsit de potestate Regià, & Papali, tempore discordiarum Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri, visum esse propensiorem ergà Regem. Invenimus autem in quodam opusculo Joannis Brehalli Ordinis Prædicatorum, de auctoritate audiendi Confessiones, eumdem Joannem Parisiensem cognomine fuisse *Pungentis Asinum*, cujus cognominis cum rationem non ponat, licet conjectari fuisse eum vehementem in disputationibus suis, & rixosum. Ex Spondan. ann. 1304.

XIII. Joannes Parmensis. Alexander Quartus Summus Pontifex an. 1258. flammis addixit librum, cui titulus *Euangelii æterni*, cujus libri auctor censetur Joannes patrià Parmensis, an Sacerdos secularis, vel Minorita, incertum. Errores, qui in præfato libro continebantur num. 27. ab Alexandro damnati, quos Joannes Parmensis suis concionibus, & disputationibus promulgabat, sumpti dicebantur ex scriptis Abbatis Joachimi, de quo suo loco agemus. Vide Spondan. ad ann. 1258. potiores ex præfatis erroribus sunt

1. Statum gratiæ non à lege Euangelii, sed à lege spiritus procedere, & Christi Euangelium, ac doctrinam novi testamenti, neminem ad perfectionem adduxisse. R. Nam lex Euangelica vocatur lex gratiæ, in cujus observantia, qui vivunt, infallibiliter gratiam consequuntur: Lex autem spiritus, idest inspirationes particulares, quas unusquisque experitur in se ipso, sæpè non sunt à bono spiritu, sed à spiritu erroris; idcoque non licet sequi legem spiritus, idest inspirationes particulares, nisi sint omninò conformes legi Euangelicæ. Ex quo manifestè deducitur, quòd qui vult vivere in statu gratiæ, debet legem Euangelicam observare, in cujus observantià consistit vera perfectio: ibi enim exhibentur à Christo Legislatore media aptissima ad acquirendam perfectionem; quapropter juveni perfectionem desideranti, dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes &c.* Tum quia si per observantiam legis spiritus, idest per executionem peculiarium inspirationum acquireretur perfectio, superflua fuisset promulgatio legis Euangelicæ. Hæc dixerim, existimans Parmensem nomine *legis spiritus*, intellexisse privati spiritus motiones; cum tamen motionibus istis, quantumvis bonæ videantur, fidendum non sit, nisi Euangelicæ legis veritate probentur. Propter quod scripsit S. Joannes: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritum si ex Deo sit.* Si verò Parmensis per legem spiritus illam intelligat, quam oppo-

opponebat Apostolus legi carnis, sivè membrorum; aut etiam si intelligat legem, secundùm spirituales promissiones, contradistinctam à promissionibus veteris legis: perperàm utramque, vel alteram ex istis legibus, ab Euangelii lege distinguit, cujus finis est charitas, & secundùm quam spiritu ambulamus. Perficit ergo Euangelium legem rationis, destruit legem carnis, & dirigit ad veram, & beatam vitam. Sed ex sequentibus propositionibus videtur Parmensem habuisse Euangelium pro figurà alterius novæ, & futuræ legis; dixit enim.

2. Euangelium evacuandum esse anno 1260. & tunc inchoandum Euangelium æternum, ac legem spiritus. Quod ex dictis satis rejectum est.

3. Neminem idoneum esse ad instruendum alios, nisi qui incederet nudis pedibus. R. Quia Christus summus Magister calceis utebatur, ut colligit S. Augustinus, serm. 101. in Luc. cap. 10. num. 3. ex verbis Euangelii, Luc. 3. vers. 16. *Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.*

4. Judæos in fine mundi liberandos esse à Deo, etiam in Judaismo manentes. R. Quia unica tantùm post Christum esse potest lex vera salutis, scilicet à Christo promulgata: ergo viventes in Judaismo non possunt consequi salutem.

5. Græcos magis ambulare secundùm spiritum, quàm Latinos, quippe spiritualem intelligentiam scripturarum non esse commissam Ecclesiæ Romanæ, sed tantum litteralem. R. Ex iis, quæ dicta sunt contrà *Biblistas*, contrà *Joannem Wesselum.*

6. Spiritum sanctum aliquid recipere ab Ecclesiâ, sicut Christus in quantùm homo aliquid accepit à Spiritu sancto. Hæc propositio inepti hominis voces, aut sensus continet, potiùs quam errorem. Nam Spiritus sanctus recipit quidem ab Ecclesiâ fructus virtutis suæ ex animabus justis, & Christus in Spiritu sancto operabatur, in quantum homo mirabilia operans; quod significatum est per verba illa: *Si in digito Dei ejicio dæmonia.* Præfatæ propositionis Parmensis verba, utique incompta sunt, & sensus obscurus. Has autem, & similes propositiones ineptas, quas evomit, ab operibus Joachimi Abbatis decerpsisse effutiebat: sed falsum est, hujusmodi ineptias in operibus præfati Joachimi contineri, sicut ejus opera percurrenti facilè patebit. Adde, quod Joachimus omnia opera sua Ecclesiæ Romanæ judicio submisit: quapropter etiam dato, quòd propositiones Joannis Parmensis in operibus prædictis invenirentur, inde nullum prorsùs acquirere possunt, vel ab errantis auctoritate subsidium.

XVI. Joannes Piscator, natione Germanus, Theologiam docuit, & commentaria edidit in novum Testamentum; in quo libro circà Justitiam, Voluntatem, & Prædestinationem Divinam, erronea, & sensui Catholico contraria inseruit, Protestantium erroribus adhærens, Strasburgi obiit anno 1546. ex hist. Protestant.

XVI. Joannes Præmonstratensis, apud Pragam apostatavit à Religione, quam professus fuerat. Eodem Duce hæretici contrà Consules Pragenses multos fecerunt insultus. Circà annum 1540. sequentes errores promulgavit.

1. Nullum esse Infernum. R. verbo *Albanenses.*

2. Christum dicendo in Cruce: *Deus, Deus meus &c.* desperasse, ideò condemnatum fuisse in Inferno, non autem de Limbo Patres liberasse. R. hæc scelestissima blasphemia, & quidem illa verba: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* non fuisse verba desperationis, constat ex omnibus sacræ Scripturæ expositoribus, inter quos S. Bernardus tractatu de Passione Domini, sæpè præfata verba exponit, ad quem lectorem remittimus. Cæterum Christus, cujus voluntas fuit in omnibus semper uniformis voluntati æterni Patris, incapax fuit desperationis. Christus fuit essentialiter sanctus, ergo non potuit verba desperationis proferre, & consequentèr non potuit damnari in Inferno; sed cum dicitur; Christum descendisse ad Inferos, designatur Limbus, à quo liberavit illic existen-

stentes. Veritas constat ex Concil. Toletano celebrato sub Honorio I. anno 633. *Descendit ad inferos, ut animas, quæ illic detinebantur, erueret*; juxtà illud Ecclef. 24. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes sperantes in Domino*. Item ad rem legitur illud ad Ephes. c. 4. 9. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia, & descendit. Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia.* Item ex Epist. 1. D. Petri c. 3. v. 18. *Vivificatus autem spiritu, in quo, & iis qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit*. Demùm Christum non descendisse ad Infernum damnatorum, sed ad Limbum, ut liberaret illic existentes, constat ex vaticinio Zachariæ cap. 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* De Inferno autem damnatorum nemo emittitur, quia *in Inferno nulla est redemptio*. Christum descendisse ad Infernum, scilicet ad Limbum, & liberasse animas illic existentes, unanimiter proferunt omnes sancti Patres. Vide verbo *Adecerdita*, *Antichristiani*, *Bertholdus*, *Lutherus*, *Beza*, *Infernales*.

XIV. Joannes de Poliaco, Theologus Parisiensis varios disseminavit errores, circà confessionem Sacramentalem, quos tamen contrariis rationibus convictus revocavit, & Romanus Pontifex Joannes XXII. auctoritate Apostolica damnavit. Ex Spondan. anno 1321.

1. Dixit: Neminem posse confiteri Sacerdoti mendicanti: quòd si quis hoc faceret, debere iterùm confiteri proprio Parocho.

2. Papam non posse dispensare; quin Parochiani semel in anno confiteantur proprio Parocho; imò neque Deum posse hoc efficere, eo quòd hoc contradictionem involvat.

3. Papam, imò neque Deum posse alicui generalem potestatem facere confessionem audiendi. R. hujusmodi propositiones, quia derogant summæ Dei, atque ejus in terris Vicarii potestati. Tum quia certum est, Legislatores in legibus ab ipsis latis habere auctoritatem dispensandi, laxandi, & restringendi; atque supremum Judicem in Ecclesia visibili (sicut in rebus humanis) posse delegare cum judiciaria potestate.

XVI. Joannes Pfefingerius, (de quo Lindanus dubit. Dial. 2.) Minister Lipsensis, docuit hominem naturalibus liberi arbitrii viribus ad gratiam se disponere, ac præparare posse. R. verbo *Pellagius*.

XVI. Joannes Rivius, (ex Cocc.) secta Lutheranus, libro de abusibus Ecclesiasticis, negat Mariam unà cum corpore assumptam esse in Cælum. R. Ab unanimi sanctorum Patrum consensu, qui de Assumptionis Mariæ in corpore ad cælum fusè differunt. Expressè vide S. Bern. in serm. de Assumpt.

XV. Joannes, oriundus ex oppido de Rocesena dictus propterea Joannes de Rocesena in ditione Pragensi, ab ignobilibus parentibus ortum habuit. Pragam se contulit, ubi mendicato cibo victitans Grammaticam, & Dialecticam didicit. Jacobelli auditor fuit, deinde Presbyter ordinatus, concionatoris munus assumpsit. Wicleffi, & Joannis Hus erroribus adhærens, eosdem in urbe Pragensi toto studio disseminare studuit circà finem seculi decimiquinti. Ex Histor. Wicleff.

XIV. Joannes de Rupescissa, natione Gallus, dictus de Rupescissa, sivè de Roqueta, professione Minorita, Diœcesis S. Flori in Alvernia, vanè jactans se habere spiritum Prophetiæ, cum in pluribus, quæ prædicabat, mendax inventus fuerit, jussu Innocentii VI. Avenione carceri fuit mancipatus. Diversa prædicebat de duobus Antichristis futuris, de desolatione terrarum, & generali conculcatione Cleri: de Summis Pontificibus futuris: de venturo Angelo Christi Vicario, qui cuncta reformaturus sit, & Judæos, ac Infideles omnes conversurus, duraturumque orbem in pace ferè mille annis: pluraque alia tum de cæteris, tum de statu Galliæ, & duratione bellorum ejus scripsit: Quæ cum omnia pura fuerint figmenta, dictus est communitèr

Ha-

Haibalus, seu *Hebleur*, quæ vox in lingua Gallica *Blateronem* sonat. Ex Spond. ann. 1336.

* XV. Joannes Ruchardus Lutheri prodromus, ex Vestfalià superiore oriundus, Theologiæ Doctor, in universitate Vormatiensi professor, Valdensium, Beguardorum, & Marsilii Paduani erroribus imbutus, eos suis scriptis promulgare sive dessepelire nisus est. Ab eodem Lutherus edoctus, magistri sui impietates sustinere non erubuit. Ruchardum sua impia asserta revocare publicè, & abjurare Germania coegit: perpetuò carceri per inquisitores fidei condemnatum, ibique mærore consumptum lætabunda intellexit. Felix Germania, si quemadmodum cum Ruchardo Magistro, ita & cum Luthero discipulo processisset: eoque in predicationis suæ primordiis condemnato, in carcerem conjecto, statim securi ad radicem missà tot sequentium scandalorum (fortè etiam, & præsentium erumnarum) amputasset originem: quid enim hisce temporibus videre, imò amarè flere cogitur jam penè desolata Germania, nonnisi quod ubi majorem Luthero exhibuit conniventiam, ibi deteriorem à Lutheranis patitur ruinam. Novem recensentur Ereticales articuli à Brucardo promulgati, quibus omnem Ecclesiæ auctoritatem conabatur redigere ad nihilum, quos omnes articulos verbo Calvinus, & Lutherus abundè jam confutatos est invenire: præter quamquod Brucardi articulis semel admissis, statim fit obvium necessariò excludendas ferè omnes traditiones divinas, quarum observantia quàm sit necessaria ad Ecclesiæ regimen, probavimus contra Biblistas quia nulla Respublica sinè auctoritate condendi novas leges, juxtà temporum, & circonstantiarum exigentiam potest subsistere: Quod autem Romanus Pontifex à Christo auctoritatem acceperit condendi leges, & consequenter aliquid addendi circa ea, quæ Christus, & Apostoli docuere. Vide verbo *Marsilius*.

XVI. Joannes Sommerus, Pirnensis, qui in Transylvania lector fuit scholæ Claudiopolitanæ: negat Filium Dei, Deum esse. R. verbo *Arius*, *Agelanes*, *Accacius*, *Aetius*, *Achillas*. Negat etiam Divinitatem Spititus sancti. Repr. verbo *Airas*. Negat insuper Spiritum sanctum à Patre, & Filio procedere. R. verbo *Graci*.

XVI. Joannes Spargembergus, (de quo differit Prateolus) natione Germanus, Thuringiæ ortus, Lutheri discipulus anno 1550. decessit. Plures edidit libros. Docuit nihil esse discriminis inter consilia, & mandata. Rep. Nam si nullum esset discrimen, nulli mandato Euangelico teneremur parère, cum liberum sit sequi consilia. Tum quia mandatorum observantiam omninò esse necessariam ad salutem, Christus ipse testatur dicens: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; & alibi: *Mandata mea servate*. Quoad consilia verò Euangelica, Paulus Apostolus satis declarat liberum esse eadem sequi; quapropter ad Corinth. scribit: *Si vis nubere, benè facis, si non vis melius facis: hoc dico secundùm meum consilium*; ex quo satis constat, quantum sit discrimen inter consilia, quæ non obligant, & mandata, quæ obligant.

1. Bona opera neque meritoria esse, neque necessaria ad salutem. R. verbo *Jacobus Præpositi*, *Confessio Augustana*, *& Antinomi*.

2. Neminem posse justificari, qui se non credat justificatum, nempè nisi habeat fiduciam, quà credat sibi remitti peccata. R. verbo *Calvinus*.

XIV. Joannes Sanguinaccius, excellens medicus, qui nec inspectà urinà, nec exploratis brachiorum arteriis, sed solo aspectu vultus, & genus, & tempus, & paroxismum morborum divinabat, de hæresi accusatus, in Melitam insulam perpetuò relegatus fuit; de quo autem errore fuerit convictus, non constat. Ex Spond. ann. 1316.

XIV. Joannes Seignour (ex Spond. ann. 1381.) de improbà Wicleffi sectà, potissimùm affirmabat; primò Catholicos debere observare Sabbatum, ut Judæos in veteri lege, & abstinere à carne por-

porcina. R. verbo *Dositbæus*, *Cerinthus*, *Apollinaris*, & *Græci*. Hic opportunè notandum, tot fuisse venenosa hydræ Wicleffisticæ capita, ut penè innumerabilia visa fint iis, qui aliquando numerari posse existimaverant: Interim cum non auderent Wicleffistæ palàm sua venena spargere metu pœnarum, anno antecedenti, scilicet 1401. in eos promulgatarum, occultè nihilominùs sequentes docebant errores:

1. Sacramenta Ecclesiæ non esse nisi signa mortua, nullius valoris in formà, quà conferuntur ab Ecclesiâ. R. verbo *Armeni*.

2. Virginitatem, & Presbyteratum non esse statùs approbatos à Deo, sed conjugium; quapropter quicumque vellent salvari, debere conjugari, vel saltem esse in ea voluntate, aliàs esse homicidas, & destruere numerum salvandorum, ac damnandorum. R. à D. Paulo ad Corinth. ubi disertis verbis commendat statum virginitatis, de quà Christus ipse: *Sunt, qui se castraverunt propter Regnum cælorum*; durum utique verbum Judæis, qui erant carnales, ideò statim subjunxit: *qui potest capere capiat*. Item virginitatis statum esse commendabilem, ostenditur verbo *Ebion*, & *Elvidius*. D. Joannes Apostolus speciali amoris prærogativa Christo fuit acceptus, quia Virgo erat, & Virgo semper permansit. Ex quo infertur, non esse necessarium ad salutem conjugium, nec esse homicidas, qui conjugalem statum non amplectuntur: liberum enim est vel nubere, vel contineri.

3. Ad legitimum conjugium sufficere voluntatem viri, vel fœminæ, absque scitu Ecclesiæ. R. Nam cum Ecclesia habeat potestatem ad determinanda impedimenta matrimonii, inter quæ illud connumeratur ex præscripto Concilii Tridentini, si Parochi, & duplicis desit præsentia testis, sequitur conjugium, quod contrahitur absque scitu Ecclesiæ, esse illegitimum; & originalis causa est, quia matrimonium est in bonum communitatis, undè ab eo qui curam habet populi Christiani, potest leges accipere, sicut reliqui contractus ad commune bonum pertinentes, leges à Principibus habent.

4. Sacramentum Altaris, non esse nisi bucellam panis mortui. Rep. verbo *Joannes Oldecastelius*, *Joannes Wicleffus*, & *Berengarius*.

5. Puerum recenter natum, non baptizandum per manus Presbyterorum. R. Nam Minister ordinarius Sacramenti baptismi est Sacerdos, licèt in casu necessitatis possit supplere etiam laicus: ergo pueri baptizandi sunt, si fieri potest, per manus Presbyterorum.

6. Nullum diem, nec quidem Dominicum, Sanctiorem esse aliis, sed in omnibus licitum esse operari. Rep. verbo *Ebion*. Tum quia dies festos specialiter sanctificandos esse, constat ex sac. Scriptura, ubi legitur quòd Judæi conveniebant ad diem festum celebrandum; quapropter Christus ipse: Joann. 7. v. 10. *Ascendite ad diem festum*. Item Jo. 12. 20. *Erant autem quidam Gentiles ex iis, qui ascenderant in die festo*. Ergo dies festi sanctiores sunt ferialibus, & in his etiam Judæi vacabant ab omni opere, ut prolixiùs adorarent, & orationi vacarent, quod manifestè legitur, Exod. 20. 9. *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini tui est, non facies omne opus in eo tu, & filius tuus, & filia tua &c.* non est ergo licitum operari in die festo: hinc David eorum malitiam execrabatur, qui quemadmodum & hic hæretcus, dicebant: *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra*.

7. Non admittebant Purgatorium. R. verbo *Albanenses*.

8. Non esse agendam pœnitentiam de peccatis, sed satis esse abstinere ab illis, & fidem habere. R. & quidem fidem solam non justificare, dictum est contrà *Antinomos*, & *Eudoxium*: Necessariam autem esse cum fide pœnitentiam, constat ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 1. Item sess. 6. can. 19. Ad pœnitentiam utpotè necessariam ad abstinendum à malo, & perseverandum in bono, nos hortantur omnes SS. PP. & Apostolus, ad

ad Philipp. cap. 6. 9. & 10. S. Petrus Epist. 2. cap. 10. Pœnitentiæ addictissimus fuit S. Rex David, ut remissionem obtineret, undè & dicebat: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*; & alibi: *Lacrymis meis stratum meum rigabo*; nec tantam egisset in fletu, jejunio, & cilicio pœnitentiam Psalmista, nisi necessariam agnovisset ad obtinendam justificationem. Tandem Christus Dominus: *Gaudium* (ait) *erit in cælo coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*. Vide verbo *Ablabius*, *Actiani*, *Antinomi*, *Calvinus*.

XVI. Joannes Sturmius, anno 1578. Argentinæ conatus est novam sectam introducere, quàm vocabat *Viam mediam*: in qua secta ea solùm admitti volebat, in quibus tam Catholici, quàm Protestantes convenissent, cætera omnia rejiciendo. Ex Gault. sec. 16.

XVI. Joannes Tripemander, totis viribus Anabaptismum per Hollandiam promovere satagens captus est, Hagam-Comitis adductus, igni traditus fuit. Ex Spond. ann. 1532.

XI. Joannes Venetus, & Joannes Tudechinus, primus natione Venetus, secundus ex gente barbara progenitus, ambo Tusciæ Ducis Cappellani fuerunt, hæresim Simoniacam promoventes, subtili prætextu distinctionis intèr Episcopatum, & Consecrationem. Hæc opinio utpotè humanæ ambitioni favorabilis, plures habuit sectatores. Condemnata fuit ab Alexandro II. referente Baronio an. 1065. Dicebant licitè emi posse Episcopatus absque crimine Simoniaco; dummodò Consecratio gratis acciperetur. R. verbo *Simoniaci*.

XVI. Joannes de Vesalia, de cujus hæresi agit Bernardus Lutzemburgensis, vixit currente seculo 15. malè sentit de Mysterio SS. Trinitatis, negans Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio tamquàm ab uno principio, quia scilicet non percipiebat quomodò Filius unum esset cum Patre, negans hoc in sacra Scriptura reperiri. R. Joann. 10. *Ego, & Pater unum sumus*. Item Jo. 15. & 16. constat Filium esse consubstantialem Patri. Quà ratione dicendum necesse sit Spiritum Sanctum à Patre, & Filio tamquàm ab uno principio procedere, explicatum est satis in Concilio Florentino, ubi de eà veritate Græci fuerunt convicti, scilicèt non multiplicari principium Spiritus sancti, ex quo à Filio etiam procedat, quia eadem est utrique, necessariòque una spirandi virtus, actio, & relatio. Dixit etiam, Ecclesiam errare posse in suis definitionibus. Repr. verbo *Lutherus*, *Bucerus*, *Albigenses*.

XVI. Joannes Velsius, natione Batavus, quem alii *Justum Velsium* vocant, vir quidem doctus, cum Coloniæ Agrippinæ sacros libros interpretaretur, in hæresim lapsus, in carcerem conjectus, & in exilium postmodùm pulsus, Francofordiam se recepit. Cum in carcere degeret, quasdam apocalipses visiones de familiari sibi genio gloriabundus somniavit. Francofordiæ cum Calvino disputationem habuit circà liberum arbitrium: & cum vellet etiam de causa Sacramentaria cum Ministris Francofordiensibus disputationem instituere, tamquàm Zuinglianus rejectus fuit. Ex Spondan. ann. 1555. Dixit, Ecclesiam esse invisibilem. R. verbo *Invisibiles*.

Joannes Westfalus, sic dictus, quia de Westfalia superiore in Germania oriundus, Theologiæ lauream consecutus, diversis in locis conciones habuit, in quibus detectus fuit perfidus Lutheranus. Plures libros hæresi infectos composuit, qui proindè Moguntiæ exusti fuerunt ann. 1534. quæ refert *Bernardus Lutzemburgensis*. Præcipuæ propositiones hæreticales ex Westfali libris desumptæ sunt sequentes

1. Negat expressè in Scriptura contineri Spiritum sanctum à Filio procedere. R. verbo *Græci*, contrà quos probatur processio Spiritus sancti etiam à Filio: & licèt de hac processione non fieret expressa mentio in Scripturis, nihilominùs semper inconcussa fuit hæc veritas in Ecclesia Catholica, de processione Spiritus sancti à Filio; (quamobrem

Divinæ traditionis propriam notionem habet) quæ etiam ex facra Scriptura evincitur Joann. 16.14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis*: Quem textum omnes SS. PP. intelligunt de processione Spiritus sancti à Filio. Insuper Joann. 20. Christus insuflavit, & dixit: *Accipite Spiritum sanctum*: Apertè ibi Christus nos docuit, Spiritum sanctum etiam à Filio procedere.

2. Ecclesiam errare posse, & re ipsa errasse asserebat. Repr. verbo *Bucerus*.

3. Falsum, & erroneum dicebat esse hunc S. Athanasii versiculum: *Sicut anima rationalis, & caro unus est homo; ità Deus, & homo unus est Christus*. R. Quia Christus est una persona, in qua uniuntur natura Divina, & humana; ergo verum est, quòd Deus, & homo unus est Christus. In Christo duas esse naturas probatum est verbo *Cosmiani*, & verbo *Eutyches*: in Christo unicam esse personam, non est, qui hactenùs negaverit. Ergo verum est, quod ait S.Athanasius: *Deus, & homo unus est Christus*; cæterùm, si non subsisteret hæc propositio, corruerent potiora nostræ fidei mysteria, ut consideranti patet. Quod verò attinet ad exemplum de anima rationali, & carne, fatemur non omninò esse simile: neque enim exempla paria prorsus esse debent exemplificatis, alioquin non exempla essent, quæ eàdem difficultate nos laborare facerent, ac exemplificatum. Anima quidem & caro constituunt unum substantiale, & in Christo duas substantias, Divinam scilicèt, & humanam fatemur; Sed exemplum in eo stat, quòd una in Christo sit persona, quemadmodùm in homine, una est substantia.

4. Putabat Concilia generalia in Spiritu sancto non congregari. Rep. verbo *Beza*. Tum quia Concilia generalia congregantur sola auctoritate summi Pontificis, cujus operationibus, cum agitur de regimine Ecclesiæ, præcipuè assistit Spiritus sanctus: ergo Concilia generalia in Spiritu sancto congregantur: proindè Apostoli congregati Jerosolymis jussu D. Petri, ut de cessatione legalium definirent, dixerunt Act. 15. *Visum est Spiritui sancto & nobis*, ex quo textu evincitur, Concilia generalia in Spiritu sancto congregari, qui docet omnem veritatem eos, qui in Spiritu sancto congregantur. Vide verbo *Antonius Corvinus*, *Beza*.

5. Omnes non teneri Conciliorum decretis obtemperare. R. verbo *Beza*.

6. Pontificem Romanum legitimè institutum non esse Christi Vicarium. R. Ex Concil. Florent. celebrato an. 1438., in quo expressis verbis declaratur hæc veritas, cui suffragatur antiqua Ecclesiæ traditio; semper enim Ecclesia credidit, D. Petrum, & ejus successores fuisse Christi Vicarios: quam veritatem confirmat sacra Scriptura Matth. 16. 17. Item Joan. 27. 15. Item, quia Christus volebat Petrum relinquere suum Vicarium, jussit Petro dare didrachma, quod solvebatur, non pro omnibus, sed solùm pro capite familiæ, proindè dixit Christus Petro: *Da pro me, & te*. Non autem dixit: *Da pro me, & te, & aliis Apostolis*. Item Lucæ 22. 37. Christus rogavit specialitèr pro Petro dicens: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*. Ex quo evincitur, Christum constituisse Petrum suum Vicarium, pro quo sigillatim oravit, ut ejus fides non deficeret. Tum quia ex ratione regiminis Monarchici à Christo constituti in Ecclesia, evincitur esse necessarium unum supremum caput; hoc autem aliud esse non potest, quàm Romanus Pontifex, quem Christi Vicarium omnes SS. PP. proclamant, Imperatores, & Reges semper sunt venerati. Demùm soli Petro dixit Christus: *Pasce oves meas*; ergo totius Catholici gregis pastorem eum designavit, ergo suum Vicarium constituit, cum Christus de se ipso dixisset: *Ego sum pastor*. Vide verbo *Hussitæ*, *Jacobus Trapositi*, *Joannes Jandunus*.

7. Ecclesiam non habere potestatem constituendi leges. R. verbo *Confessio Augustana*.

8. Damnabat omne institutum Regulare ab Ecclesia approbatum. R. Quia in

in omnibus institutis Regularibus sunt media aptissima ad acquirendam perfectionem, cujusmodi sunt tria vota essentialia, per quæ homo se totum Deo tradit, & removet impedimenta, quæ nos possunt à Deo alienare.

9. Sacerdotes omnes, & Episcopos dignitate, & auctoritate esse pares. R. verbo *Aeriani*.

10. Non ex instituto Christi, sed ex hominum electione Episcopum alium alio superiorem esse, & omnibus summum Pontificem. R. verbo *Anastasius*, ubi ostendimus, Papam non esse subditum Imperatori; ex quo consequenter deducitur, non ex hominum electione, sed ex Divina institutione Papam esse superiorem omnibus Episcopis, sicut probatum est, verbo *Armeni*. Episcopi autem in dignitate Episcopali sunt omnes pares, quia omnes Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei: estò quòd quo ad jurisdictionem extensivam, respicientem scilicet ampliorem, vel strictiorem Diœcesim, aut dignitatis gradum, ut Metropolitæ & Patriarchæ, alius sit alio superior; hoc procedit partim ex institutione Apostolorum, juxtà politiam Ecclesiæ primitivo tempore convenientem; partim ex decretis Conciliorum, ut patet in Patriachatibus Constantinopolitano, & Hierosolymitano; partim denique ex Imperatorum, aut Regum sollicitudine, quia Reges majorem, vel minorem Episcoporum numerum à S. Sede proposcerunt pro regimine spirituali suorum Regnorum: Neque hinc evincitur ex hominum electione Episcopum alium alio superiorem esse: Nam Reges, approbante sancta Sede, ejusque consensu, ampliorem, vel strictiorem Diœcesim Episcopis assignarunt, qui non nisi sanctæ Sedis præmisso consensu, & approbatione suam jurisdictionem exercent. Vide verbo *Jacobus Præpositi*.

11. Christianorum nemini, etiam doctissimo, licuisse umquam Christi verba interpretari, imò Ecclesiam universalem nullo id jure potuisse. R. Nam sensus sacræ Scripturæ pluribus in locis est obscurus, & difficilis, sicut profitentur SS. PP. ergo opus est Christum constituisse aliquem pro bono regimine Ecclesiæ, qui in difficultatibus sacræ Scripturæ occurrentibus decideret, & sensum verum nobis aperiret. Et certè dicendum foret malè ordinatam fuisse à Christo Christianam Rempublicam, quando prævidente Deo futuras lites circà sensum Scripturæ, non reliquisset in Ecclesia Judicem, qui posset decidere; idest, qui verum Scripturæ sensum notum faceret, & doceret nos, quomodò Scriptura accipi debeat in suo germano sensu. Judex autem in controversiis Scripturæ, idest spiritus interpretativus sacræ Scripturæ certò invenitur in summo Pontifice, & in Conciliis Romani Pontificis auctoritate congregatis, & cofirmatis, sivè in Ecclesia, quæ etiam dispersa in aliqua Scripturæ explicatione convenit. Quare ad rem S. Bernardus serm. 3. in vigilia Nativitatis: *Cum ergo ipsa* (idest Ecclesia) *in Scripturis Divinis verba, vel alterat, vel alternat, fortior est illa compositio, quàm positio verborum*.

12. Non esse peccatum ullum originis, neque sancto Augustino, qui id asserit, fidem ullam habendam esse. R. verbo *Pellagius*.

13. Nullam esse justam causam, quamobrem Clericis lex continentiæ proponatur. R. verbo *Carlostadius*.

14. Christum Quadregesimæ jejunium non instituisse, & neminem teneri ad jejunandum. Prima pars non est hæresis, nisi neget Christum exemplo suo nos ad observantiam Quadragesimæ excitasse, aut non juxtà Christi spiritum ejusmodi Apostolicam institutionem vigere asserat. R. verbo *Aeriani*, *Agapetæ*, *Entusiastæ*.

15. Lustralem aquam non habere ullam majorem vim, quàm communem. R. verbo *Flagellantes*.

16. Indulgentias irridebat. R. verbo *Lutherus*.

17. Asserebat Ecclesiam posse errare in fide. R. verbo *Bucerus*.

XIV. JOANNES WICLEFUS, natione Anglus, circà medium seculi decimi quarti doctoratus lauream in universitate

tate Oxfordiensi assecutus, vir ingenio acri, & acuto, honorisque captandi avidissimus, novas opiniones promulgare, sivè potiùs antiquorum Philosophorum erronea quædam placita renovare aggressus, plures novitatis amatores ad sui sequelam perduxit, cum à præfectura Collegii Cantuariensis, contrà præscriptum Archiepiscopi obtentà, Pontificis jussu fuit dejectus. Deindè desiderati Episcopatus Vvirgoniensis repulsam ægrè ferens, ejus odio magis in Romanum Pontificem excandescente, viam sibi paravit, Procerum Regni præpotentia fretus, ad propè universam Europam perversis suis dogmatibus infectandam; doctrinam suam in puro Dei verbo stabilitam autumans: extrinseco paupertatis habitu, unà cum suis discipulis nudis pedibus incedens, Apostolicam vitam æmulari contendebat, ut sub ficta sanctitate suis dogmatibus robur acquireret. Propè universa Anglia peragratà, contrà Ecclesiasticorum abusus in suis concionibus se se invehens, Londinum pervenit. Res delata ad Pontificem, qui statim datis litteris ad Primates Archiepiscopos Angliæ Cantuariensem, & Londinensem, monuit ut contrà Vvicleffum erronea dogmata promulgantem, causam instruerent. Sed interim Gregorio XI. è vivis sublato, ortum est in electione schisma, quod majorem ansam dedit Novatori novos promulgandi errores, à quibus Hussitæ, Lutherani, & Calvinistæ prætensam hausere reformationem. Tot brevi habuit sequaces, ut ad duo centena millia armis stipati creverint Vvicleffistæ, ductore Joanne Basso Presbytero apostata. Innumera sunt mala, quæ ab hoc perdito exercitu patrata fuerunt contrà Episcopos, Monachos, & Orthodoxos. Rex Richardus à Regni Judicibus contrà omnes Vvicleffistas causam institui, & puniri mandavit. Horribili, & improvisa morte è vivis sublatus fuit Vvicleffus anno 1384. Luthevortii in Diœcesi Lincolniensi; & jubente Constantiensi Concilio, in quo fuit damnatus, ejus ossa exhumata, combustaque fuerunt.

Plura Concilia in Anglia, vivente adhuc Vvicleffo, ab Archiepiscopis in ejus causa congregata fuerunt, in quibus omnibus semper damnata fuit doctrina, quam impius hæresiarcha promulgavit: damnata itidem Romæ à Gregorio XI. Quia verò cum auctore haud quamquam sepulta fuit hæresis, imò perniciosiùs grassari visa est, iterùm Synodicis decretis fuit confixa Oxonii anno 1408. Romæ à Joanne XXIII. in Synodo Romana anno 1413. Quod potissimùm studuit Vvicleffus in suorum promulgatione errorum obtinere, fuit Ecclesiam Romanam deprimere, imò Clerum universum ad mendicitatem redigere, ut Regis, & Procerum favorem sibi captaret, quibus Ecclesiæ bona, divitiasque omninò deberi effutiebat. Sed benè perpensis Vvicleffi erroribus, constat, quòd non modò ad Ecclesiasticam, sed etiam ad secularem potestatem evertendam, homo cujuscumque subjectionis impatiens collimabat; siquidem peccato mortifero semel contaminatos superiores, sivè Ecclesiasticos, sivè etiam Laicos, etiam Regali potestate, & dignitate fulgentes, statim à sua potestate, auctoritate, & dignitate decidere blaterabat; itaut ab obedientia superioris, sivè Ecclesiastici, sivè Laici peccato mortali coinquinati, statim absolutos esse subditos effutiret. Plusquàm octingentos errores ab operibus Vvicleffi decerptos à Thoma Vvaldensi Carmelita videre est in ejus opere in tres tomos diviso, Martino V. dicato, in quo expressè hanc sectam impugnat. Plures autem ex præfatis erroribus sunt contrà Deum, & Christum: alii contrà Ecclesiam, Ecclesiæ ordines, & membra: alii demùm impugnant Sacramenta. Ad improbandos Vvicleffi errores sufficere crediderim, animadvertere, quòd sæpè sibi in suis erroribus contradixit. Potiores, quos Concilium Constantiense sess.8. confixit, sunt num.45. Vvicleffi verò discipuli novis adhùc erroribus, ac blasphemiis magistri sui hæreses cumularunt, ut videre est in historia Vvicleffi c. 4. à Nicolao Harpsfeldio exarata. In Synodo Cantuariensi habita ab Episcopo contrà

Wi-

Vvicleffiſtas, damnati ſunt octodecim articuli ex Vvicleffi Trialogo excerpti. Sunt autem ſequentes:

1. Manet panis ſubſtantia poſt ejus conſecrationem in Altari, & non deſinit eſſe panis.

2. Sicut Joannes fuit figuratìvè Elias, & non perſonalitèr, ſic panis eſt figuratìvè corpus Chriſti, & abſque omni ambiguitate hæc eſt figurativa locutio: *Hoc eſt Corpus meum*: ſicut illa in verbis Chriſti: *Joannes eſt Elias*.

3. In capite: *Ego Berengarius*, Curia Romana determinavit quòd Sacramentum Euchariſtiæ eſt naturalitèr verus panis, loquendo conformiter ut priùs, de pane materiali albo, & rotundo.

4. Definientes, parvulos Fidelium ſinè baptiſmo Sacramentali decedentes, non fore ſalvandos, in hoc ſunt præſumptuoſi, & ſtolidi.

5. Collatio Sacramenti Confirmationis, non eſt Epiſcopis reſervata.

6. Tempore Pauli ſufficiebant Eccleſiæ duo ordines Clericorum, Sacerdos, & Diaconus, nec fuit temporibus Apoſtolorum diſtinctio Papæ, Patriarcharum, Epiſcoporum: ſuperbia Cæſarea alios gradus adinvenit.

7. Senes, qui ex cupiditate rerum temporalium, vel ſpe mutuorum juvaminum, aut ex cauſa excuſandæ libidinis, licèt de prole deſperent, copulantur ad invicem, non verè matrimonialitèr copulantur.

8. Cauſæ divortii ratione conſanguinitatis, vel affinitatis, ſunt infallibiliter humanitus ordinatæ.

9. Hæc verba: *Accipiam te in uxorem*, eligibiliora ſunt pro contractu Matrimonii, quàm hæc verba: *Accipio te in uxorem*.

10. Iſti duodecim ſunt procuratores, ac diſcipuli Antichriſti, Papa, Cardinales, Patriarchæ, Archipræſules, Epiſcopi, Archidiaconi, Officiales, & Decani, Monachi & Canonici bifurcati, Pſeudo-Frates introducti jam ultimò, & Quæſtores.

11. Numerorum 18., & Ezechielis 44. præcipitur ſimpliciter negativè ut Sacerdotes, & Levitæ non habeant partem hæreditatis cum aliis tribubus, ſed purè vivant de decimis, & oblationibus.

12. Non eſt major hæreticus, vel Antichriſtus, quàm Clericus, qui docet, quòd lic tum eſt Sacerdotibus, & Levitis legis gratiæ dotari poſſeſſionibus temporalibus.

13. Non ſolùm Domini temporales poſſunt auferre bona fortunæ ab Eccleſiâ habitualitèr delinquente: Non ſolùm hoc eis licet, ſed debent hoc facere ſub pœna damnationis æternæ.

14. Si corporalis Unctio foret Sacramentum, ut modo fingitur, Chriſtus, & ejus Apoſtoli ipſius promulgationem non tacuiſſent.

15. Quicumque eſt humilior Eccleſiæ ſervitor, & in amore Chriſti quo ad ſuam Eccleſiam amabilior, ille in Eccleſia militante major, & proximus Chriſti Vicarius eſt.

16. Ad verum dominium ſeculare requiritur juſtitia dominantis, ſic, quod nullus in peccato mortali eſt dominus alicujus rei.

17. Omnia quæ evenient, abſolutè neceſſariò evenient.

18. Quidquid Papa, vel Cardinales ſui ſciunt ex ſacra Scriptura deducere clarè, illud dumtaxat eſt credendum: & quidquid ultrà præſumpſerint, tanquam hæreticum condemnandum.

Ducentos inſuper, & ſexaginta articulos ab Academia Oxonienſi contrà Wicleffum reprobatos, etiam ſacra Synodus Conſtantienſis damnavit. Damnatis pariter omnibus ejus operibus, & libris, atque tractatibus. Rex Angliæ Richardus II. ſolemni edicto libros, & ſcripta omnia Wicleffi, Nicolai Henfordii, & Joannis Aſtori, (qui duo poſteriores intèr primarios Wicleffi diſcipulos erant recenſiti) igni tradenda fore mandavit, cum primò repudiaſſet octo propoſitiones, à Wicleffo Parlamento oblatas, ſcilicet:

1. Quòd Rex, aut Regnum nulli Sedi, vel Prælato obediat, niſi de quanto ex fide Scripturæ ſonat in obedientiam Jeſu Chriſto, patet, quia alitèr præponetur Chri-

Christo in obedientia Antichristus. Omnis enim obedientia, quæ non fit Christo, fit Antichristo; quia Luc. 2. *Qui non est mecum &c.*

2. Quòd nec Curiæ Romanæ, nec Avenionicæ, nec alicui exteræ emittatur regni pecunia, nisi doceatur hoc esse debitum ex Scriptura.

3. Quòd nec Cardinalis, nec alius habeat fructum Ecclesiæ, vel præbendæ de Anglia, nisi vel ritè resideat, vel occupetur legitimè in causa regni, à Proceribus rationabiliter approbata.

4. Quod Rex, & regnum tenentur destruere regni proditores, & suos à ferocibus inimicis defendere.

5. Quòd regni communitas non oneretur tallagiis insuetis, antequàm totum patrimonium, quo Clerus dotatur, deficiat, patet, quia omnia ista sunt bona pauperum charitativè exponenda ad eorum egentiam, vivente Clero in perfectione primariæ paupertatis.

6. Quod quocumque Episcopo, vel Curato dotato de Anglia, in contemptum Dei notoriè incidente, nedum liceat Regi, sed teneatur sua temporalia confiscare.

7. Quod Rex nullum Episcopum, vel Curatum mancipet suo ministerio seculari, quia tam Rex, quàm Clerus foret proditor Jesu Christi.

8. Quòd Rex nullum propter moram in excommunicatione incarceret, antequam secundùm legem Dei sit doctus illam esse licitam.

Rem nimis in longum protraheret omnes referre, & reprobare propositiones à Wicleffo temerè prolatas, quas tamen omnes sparsim in hoc opere, sub aliorum nomine hæreticorum reprobatas, facilè est invenire. Præterquam quod ferè ex omnibus Ordinibus Regularium est invenire celebres Theologos, qui erudite Wicleffum impugnarunt. Ex Ordine Monastico Benedictino scripserunt Utherdus, Boltonius, & Nicolaus Badeliffus. Ex Ordine Prædicatorum, Joannes Jordanus, & Joannes Bromiardus. Ex Ordine Minorum Joannes Tiffingthon. Ex Ordine Carmelitarum Joannes Kinimgamius, & Richardus Lanenchamus. Ex Ordine Augustiniano Thomas Ashbnurus, & Thomas Vinterton: Præter plures alios, qui post Wicleffi decessum iterùm contrà eundem calamum acuerunt. Nobis interim sufficit errores primarios, magisque palmares, præter suprà memoratos, quos profitentur Wicleffistæ à Concilio Constantiensi infixos referre, & reprobare, sunt autem sequentes:

1. Substantia panis, & substantia vini materialis remanet in Sacramento Altaris. R. Ex iis, quæ dicta sunt contrà Berengarium, & verbo *Joannes Oldechastelius*.

2. Accidientia panis non manent sinè subjecto in eodem Sacramento. R. Nam positâ transubstantiatione nullum aliud est subjectum, cui possint uniri in Sacramento Eucharistiæ, nisi corpus Christi; sed corpori Christi non possunt uniri, cæterum diceretur de corpore Christi, quòd esset album, rotundum &c. quod de corpore Christi dici nequit, ergo dicendum est miraculosè accidentia manere in Sacramento sinè subjecto. Suppositionem quidem nostram ille negabit, ut certè negat. Attamen, sicut ex negatâ transubstantiatione, existentiam accidentium sinè subjecto refellit, ità & nos ex illa propugnata hanc firmamus. Tum quia major est implicantia, quòd idem corpus esse possit in pluribus locis, quàm quod accidentia manere possint sinè subjecto: sed primum fieri posse concedunt hæretici, ergo à fortiori secundum. Tum quia, modus loquendi in hac materia Conciliorum & Patrum semper fuit, quòd corpus Christi in Eucharistia est sub speciebus, ut innuerent species miraculosè manere sinè unione ad aliquod subjectum: Corpus autem Christi est sub speciebus ad modum rerum spiritualium, idest totum in toto, & totum in qualibet parte hostiæ, sicut anima est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis. Vide verbo *Joannes Oldechastelius*.

3. Christus non est in eodem Sacramento identicè, & realitèr in propria præ-

præsentia corporali. R. Ex iis, quæ dicta sunt verbo *Berengarius*, *Joannes Oldechaſtelius*, & ex illis verbis Joan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*: Qui textus non poteſt diverſimode intelligi, quàm de reali exiſtentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis: Quapropter hoc audito Judæi litigabant ad invicèm dicentes: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum*: neque litigaſſent Judæi, ſi diverſimode potuiſſent accipere illa verba: *Panis, quem ego &c.* Demùm tot ſunt miracula, quæ hanc veritatem confirmant, ut eſſe nequeat dubitationi locus. Hæretici dicunt, miracula eſſe facta à Catholicis, ſed contrà: vel enim miracula comprobantia realem exiſtentiam corporis Chriſti, ſunt vera, vel ficta: ſi vera, quare non credunt? ſi ficta, credant nihilominùs, cum ſine miraculis credere potuerint ab initio Eccleſiæ uſque ad hæc tempora, quotquot ſive Sancti, ſive Reges, ſive Doctores ſi miter crediderunt veram exiſtentiam corporis Chriſti in Euchariſtia.

4. Si Epiſcopus, vel Sacerdos exiſtat in peccato mortali, non ordinat, non conſecrat, non baptizat. R. verbo *Arnulphus*, *Albigenſes*.

5. Non eſt fundatum in Euangelio, quòd Chriſtus Miſſam ordinaverit. R. Nam traditio Apoſtolica ſtat pro verbo Dei ſcripto: Non enim omnia ſcripta ſunt. Chriſtum ordinaſſe Miſſæ ſacrificium colligitur etiam ex antiquioribus liturgiis, expreſsè afferunt SS. PP. inter quos S. Bernardus tract. de excellentia SS. Sacramenti ait: *Chriſtus enim pridie quàm pateretur, diſcipulis ſuis formam hujus Sacramenti præſcripſit, efficaciam exhibuit, ideſt fieri præcepit, formæ præſcriptio in pane, & vino*. Notate ordinem.

6. Deus debet obedire Diabolo. R. Hæc inaudita blaſphemia apertè ex Euangelio, ubi legitur Chriſtum diabolo tentatori ſic reſpondiſſe: *Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*. Sæpè Chriſtus in Euangelio præcepit diabolo, ut exiret à corporibus obſeſſis; qui ſtatim obediens fuit Divinis mandatis: creatura enim ſubdita eſt Creatori.

7. Si homo fuerit debitè contritus, omnis confeſſio exterior eſt inutilis. R. verbo *Joannes Oldechaſtelius*.

8. Poſt Urbanum VI. non eſt aliquis recipiendus in Papam, ſed vivendum eſt more Græcorum legibus propriis. Hanc erroneam propoſitionem nullo fulciri ſubſidio, obvium ſtatim eſt cuicumque illam legenti, ſed à ſolo Wicleffi livore, quo ſemper efferbuit in Romanam Sedem, conſtat fuiſſe prolatam.

9. Contrà Scripturam ſacram eſt, quòd Eccleſiaſtici viri habeant poſſeſſiones. R. Scripturæ teſtimonio, quo poſſeſſiones à Fidelibus Apoſtolis fuiſſe oblatas conſtat, & ab iiſdem receptas, ſicut videre eſt in Actibus Apoſtolorum 4. Sed & in veteri Teſtamento manifeſtè patet Sacerdotes habuiſſe agros verè proprios lib. 3. Regum 2. Salomon dixit Abiathar Sacerdoti. *Vade in Anathoth ad agrum tuum*; ergo ſi in lege veteri, qui erant de Ordine Sacerdotali potuerunt habere poſſeſſiones, nihil vetat quin & poſſeſſiones obtineant Religioſi in lege gratiæ.

10. Si Papa ſit præſcitus, & malus, & per conſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſuper Fideles ſibi ab aliquo datam, niſi fortè à Cæſare. R. Ex iis, quæ dicta ſunt contrà *Arnulphum*, *& Albigenſes*. Tum quia, nullibi Chriſtus dixit, quòd ratione peccati in dignitate aliqua conſtitutus amittat dignitatem; noverat enim Chriſtus fragilitatem humanam. Tum quia cum peccata quamvis graviſſima, ut plurimùm ſint occulta, & nemo ſciat an odio, vel amore dignus ſit, nunquàm certò ſcire poſſemus num Pontifex, Epiſcopus, aut alius ſuperior legitime exerceret poteſtatem. Poteſtas autem Pontificia immediatè eſt à Chriſto, non autem à Cæſare, aut ab aliquo alio: non enim poteſt Imperator poteſtatem conferre, quam ipſe non habet.

11. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi priùs ſciat eum excommunicatum à Deo, & qui ſic excommunicat, fiet ex hoc hæreticus, & ex

communicatus. Repr. Quia Ecclesia habet auctoritatem excommunicandi, ut dictum est contrà *Erastienses*: quando autem excommunicat, non judicat de internis, sed de externis, ideò scire nequit an ille, quem excommunicat sit jam à Deo excommunicatus: sed propter aliqua opera externa, contrà præscriptum Ecclesiæ facta, imponit Ecclesia excommunicationis pœnam, cui profectò alligatur quicumque à talibus operibus, quibus adnexa est excommunicatio, non abstinet. Potest autem contingere, ut excommunicatus resipiscat, pœniteat, & in bono perseverans antè absolutionem piè moriatur; in quo casu, licèt moriatur excommunicatus ab Ecclesià, dici tamen nequit, quòd sit excommunicatus à Deo: ex quo satis constat falsitas hujus undecimæ propositionis.

12. Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, vel ad Concilium regni, eo ipso traditor est Regis, & regni. Rep. Quia appellatio fieri debet ad legitimum Tribunal: forum autem seculare non est legitimum Tribunal Ecclesiasticorum; ex quo fit, ut nulla sit appellatio Clerici ad Regem, & ejus Concilium: quà propter meritò excommunicatur Clericus, qui à competenti foro declinat: Prælatus autem Ecclesiæ jura servans, nullatenùs dici potest proditor Regis, aut regni, cum potiùs utile sit Regi, & regno, Ecclesiæ jura servari, & nihil magis ad Regis, & regni ducat incrementum; quam veritatem disertis verbis sæpè in suis diplomatibus declararunt Imperatores.

13. Illi, qui dimittunt prædicare, seu audire verbum Dei propter excommunicationem hominum sunt excommunicati, & in Dei judicio traditores Christi habentur. R. Quia ad bonum Ecclesiæ regimen spectat, ut omnia fiant cum dependentia ab auctoritate superiorum, quibus in conscientia, ut alibi ostendimus, obedire tenemur. Spectat autem ad superiores Ecclesiæ punire Prædicatores, cæterosque homines, prout oportet, pœna privationis, & interdictionis sacrarum functionum, ad hoc ut sic interdicti se indignos agnoscentes, ad Christianam humilitatem, & erratorum correctionem excitentur. Qui secùs fecerit, superbus erit, & Christianum nomen inane geret.

14. Licet alicui Diacono, vel Presbytero prædicare verbum Dei, absque auctoritate Sedis Apostolicæ, sive Episcopi Catholici. Quanta autem absurda, admissa hac propositione sequerentur, satis per se patet; sed sufficienter reprobata est ex nuper dictis de necessarià dependentià subditorum, quæ maximè observanda est in hac materià prædicationis, quia nemo Dei verbum annuntiare debet, nisi missus à legitima potestate, sicut Christus misit discipulos suos; nisi ergo quis ostendat se missum specialiter à Deo ut Isaias, & Jeremias, necessarium est ut ab eo mittatur, cui cura est Dominici gregis.

15. Nullus est dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali. Repr. Hæc propositio, ex qua sequeretur subversio omnis regiminis sivè civilis, sivè Ecclesiastici; cum enim scire nequeamus, an superiores sint in peccato mortali, semper dubitare possemus, an teneamur ipsis obedire: Demptà autem obedientià inferioris ad superiorem, statim corruit quodcumque regimen sivè civile, sivè Ecclesiasticum. Vide verbo *Albigenses*.

16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, idest ex habitu, non solùm actu delinquentibus. Repr. Quia sicut superiores Ecclesiastici, ut supra ostendimus, per peccata licèt mortalia, non amittunt dignitatem, ita neque amittunt jus acquisitum ratione dignitatis, & consequenter non amittunt jus acquisitum super temporalia Ecclesiæ dicata. Tum quia domini temporales nullum possunt habere jus supra personas Ecclesiasticas, & eorum bona, consequenter neque illa possunt ad arbitrium suum auferre: exemptionem autem tum personarum Ecclesiasticarum, tum bonorum Ecclesiæ à domnio

minio temporali, pluribus in locis proclamant sacri Canones. Hic occasione arrepta, aliquantò fusiùs agendum de exemptione, quam habent Ecclesiastici jure Divino ab omni potestate seculari, quæ probatur primò ex sac. Script. Genes. 47. ubi Joseph, cum tributariam faceret universam Ægyptum, exemptos fecit Sacerdotes. Num. 3. 10. ubi loquens Dominus ad Moysen, ait: *Dabis dono Levitas Aaron & filiis ejus, quibus traditi sunt à filiis Israel*, & infra vers. 45. *Eruntque Levitæ mei, ego Dominus*; & cap. 8. *Statuesque Levitas in conspectu Aaron, & filiorum ejus, & consecrabis oblatos Domino, ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei, & posteà ingredientur tabernaculum fœderis, ut serviant mihi. Sicque purificabis, & consecrabis eos in oblationem Domini, quoniam dono donati sunt mihi à filiis Israel.* Ex quibus textibus constat Levitas tantùm Aaroni, ejusque successoribus Sacerdotibus fuisse subjectos. Insuper Sacerdotes, ac Levitas fuisse à tributis, & exactionibus immunes, colligitur Matth. 17. quam immunitatem ibi significat Christus competere tum sibi, tanquam filio naturali Regis Regum, tum S. Petro propter quandam participationem, interrogans enim ibi Christus Petrum, ait: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis? Et ille* (scilicet Petrus) *dixit, ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii.* Quibus verbis ostendit Christus beato Petro, ejusque successoribus privilegium exemptionis communicasse, & per consequens omnibus Ecclesiasticis personis, quatenùs illæ servitio Dei peculiariter dicatæ, de ejus familia esse censentur. Probatur etiam immunitas Ecclesiæ auctoritate Conciliorum, & Pontificum. Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 6. hæc habet: *Cum à jure tam Divino, quàm humano Laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit, innovamus &c.* Concilium Coloniense cap. 20. *Immunitas Ecclesiastica vetustissima res est, jure pariter humano, & Divino introducta.* Concil. Trident. sess. 25. cap. 20. *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum Immunitas Dei Ordinatione, & Canonicis sanctionibus constituta est.* Simile habet Bonifacius VIII. in cap. *Quamquam* de censibus Ecclesiæ. Probatur denique ratione. Nulla major potestas, seu jurisdictio propria virtute se extendit ultrà genus sui objecti, tamquam ultrà proprios limites: Ecclesiasticæ autem personæ, & propria bona sunt extra objectum, & proprios limites jurisdictionis secularis, ergo ad ea secularis jurisdictio per se, & proprià virtute se extendere non potest. Major patet, probatur minor. Quia cum potestas civilis ordinetur per se, & directè ad finem temporalem, debet solùm habere usum mediorum eidem fini convenientium, ut sunt res temporales, & politicæ, non autem sacræ, quæ ad Dei cultum per se, ac directè spectant: ideoque utpotè Deo sacræ ad supernaturalem finem ordinantur, ut sunt Ecclesiasticæ personæ, earumque bona. Adde, quòd circa eadem objecta per se non versantur diversæ potestates, sivè jurisdictiones, alioquin magna confusio orietur: sed certum est Ecclesiasticam potestatem versari circa personas, & res Ecclesiasticas, ergo circa easdem res per se non versatur potestas civilis, quæ diversa est ab Ecclesiastica.

17. Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere. Reprobatione non indiget adeò barbara, & insulsa propositio.

18. Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & possunt Parocchiani propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre. Repr. Ex iis, quæ dicta sunt verbo *Dulcinus*. Tum quia solutio decimarum est saltèm originaliter de jure Divino, quatenùs eo jure tenentur homines seculares Sacerdotibus alimenta præbere, suntque propterea Ecclesiastici legitimi acquisitores, & possessores decimarum, ergò decimæ non sunt puræ eleemosynæ, nec possunt Parocchiani ad libitum eas auferre. Prob. antecedens ex sac. Scriptura Levit. ult. *Omnes decimæ terræ, sivè de frugibus, sivè de pomis*

mis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur. Num. 18. *Decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum, & necessaria separavi*. Malach. 3. *Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea*. Luc. 10. *In eadem domo manete edentes, & bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua*. 1. ad Corinth. 9. *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* ergo solutio decimarum à jure naturali Divino procedit, licèt in lege Euangelica non sit determinata, & præcepta jure positivo Divino, sicut erat in veteri, sed tantùm determinata sit ab Ecclesia. Insuper solutio decimæ partis bonorum licitè acquisitorum, quòd sit facienda Ministris Ecclesiasticis, patet ex auctoritate Ecclesiæ, quæ id lege sancivit, ut patet in Decretalibus titulo de Decimis; ex Concil. Constantiensi, sess.8. ubi error contrarius Wicleffi damnatus est Ex Concil. Trident. sess.25. cap.12. de reform. hæc præcipiente: *Qui decimas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, neque ab hoc crimine, nisi restitutione secuta, absolvantur*. Vide verbo *Apostolici*: *Dulcinus*.

19. Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos, vel Religiosos, non plus prosunt eidem, quàm generales, cæteris paribus. Repr. verbo *Insabbatati*, ubi ostendimus orationem applicatam uni personæ esse bonam, & licitum esse orare pro aliquo in particulari. Quòd autem magis regulariter juvent, ex eo etiam probatur, quòd Christus Dominus, qui forma factus fuit gregi suo, oravit singulariter pro Petro, ultra orationem quam pro omnibus Discipulis fecit. Joann.17.

20. Conferens eleemosynam Fratribus, est eo ipso excommunicatus. Rep. exemplo Christianorum, qui conferebant eleemosynam Apostolis, quorum vitam potissimùm student imitari Regulares. Tum quia bona est eleemosyna facta pauperi ex voluntate, qui scilicet juxtà Euangelicum consilium renunciavit omnibus quæ possidet, propter Deum: secùs non posset quis vovere paupertatem, quam tamen Christus expressè consulit, si paupertatem vovens non posset eleemosynam accipere, & deberet consequenter ex necessitate perire.

21. Si aliquis ingreditur Religionem privatam qualemcumque, tam Possessionatorum, quàm Mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad observantiam mandatorum Dei. R. Quia omne institutum Regulare ordinatur ad excolendam virtutibus animam, & consequentèr ad exactiorem observantiam mandatorum Dei; quia in Religione sunt media aptissima ad acquirendam perfectionem, & ad removenda impedimenta, quæ nos possunt à Deo alienare: quamobrem Regularis status est, observare non modò præcepta, sed & consilia Euangelica. Insuper, quàm gratum sit Deo Religionem vovere, sæpè Deus evidentibus miraculis comprobavit.

22. Sancti instituendo Religiones privatas, sic instituendo peccaverunt. Rep. Ex iis, quæ supra dicta sunt. Deindè Institutores Religionum viam illam aperuerunt ad cælum, quam præmonstravit Christus dicens: *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me*; ex quibus etiam reprobantur duæ sequentes propositiones.

23. Religiosi viventes in Religionibus privatis non sunt de Religione Christiana.

24. Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem. Repr. Ostendendo licitum esse Religiosis ex mendicatis vivere, licitum etiam esse Religiosis, manibus laborare, ad hoc autem ex vi alicujus præcepti non obligari. Prima pars constat exemplo Christi, qui solo amore paupertatis, ut hanc nos doceret, vixit in paupertate, cum tamen potuisset ditescere, maximè cum turbæ illum Regem facere voluerunt. Item Apostoli amore paupertatis omnia dimiserunt: recipiebant tamen oblationes ipsis factas, ex quibus vitabant, ut possent ferventiùs Apostolico muneri incumbere. Item sanctissimi viri ex solis eleemosynis vixerunt,

xerunt, inter quos sanctus Benedictus, qui tribus annis delitescens in specu, ex iis quæ à Romano Monacho ipsi ministrabantur, alebatur. Alia pars, quòd scilicet non teneantur Religiosi manibus laborare, licèt etiam laudabile sit operi manuum incumbere, roboratur ex sac. Scriptura Luc. 10. ubi Christus de Magdalena soli contemplationi addicta, asserit, quòd optimam partem elegerit. Tum quia, vel manibus laborare est præceptum, vel tantùm consilium: si secundum, ergo ad hoc nullus tenetur (nisi se voto obligaverit, vel non possit aliundè necessaria ad victum capere, vel nisi teneatur alteri providere de cibo, v. g. Patrifamilias, nec possit hoc aliundè obtinere, nisi laborando, vel si aliter quis non possit otium fugere, aut tentationes ejicere, vel ratione obedientiæ, quam teneatur reddere Superiori) si verò opus manuum est præceptum, cum ad observantiam Dei præceptorum teneantur tam Religiosi, quàm sæculares, jam omnes non modò Religiosi, sed sæculares obligarentur: sed non est qui dicat sæculares obligari Dei præcepto ad opus manuum, ergo neque Religiosi ad hoc obligantur.

25. Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus. Repr. Quia hoc non est orationem vendere, sed religiosè gratificare pro beneficio accepto. Ecclesia semper consuevit orare pro benefactoribus.

26. Oratio præsciti nulli valet. R. Ex iis, quæ dicta sunt contrà Bezam, ostendendo orationem fieri posse pro peccatoribus, quos ejiciendos non esse ab Ecclesia ostendimus contrà Adamitas: quo posito sequitur, quòd oratio, quæ fità peccatore, etiam ipsi valeat ad obtinendam ex misericordia Dei, qui per orationis gratiam disponit, illam, ad quam excitat contritionis gratiam. Multò magis juvabunt orationes præsciti, si illo tempore oret, quo sit in gratia Dei, habent enim tunc rationem veri meriti, sicut contrà oratio prædestinati facta eo tempore, quo fortè defecit à gratià & charitate, veram meriti rationem non habet. Adde, quòd cum nemo sciat, an sit præscitus, vel electus, omnes orare debent, & Dei dispositioni relinquere, utrum exaudire velit, vel non, orationes nostras.

27. Omnia de necessitate absoluta eveniunt. Rep. Nam dari Divinam providentiam, quæ disponit omnia suavitèr, adeò certum est, ut Deum provisorem omnium, omnia clament in hoc mundo: Unde Ecclesiastes monet cap. 5. vers. 5. *Neque dicas, non est providentia, nè fortè iratus Deus contrà sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum*. Matth. 6. 26. legimus, quòd Deus pascit volatilia cæli, vestit lilia agri, Psalm. 146. *Dat jumentis escam, & pullis corvorum*. Ex quò manifestè deducitur, quòd Deus est omnium provisor, & falsum est omnia de necessitate evenire: quòd si omnia de necessitate absoluta evenirent, jam tolleretur omnis humana libertas, cui tamen non officit Divina providentia, quæ ità cum libertate humana se accomodat, ut causis liberis media convenientia ad suas actiones peragendas liberè subministret; quapropter disponens omnia suavitèr, ita concurrit ad omnium providentiam, ut sinat unamquamque causam juxtà suam naturam agere motus suos. Vide quæ dicta sunt. Verbo *Cæcus*, & verbo *Bardezanes*.

28. Confirmatio juvenum, Clericorum Ordinatio, locorum Consecratio, reservantur Papæ, & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris. R. Ex antiqua Ecclesiæ praxi, quæ prædictam auctoritatem semper est venerata in solis Episcopis. Vide verbo *Armacanus*.

29. Universitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magisteria sunt vanà Gentilitate introducta, & tantùm prosunt Ecclesiæ, sicut diabolus. R. ex ipsa experientia, quæ satis comprobat quantùm prosint, & profuerint Ecclesiæ studia, graduationes, & magisteria, ex quibus semper selecti sunt viri doctissimi ad resistendum hæreticis cantionibus, & ad hæreticalia sophismata convellenda aptissimi.

30. Ex-

30. Excommunicatio Papæ, vel cujuscumque Prælati non timenda, quia est censura Antichristi. R. verbo *Albanenses*, & *Confessionistæ Provinciales*.

31. Ditare Clerum, est contrà regulam Christi.

32. Silvester Papa, & Constantinus Imperator erraverunt Ecclesiam dotando.

33. Papa cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus sunt hæretici, eo quòd possessiones habent, & consentientes eis, omnes videlicet Domini seculares, & laici sunt pariter hæretici.

34. Peccant fundantes claustra, & ingredientes, sunt viri diabolici.

35. Omnes de Ordine Mendicantium sunt hæretici, & dantes eis eleemosynam sunt excommunicati.

36. Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem eo ipso inhabiles sunt ad observanda Divina præcepta, & per consequens ad perveniendum ad regna cælorum, nisi apostataverint ab eisdem. Repr. sex ultimæ propositiones, quæ collimant ad universalem subversionem Monarchiæ Ecclesiasticæ, quam sibi potissimùm Wicleffus præfixerat in suæ diabolicæ hæresis propagatione: & quidem quoad tres primas spectat, certum est adhùc tempore Apostolorum, ut alibi ostendimus, Ecclesiam possessiones spontè oblatas acquisisse: nec ullibi legitur, Christum prohibuisse Ecclesiam, & Ecclesiasticos, quin reciperent bona spontè à fidelibus oblata. In lege veteri scimus sanctissimos Patriarchas copiosissimis abundasse divitiis, & possessionibus: ex quo legitimè infertur, posse etiam in lege gratiæ Episcopos, aliosque Ecclesiasticos possidere bona temporalia, imò rem facere Deo acceptam fundantes, & dotantes Monasteria ad alendos viros specialitèr Dei dicatos obsequio, ubi exactiùs Divina observantur præcepta, & removentur impedimenta, quæ possunt retardare à consecutione ultimi finis. Vide quæ dicta sunt in reprobatione ad 20. & 21.

37. Ecclesia Romana est Synagoga Satanæ, nec Papa est proximus, & immediatus Vicarius Christi. Repr. prima pars verbo *Confessionistæ Provinciales*; & ex Concilio Nicæno, in quo legitur: *Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*. Secunda pars. Rep. verbo *Joannes Westphalus, Jacobus Præpositi, Græci, Armeni*.

38. Decretales Epistolæ sunt apocryphæ, seducunt à fide Christi, & Clerici sunt stulti, qui student eisdem. Rep. Si vel levitèr quis animadvertat quantâ in insipientiâ blateravit hic perfidus Hæresiarcha, tam in hac, quàm in sequentibus propositionibus.

39. Imperator, & Domini seculares sunt seducti à diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.

40. Electio Papæ à Cardinalibus, à diabolo est introducta.

41. Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias. R. Quia est de necessitate salutis credere, quòd est definitum in Œcumenicis Conciliis: sed Romanam Ecclesiam primatum habere super alias definitum est in omnibus Conciliis; sub ejus obedientia vivere obligantur omnes Christiani, ut probatum est verbo *Græci*. Tum quia posito, sicut alibi probatum est, quòd Romanus Pontifex sit successor D. Petri, & hic Christi Vicarius, innegabile est Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias; & sicut necessarium est credere ad salutem, quòd D. Petri successor sit Christi Vicarius, pariformitèr necessarium est credere, quòd Romana Ecclesia sit suprema inter omnes Ecclesias. Hujus Ecclesiæ primatum omnes SS. PP. venerati sunt semper, etiam à tempore Apostolorum. S. Ignatius Martyr, S. Joannis Euangelistæ discipulus, in sua ad Rom. epistolâ, Roman. Ecclesiam aliorum magistram prædicat. Nec valet objicere Romanam Ecclesiam non esse primam, quia Jerosolymitana, utpotè antiquior eam debet præcedere: Nam contrà. Romana enim Ecclesia in tantum est suprema, quia in illa sedens est Petri successor, cui Christus primatum contulit super omnes Apostolos: Cæterùm Christus, qui est Caput Ecclesiæ, nec Jerosoly-

solymis, nec Romæ sedit. Ut autem, sciremus, quem inter omnes Apostolos suum Vicarium relinqueret, pluribus prærogativis in sac. Script. expressis in persona D. Petri Vicarium suum declaravit, præscindendo à loco, in quo postmodùm D. Petrus sedem suam, ductu Spiritus sancti, deberet stabilire. Cum autem Spiritu sancto movente voluerit Divum Petrum Romæ Cathedram suam erigere, & stabilire, consequens est, ut quisquis in hac Cathedra legitimè sedet, sit D. Petri successor; ex quo sequitur necessariò, quòd Romana Ecclesia sit suprema inter alias Ecclesias; eum, ille, qui Romanam regit Ecclesiam, utpote D. Petri successor, sit supremus Episcoporum.

42. Fatuum est credere Indulgentias Papæ, & Episcoporum, cum Indulgentia nihil aliud sit, quam applicatio thesauri Ecclesiæ per Pontificem, & Episcopum facta. Vide, quæ dicta sunt verbo *Jacobus Prapositi*, ad 7. & ad 8. quà præmissa notitia. Rep. assertum Wicleffi ex Concil. Lateranens. 4., quod anathemate percutit negantes Indulgentias. Concil. Constantiense anno 1414. condemnavit omnes, & singulas propositiones Wicleffi, inter quas numeratur præsens, quam evomit contrà Indulgentias. In distinctione quinquagesima Canon. *Absit à Romanà Ecclesià*, facto temporibus S. Cypriani, S. Cornelio Summo Pontifice, currente seculo tertio, fit mentio sollemnis de Indulgentiis: Auctoritatem dispensandi indulgentias dedit Christus Petro, cum ei dixit: *Dabo tibi claves... quodcumque solveris, erit solutum*; ergo Papa potest solvere vincula pœnæ temporalis debitæ peccatis, quod facit per applicationem thesauri Ecclesiæ, nam Divinæ Justitiæ opus est satisfacere: ergo si Papa solvit peccatorem, qui debet satisfacere pro pœnà peccatis debità, hoc facit applicando pro satisfactione merita Christi, & Sanctorum, scilicet per Indulgentias, quæ consequuntur adimplemento operum, quæ Papa præscribit pro consecutione Indulgentiarum. Et certè, si Papa non posset dispensando thesaurum, concedere Indulgentias, intelligibile non esset, quomodò posset solvere eum, qui ligatur pœnà temporali, peccatis post Confessionem adhuc debità, solvere inquàm à tali pœnà, cum cæterùm Christus absolutè dixerit: *Quodcumque*.

43. Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus, & commercia civilia. Rep. verbo *Catharistæ*.

44. Augustinus, Benedictus, & Bernardus damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc, quòd habuerint possessiones, & instituerunt, & intraverunt Religiones; & sic à Papa usque ad ultimum Religiosum omnes sunt hæretici.

45. Omnes Religiones indifferentèr introductæ sunt à diabolo. Reprobatione ulteriori non indigent adeò indignæ, insulsæ, & petulantes propositiones. Vide, quæ dicta sunt superiùs ad n. 36.

46. Ecclesia potest errare in Canonizatione Sanctorum. Rep. Nam usque adhuc nullus unquam error depræhensus fuit in Canonizatione Sanctorum. Tum quia Spiritus sanctus specialitèr assistit Ecclesiæ in decernendis rebus fidei, & Religionis, & consequenter in Canonizatione Sanctorum. Quam veritatem perhibet S. Bernardus, serm. in festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli: his verbis: *Sinè dubio Ecclesia, dum decernit celebritates Sanctorum, habet Spiritum Domini*.

XVI. Joannes Willelmus, Ruremondensis, patre Sacerdote natus, se divinitùs designatum jactans ad protegendam Anabaptistarum sectam: Rex proindè ab Anabaptistis creatus, furta, & latrocinia permisit ad sui, suorumque sustentationem, hoc colore, quòd bona terræ, Christi ac discipulorum ejus essent, quæ bona, utpotè malè divisa, dicebat, Deum velle, ut ab ipso meliùs distribuerentur; divitibus, quod nimium erat adempto, & egentibus collato. Gladium gerebat, quem vocabat gladium Gedeonis, & in gladio Dei, & Gedeonis justitiam se exercere jactabat. Tandem in arce Juliacensi detentus, eum obsti-

obstinatus persisteret, ad palum alligatus, lento igne crematus fuit. Ex Spondan. ann. 1580. Librum edidit, in quo Polygamiam concedebat. R. verbo *Bernardinus Ochinus*.

XVIII. Joseph Beccarelli, in pago Uragi, cujus dominium possidet nobilis familia de Martinenghis in Brixiensi Diœcesi, ex spurio natus concubitu, Brixiæ sub protectione cujusdam æquitis, qui necessaria ad victum derelicto juveni suppeditabat, literis applicuit. Crescente ætate, ut sacris posset initiari ordinibus, etiam sufficienti patrimonio à suo protectore donatur. Factus Sacerdos ut commodiùs victitaret, pueris educandis instruendisque Brixiæ scholam aperuit, quibus exteriorem insinuabat modestiam: quà multi ex nobilioribus Brixiæ capti, suos filios sub Beccarelli disciplina educandos tradiderunt; adauctus brevi discipulorum numerus, & collegii formam jam schola præseferente, tanquam Rector præsidebat Beccarellus, qui juvenes orationi mentali, Sacramentorum frequentiæ, non præmissa confessione addictos esse docens, etiam in alumnorum suorum domos se insinuans, prætextu spiritualis directionis, frequentem ad mulieres habebat accessum, & ubi faciles ad lubrica easdem reperisset, sollicitabat, quas ut faciliùs seduceret, nullum esse in turpi conversatione peccatum docebat: sicque sub ementita sanctitate domi suæ cum alumnis, in alienis domibus cum mulieribus turpiter commiscebatur. Detecta est occasione Sacramentalis confessionis, à pio viro Congregationis Oratorii Beccarelli hypocrisis, & perversitas: res delata ad Inquisitorem, qui brevi Beccarellum cum pluribus secularibus Presbyteris Molinisticæ sectæ restauratorem, & propagatorem agnovit. Interim ad Brixiensem Ecclesiam assumptus Cardinalis Joannes Badoarus, vir verè Ecclesiasticus, & insigni pietate celebris, ad extirpandam Beccarelli zizaniam totus applicuit, & invocato brachii secularis auxilio, seductore carceri mancipato, processu instructo, Brixiæ in majori plateà coram ingenti populo, anno 1713. suos errores abjurare coacto, ad perpetuos triremes prolata fuit contrà Beccarellum sententia, qui Venetias perductus, in angusto carcere, post quatuor annorum spatium, pœnitens decessit, ætatis circiter 47. Hæc à probo viro Regulari, cujus ope, doctrinà, & prudentià Cardinalis Badoarus usus est in institutione præfati processus, accepi, postquàm pauca, quæ verbo *Beccarelli* prænotaveram, impressa jam fuerant.

IV. Jovinianus, egressus è Religione, quam Mediolani professus fuerat, prætextu delicatioris vitæ, factus postmodùm Helvidii Hæresiarchæ in impietate collega, sequentes in Italia, sed potissimùm Romæ dissem navit errores, quos SS. Hieronymus, & Ambrosius acritèr impugnarunt

1. Dixit, nullum cibum esse prohibitum etiam diebus, quibus ab Ecclesia prohibentur. R. verbo *Græci*, *Aerians*, *Carlostadius*.

2. Omnes Beatos pares esse in gloria, & omnes damnatos pares esse in pœna. R. Ex illo Scripturæ: *In Domo Patris mei mansiones multæ sunt*: quem textum SS.PP. interpretantur de majori, vel minori gradu gloriæ, quem Deus confert electis, juxtà majorem, vel minorem gradum meritorum, cum quibus decesserunt. Etiam damnatos non esse pares in pœna, sed alios aliis magis torqueri juxtà gravitatem peccatorum in quibus mortui sunt, constat ex illo Apocalyps. 18. vers. 7. *Quantum glorificavit se tantum date illi tormentum*. Tum quia Deus non esset justus Judex, si omnes beati essent pares in gloria, & damnati pares in pœna.

3. Nullam meritorum esse in hac vità disparitatem, itaut omnes virtutes sint pares, & omnia vitia, & peccata sint æqualia. R. Nam merita Beatæ Mariæ Virginis extolluntur super omnia alia merita justorum; de illà enim dixit Angelus: *Benedicta tu inter mulieres*. Etiam D. Joannes Baptista extollitur, cum de illo dicitur: *Inter natos mulierum non surrexit major*. Tum quia gratia potest

teſt augeri; ſed hæc augetur juxtà augmentum meritorium, proindè legitur Apocalypſ. 22. verſ. 11. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc*. Item Eccleſia poſtulat ſanctitatis incrementum illis verbis: *Da nobis fidei, ſpes, & charitatis augmentum*: cui conſonant verba D. Pauli ad *Philippenſes* cap. 5. *Oro, ut charitas veſtra magis, ac magis abundet*. Item 2. ad Corinth. 9. *Augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ*. Ex quibus textibus dari in hac vita diſparitatem meritorum, & conſequenter etiam demeritorum, ſivè peccatorum conſtat; quapropter Chriſtus, Joann. 19. v. 11. dixit: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*. Chriſtus ibi dixit peccatum Judæ fuiſſe majus peccato Pilati: ergo falſum eſt omnia vitia, & peccata eſſe æqualia: quam veritatem etiam profitentur Concil. Florentinum in decreto unionis, & Concil. Trident. ſeſs. 6. cap. 16 canon. 32. ubi docet gloriam æternam tribui tanquam mercedem: merces autem Juſtitiæ diſtributivæ exigit, ut ſit proportionata merito, ſicut juſtitia vindicativa exigit pœnas correſpondentes culpis.

4. Hominem baptizatum non poſſe peccare. R. Nam Chriſtus inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ pro adultis, qui non obſtante baptiſmo, cum ſint liberi arbitrii, poſſunt operari contrà legem, & conſequenter peccare. Tum quia baptiſmus delet quidem omnia peccata commiſſa ante baptiſmum, ſed non facit hominem impeccabilem. Vide verbo *Impeccabiles*.

5. Jejunium nullius eſſe meriti. Rep. verbo *Agapetæ*.

6. Virginitatem non eſſe apud Deum excellentioris meriti, quàm conjugium. R. verbo *Ebion*, & *Elvidius*.

7. Mariæ Virginitatem impugnavit, dicens non fuiſſe virginem in partu, nec poſt partum. R. verbo *Carolus Molinæus*, & *Antimariani*.

V. Igini, Indiam incolunt, & plures eorum in Ægypto ſub ditione Soldani degunt, eoſdem profitentur errores, quos verbo *Indiani retulimus*.

II. Isidorus, filius Baſilidis Hæreſiarchæ, paternæ impietatis hæres, & propugnator, moralia ſcripſit, quæ erant impuritatis ſentina; ſcripſit quoque librum de Adnatà animà. Eundem impugnarunt Juſtinus Martyr, Irenæus, Theodoretus, Clemens Alexandrinus, Origenes.

XVI. Iscariotæ, profeſſione Lutherani prodierunt anno 1560. ita nominantur, quia negant Judam Iſcariotem verum Jeſu Chriſti Corpus in ultima cœna ſumpſiſſe, quos convincunt manifeſta Euangelii teſtimonia, ex quibus conſtat, Chriſtum inſtituiſſe Sacramentum Corporis in ultima cœna, & dediſſe diſcipulis, qui tunc omnes aderant, potiſſimùm Judas, de quo Chriſtus, ut diſcipulum proditorem indicaret, dixit. *Unus veſtrum, qui intingit mecum manus in catino, hic me tradet*. Deindè: *poſt bucellam* (id eſt communionem) *introivit in eum Satanas*; ergo ſumpſit Corpus Chriſti.

XV. Ismael Sophus, cujus hiſtoriam perſtringit Spondanus, anno 1499. fuit omnibus Orientalibus Regibus, & Sultano terrori, quos ferè omnes debellavit. Poſtquàm per adoptionem aſſumptus fuit in Regem Perſarum, quòad Religionem ſpectat, cum ex Alcorano intellexiſſet Mahometanam ſuperſtitionem diviſam eſſe in 72. ſectas principales, quarum una ſola ad Paradiſum duceret, & quòd nondum determinatum fuiſſe intellexiſſet, quæ nam illarum vera eſſet, ſed uniuſcujuſque ſectatores ſuam magnificare tanquam unicam, & veram: Iſmael Sophianam ſolam, veram eſſe prædicans, miſſu ſe cælitus ad eam manifeſtandam, & alias deſtruendas gloriabatur.

IV. Ithaciani, ab Ithacio Hiſpaniæ Epiſcopo ſunt nuncupati. Hic cum acritèr ageret contrà Priſcillianum Hæreſiarcham, tam in Conciliis, quàm apud Judices ſeculares & verbo, & ſcriptis, demùm egit apud Maximum Imperatorem, ut gladio puniretur; culpandus, quòd ipſe Epiſcopus pœnam ſanguinis exegerit de delinquentibus, ea de cauſa damnatus à ſanioribus Epiſcopis in Concilio

cilio Trevirensi,& in exilium pulsus fuit. Ithacianorum communionem declinavit Ambrosius, & adversùs Ithacianos calamum acuit,contrà quos Concilium Taurinense sub Siricio Papa celebratum fuit. Ex hist. Priscillian.

I. JUDAS ISCARIOTES, qui ab Euangelica fide defecit (ut colligitur ex epist. S. Alexandri Patriarchæ Alexandrini, quæ extat lib.1. hist. tripartitæ, cap.13.) Christo, qui eum in Apostolorum numerum cooptaverat, ingratus rebellis, impugnavit realem existentiam corporis Christi in Eucharistià, ut perhibet S.Joan. Chrysost. homil. 46. in Joannem. Colligitur etiam ex S. Hieronym. in Matth. cap.26. quòd Judas Christi miracula magicis artibus tribuebat.

XVI. JUDAISTÆ. Nomine Judaistarum veniunt, qui asseruerunt Judam bonum opus fecisse, cum Christum tradidit, dicentes, Judam scivisse quantum Christi mors generi humano fuisset profutura, & ideò Christum tradidisse. Sed de Juda, utpotè proditore dixit Christus: *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est?* Quòd si Judas, utpotè proditor, diabolo à Christo comparatur, quomodò proditio poterit inter bona opera adscribi? Deinde: *Meliùs erat ei, si natus non fuisset*. Tum quia tritum est, non esse facienda mala, ut eveniant bona. *De Judaistis* agit Prateolus.

XVI. JUDAIZANTES (ex Gravinà in Tabulà analytica) illi sunt, qui in Lithuania Semi-Judæi nominantur, & circa annum 1544. dogmatizarunt, neminem salvari posse, qui legem Mosaycam non servaverit; quarè ipsi à carne porcina abstinebant, custodiebant Sabbatum, & circumcidebantur; in reliquis adhærebant Anabaptistis. R. verbo *Cerinthus*.

I. JUDÆI. Inter hæreticos reponit S. Augustinus Judæos in sermone adversùs quinque hæreses, & D. Thomas asserit quæst. 22. caus. 9. art. 6. quòd Judæorum infidelitas, & contumacia potest dici hæresis. Inter Judæos ante Christi adventum plures fuisse erroneas sententias, certum est. Undè & in varias sectas erant divisi, nempe *Hessæorum*, *Gallilæorum*, *Hemerobaptistarum*, *Masbothæorum*, *Samaritanorum*, *Sadducæorum*, & *Pharisæorum*; sed de iis, & aliis, suo loco. Nunc potissimùm impugnare intendimus præcipuum, & communem omnium Judæorum malignantium errorem, qui negant Messiam in lege promissum jam venisse, illum adhùc expectantes, & consequenter negant Christum fuisse verum Messiam, promissum in lege, expectatum à Patribus, repudiantes omnem mysticum sensum sac. Scripturæ, ubi agitur de adventu Messiæ, sola literà contenti; sed si ad solam literam fas est attendere, quomodò verificaretur illud, quod legitur Daniel. 12. *Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum usque ad statutum tempus: plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia*. Et paulò infrà: *Vade Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones usque ad præfinitum tempus. Eligentur, & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi, & impiè agent impii, porrò docti intelligent*. Certè quotquot visiones in lege, & Prophetis de Messià habentur, sub variis figuris obtectæ sunt, quæ solùm in Christi adventu reseratæ fuerunt; sic illud Davidis jam patet verificatum in persona Christi: *Dominabitur à mari, usque ad mare, & à flumine, usque ad terminos orbis terrarum*; alios scripturæ textus, litteraliter acceptos à Judæis, cum nondum verificatos viderint, ideò Messiam jam venisse constantissimè negant. Sed si litteralitèr ubique accipienda est Scriptura, ubi agitur de Messià, etiam alibi Judæos apertè Scriptura convincit, sic Isaiæ 53. legitur: *Tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*. Utique vaticinia hæc de Messia litteraliter accepta, jam verificata perhibentur, ut mirum sit, quomodò audeant Judæi negare Messiam jam venisse, cujus vaticinia, quæ extant in Scripturis, nec omnia litteralitèr, nec omnia spiritualiter accipienda sunt. Rep. Igitur primò ex illo Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore*

more ejus, *donec veniat*, *qui mittendus est* (ideſt donec veniat Meſſias) ut exponunt Rabbi Cachadias in tranſlatione Arabica, Rabbi Chanini in tranſlatione Chaldaica, & alii, quos tanquam ſapientiores inter Rabbinos, honorant ipſi Judæi. Sed hoc vaticinium jam eſt impletum: ſiquidem ſceptrum de Domo Juda, jam ablatum eſt: ergo Meſſias jam venit. Et cum videant Judæi ſe non poſſe effugere vim tantæ auctoritatis, convertunt ſe ad fabulas, dicentes, ultra montes Caſpios Judæorum regnum tranſlatum, & ibi à Deo ſervari; ſed quarè ipſi ad inviſendum proprium regem non remeant, ſi ultra montes Caſpios tranſlatum eſt Judæorum regnum? Qua fulciti auctoritate Scripturæ hoc aſſeverant? Quis venit de tam longinquo, ut hoc ipſis nunciaret? Gratis igitur hoc aſſeverant. Secundò, ex illo Iſaiæ 26. *Quia incurvabit habitantes in excelſo*, *civitatem ſublimem humiliabit*. *Humiliabit eam uſque ad terram*, *detrahet eam uſque ad pulverem*. *Conculcabit eam pes*, *pedes pauperis*, *greſſus egenorum*. Hic locus interpretatur apertè de Meſſia non modò à Catholicis, ſed à doctioribus Judæis, inter quos Rabbi Salomon dicens: *Urbem ſublimem humiliabit*, *ideſt Romam & Italiam*. *Humiliabit eam*, inquam, *uſque ad terram*, *calcabit eam pes*, *pedes pauperis*, *ideſt Regis Meſſiæ*, *de quo dictum eſt Zachariæ*; *Pauper*, *& equitans ſuper aſinam*. Itaque jam verificatum eſt vaticinium Iſaiæ de Meſſia in perſona Vicarii Chriſti, ſcilicet Petri, & ſucceſſorum ejus, qui Romæ felicitèr regnant, & vident eorum pedibus Romam, cum Univerſo orbe humiliatam. Tertiò, ex illo Zacchar. 13. *Et erit in die illa*, *dicit Dominus exercituum*: *diſperdam nomina idolorum de terra*, *& non memorabuntur ultrà*. Sed jam diſperſus eſt idolorum cultus, ergo jam venit Meſſias. Citatum autem Zaccharïæ locum, de adventu Meſſiæ interpretari, in confeſſo eſt apud Hebræos. Prætereà, quæcumque de Meſſia in Scriptura dicta ſunt, verificata perhibentur de Chriſto filio Mariæ, qui unicus fuit Meſſias, & Salvator generis humani: nam ſac. pag. Meſſiam futurum ex ſemine Abraham teſtantur, undè legitur Geneſ. 17. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*. Porrò Chriſtum eſſe ex ſemine Abrahæ, conſtat ex genealogia Chriſti, quam, tum Matth. tum Lucas contexuerunt; proteſtati ſunt etiam ipſi Judæi, qui euntes obviam Chiſto Domino, ingredienti Jeruſalem, decantarunt: *Oſanna filio David*, *benedictus qui venit in nomine Domini*. Locum nativitatis Meſſiæ eſſe debuiſſe Bethlebem terram Juda, etiam vaticinati ſunt Prophetæ, Michæas cap. 5. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur*, *qui ſit dominator in Iſrael*. Natum autem Chriſtum in Bethlehem teſtantur ſac. pag. Quòd ſi Chriſtus non Bethlehemites, ſed Nazaræus dictus eſt, hoc eſt, quia poſt fugam in Ægyptum, denuò Archelaum devitans, aufugit in Nazareth, ubi reliquo tempore, uſque ad prædicationem incola fuit. Debuit etiam mater Meſſiæ eſſe virgo, teſtante Iſaia cap. 7. *Ecce virgo concipiet*, *& pariet filium*, *& vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Simile prædixerunt Sibyllæ. Sed ut ex ipſis Judæis confundatur eorum perfidia, ſimile teſtatur Moyſes, Rabbi Hadarſon in annotationibus, explicans illud Pſalm. 84. *Veritas de terra orta eſt*, & Rabbi Haccados in lib. Galerazeia in tertia petitione ad Antoninum Conſulem: ergo cum de virgine natus ſit Chriſtus, ipſe eſt verus Meſſias. Adde, quòd hanc virginem non aliam, quàm Mariam eſſe debuiſſe, fatentur doctiores ex Judæis, inter quòs Rabbi Haccanas, filius Necumiæ. Ex tempore nativitatis prædicto à Daniele Propheta de ſeptuaginta hebdomadibus, etiam probatur Chriſtum eſſe verum Meſſiam, ſicuti etiam ex vitæ ſanctimonia, miraculorum patratione, novæ legis promulgatione, ejuſdemque Meſſiæ paupertate, humilitate, & paſſione, quæ omnia de Meſſia verificari debere prænuntiarunt Prophetæ, & verificata eſſe de Chriſto teſtantur ſacræ paginæ. Chriſtum autem eſſe verum Meſſiam promiſſum in lege veteri, ex hoc

hoc satis comprobatur, quòd scilicet Christus opprobriosè mortuus, nihilominùs post mortem tanquam verus Messias fuerit ab ipsis Judæis gloriosè prædicatus, & ut talem ferè omnes gentes agnoverint. Sed fortiùs adhuc reprobantur ex prophetia Jacobi, quam iterum libet opponere. Jacob itaque Patriarcha morti proximus, Gen.49. convocatis filiis, annuntians quæ ipsis novissimis temporibus ventura erant, Judam sic alloquitur: *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum... Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*. Hoc vaticinio promittitur Messias, quem utique designant illa verba: *Qui mittendus est*, & illa alia *Ipse erit expectatio gentium*; quæ verba Messiæ adeò conveniunt, ut nemini alteri adaptari possint. Tunc igitur promittitur Messias hoc vaticinio, cum sceptrum, seu suprema, cujuscumque sit nominis, potestas ex Juda defecerit: atqui jamdiù est, ex quo illa defecit in Juda, imò in tota gente Judaica, cum subversà per Titum Jerosolymà, Judæi extorres, dispersi, errabundi, dura ubique servitute sub alieno imperio sinè duce, sinè Templo, sinè victimis, sinè Sacerdote, ac Sacrificio permanserunt, & permanent: quam Judæorum ruinam, ac calamitatem prædixerat ipsis Oseas Propheta, cap.3. his verbis: *Dies multos sedebunt filii Israel sinè rege, & sinè principe, & sinè Sacrificio, & sinè Altari, & sinè Ephod, & sinè theraphim.*

Reprob. insuper ex prophetia Danielis. Cùm Daniel Propheta, fusis ad Deum precibus, supplex postularet populi, à durissima captivitate Babylonica, liberationem, exauditus à Deo, Gabrielis Archangeli ministerio cognovit, non tantùm quo tempore populus liberandus foret à temporali captivitate, sed etiam sub quibus circumstantiis advenire deberet Messias, qui populum suum à captivitate spiritali dœmonis liberum, in libertatem filiorum Dei erat allaturus, notatis ferè singulis adventus, passionis, & mortis Christi circumstantiis.Ecce verba prophetiæ cap.9. *Tu ergo animadverte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo, & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterùm ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexagintaduas occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium, & erit in Templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio.*

Hoc vaticinium Danielis de Christo Messia, non de alio quocumque intelligi debere sic probatur. Illud vaticinium de solo Messia, seu Christo venturo intelligi debet, cui soli adaptari possunt characteres omnes à Daniele delineati, atqui soli Christo vero Messiæ adaptari possunt characteres à Daniele delineati. Isti porrò sunt: Qui venturus à Daniele prædicitur antonomasticè, sivè per excellentiam Christus nominatur; dux seu princeps, Sanctus sanctorum, qui peccatum expiaturus est, qui est justitia sempiterna, quam secum est adducturus, auctor novi fœderis, sub quo vetera sacrificia sunt abroganda; qui occidendus est, & post cujus mortem Templum esset evertendum: atqui hæc omnia in Christo ad litteram impleta sunt post expletas hebdomades 70. à Daniele designatas, ergo &c.

Observandum tamen est ad pleniorem vaticinii Danielis explanationem, quòd cum communi Scripturæ usu, hebdoma-

domades aliæ sint septem dierum, aliæ septem annorum, certum illud videtur, septuaginta hebdomadas apud Danielem annorum esse, non dierum: septuaginta quippè hebdomades septem annorum efficiunt annos nonaginta supra quadrigentos; septuaginta verò hebdomades dierum efficiunt dies 490. ideft annum cum quatuor mensibus: Atqui certum omninò videtur apud Danielem non dies, sed annos computari. Tum quia istud spatium dierum nimis angustum est tanto implendo mysterio. Tum quia de facto illo dierum 490. intervallo, nihil eorum contigit, quæ à Daniele prænuntiantur, non capta civitas, non attritus populus, nec Christus occisus &c.

Jam verò septuaginta hebdomades Danielis inchoandæ videntur ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani. Ab illo enim anno rectè possunt, ac debent inchoari septuaginta Danielis hebdomades, quo emissum est edictum de iterum ædificanda Jerusalem, & à quo usque ad Christum occisum, impletæ probantur septuaginta illæ hebdomades, seu anni 490. Atqui anno 20. Artaxerxis Longimani emissum est edictum de iterùm ædificanda Jerusalem, & ab illo anno ad Christum usque occisum, septuaginta istæ hebdomades impletæ probantur, ergo à vigesimo anno Artaxerxis Longimani, debent inchoari septuaginta Danielis hebdomades. Prima minoris propositionis pars manifesta est ex libro Esdræ c.2. per totum, præsertim autem vers.8. Secunda verò ejusdem minoris propositionis pars declaratur: quia Daniel totum illud septuaginta hebdomadarum spatium in tres quasi partes dividit. Primò in septem, tum in sexagintaduas, denique in unam hebdomadam, & unicuique veluti parti suum historicum futurum eventum assignat: atqui si septuaginta illarum hebdomadarum initium in vigesimo Artaxerxis Longimani anno figatur, omnia quæ Daniel intra illud spatium temporis eventura prænuntiat, re ipsa evenisse probantur, & ipse numerus annorum 490. qui in septuaginta hebdomadibus includitur, elapsus evincitur.

Minor probatur: quia si statuamus Artaxersem Longimanum ad regnum pervenisse anno periodi Julianæ quater millesimo ducentesimo quadragesimo primo, vigesimus ejus annus incidet in annum periodi Julianæ quater millesimum ducentesimum sexagesimum, mundi ter millesimum quingentesimum quinquagesimum; si adjeceris sexaginta novem hebdomades annorum, hoc est annos tres, & octoginta supra quadrigentos, habebis annum mundi quatermillesimum trigesimum tertium, Æræ Christianæ trigesimum, quo baptizatus est Christus, & cœpit Euangelizare verbum Dei. Cum igitur mense Nisan exierit illud Artaxerxis edictum, Nehemiæ datum pro ædificanda civitate, septem hebdomadarum spatio, scilicet annis 49. absoluta civitas est. Quanquam enim muri urbis celerrimè ob imminentes undequaque hostes diebus 52. fuerint erecti, attamen platea, ut loquitur Daniel, publica ædificia, strata viarum, fora, porticus, cisternæ, aquæductus, & alia id genus, quæ disturbaverat Nabuchodonosor, instauranda erant: Et quidem in angustiâ temporum, ut Propheta loquitur, propter frementes, & undequaque irruentes hostes; undè aliâ manu ædificabant, & aliâ contrà hostes pugnabant. Sequuntur deinde 62. hebdomades, quæ ab illa perfecta civitatis instauratione fluxerunt, donec Christus ipse Messias advenerit, cui tota postrema hebdomas septuagesima consecrata est; quamobrem à primo Paschate, quod Christus post baptismа celebravit, incipit annus primus septuagesimæ, & ultimæ hebdomadæ, in qua fœdus confirmatum est multis. Pascha autem nostrum Christus, legalibus sacrificiis imposito fine, immolatus est ineunte anno 4. sivè in medio postremæ ejusdem hebdomadæ. Tuncque defecit hostia, & sacrificium, sicut Angelus Danieli prædixerat. Annus ille quartus fuit Olympiadis ducentesimæ secundæ. Periodi Julianæ ann. quadragesimus octavus; Æræ vulgaris trigesimus tertius; Tiberii Cæsaris decimus nonus; Hebdomadarum Danielis quadrigentesimus octogesimus se

pti

ptimus. Posteà vero exitum habuere septuaginta hebdomades, tunc dissipatum est sanctuarium, civitas solo æquata, Gens tota dispersa. Horum duorum, & aliorum Prophetarum de Christo venturo vaticinantium verba simul cum iis omnibus, quibus abundè convinci potest Judæorum perfidia, legi possunt in eximia, & nunquam satis laudata demonstratione Euangelica Danielis Huetii.

Reprobantur Judæi testimonio Josephi, quod certè Christianorum causam adversùs illos maximopere juvare debet. Sic enim loquitur lib. 18. Antiquitatum Judaicarum cap. 4. Fuit autem, hoc tempore Jesus vir sapiens: si tamen virum illum oportet dicere: erat enim mirabilium operum effector, magister hominum qui vera libenter amplectuntur, & plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex Gentilibus ad se pertraxit Hic erat Christus. Cumque eum à primatibus gentis suæ accusatum, Pilatus ad Crucem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt, qui primum cœperant; nam post tertium diem redivivus ipse appa ruit, cum Divini vates hæc aliaque quamplurima admiranda de eo prædixissent, neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus.

Mirum certè videri debet esse intèr Christianos critices, tam intemperantes viros, qui adeò illustre viri Judæi testimonium levissimis conjecturis nobis Christianis eripere tentaverint. Testimonium illud Josephi tamquàm adulterinum, & à primis Christianis pia fraude confictum, rejiciunt Osiander Montacutius, Capellus uterque, Blondellus, Tanaquillus, Faber, & alii. Sunt inter nostros timidi, qui nec rejicere audent, nec apertè admittere, sed rem veluti in ancipiti suspensam relinquunt. Alii denique palam, & apertè tanquam genuinum, ac verum tuentur. Momentum istud more suo doctè, ac eleganter pertractavit Illustrissimus Daniel Huetius, demonst. Euang. prop. 3. à num. 11. usque ad 19. Hic non est silentio prætereundum dari intèr Judæos plures, qui arti Cabalisticæ dediti, eandem summis laudibus celebrant, Cabalistæ dixi quia sic nuncupati: cæterum ars Cabalistica mera est superstitio. Videatur hac de re Cardin. Bona lib. de Divinà Psalmodià cap. 2. Videatur etiam Martinus de Rio in magicis disquisitionibus, ubi varia esse Cabalistarum genera ostendit, quorum doctrina nihil habet soliditatis. Reprobantur efficacissimis argumentis Judæi à Petro Galatino Ord. Min. in suo eruditissimo opere inscripto: *De Arcanis Catholicæ veritatis*.

Hic opportunè notandû Judaismum per Euangelicos nostri temporis iterùm fuisse invectum prætextu Euangelii; sicuti eruditè ostendit Lindanus, comparans Judæorum errores cum Novatorum figmentis. Quid enim erroris apud Judæos est invenire, quod non refricaverint Novatores? Negant illi Messiam venisse, isti idem asserunt cum Davide Georgio: Negant illi in Sanctissima Trinitate tres Personas, idem asserunt isti cum Serveto, sic de reliquis erroribus comparativè discurrendo, ità ut invenire etiam sit apud Novatores, qui circumcisionem carnis revocaverint, ut absque scrupulo possent omninò Judæis perfidis comparari: Intèr quos Euangelicos demùm juventi sunt *Mannari*, qui scilicèt in Cœna Domini se se manna comedere affirmabant. Qui de hac comparatione intèr Judæos, & Euangelicos copiosiora desiderat, Lindanum consulat, ad quem lectorem remittimus. Ex quò autem de Judæis actum est, varias sectas, in quas abjerat Judaicus populus, ut statim discernat studiosus lector, earumdem seriem, hic adnectimus ordine alphabetico digestam.

Judæorum Sectæ.

Baalitæ. Impia quorundam Israelitarum secta, quæ Baal, aut Idolum Balli Assyriorum Regis, adorabat. Hæc, quò ad defectionem, in Ethnicismum declinat.

Dosithæi, Dosithæum ex Judæis oriundum institutorem habent. Hic cum in doctrina Scripturarum multùm profecisset, ex ipsa scientia, quæ sinè charita-

te

te inflat, in superbiam elatus, Episcopatum ambire cœpit vivente Divo Petro, circà medium seculi primi, quod cum obtinuisset, declinavit ad Samaritanorum genus, & Dosithæorum sectam produxit; deindè in speluncam simulatâ Religione secedens, ibi plusquàm par erat, abstinentià se affligens, siti & fame periit. Tanta Religione observabant Dosithæani Sabbatum, ut hac die in quocumque loco, & in quacumque situatione invenirentur, usque ad diem sequentem persisterent. Sunt qui intèr Judaizantes Dosithæanam sectam reponunt. Aliqui ex Simonis magi discipulis, etiam Dosithæani dicti sunt. De Dosithæo refert Philastrius quòd

1. Negabat Deum creasse Angelos, ideò Angelorum existentiam non admittebat. R. Gen. 19. vers. 1. *Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere*. Cap. 22. vers. 11. *Et ecce Angelus de cælo clamavit, dicens; Abraham Abraham*. Item c. 28. v. 12. Judith. cap. 13. v. 20. Insuper ex Psal. *Qui habitat &c.* & in pluribus aliis Scripturæ locis comprobatur Angelorum existentia. Demùm Matth. c. 26. vers. 53. *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quàm duodecim legiones Angelorum?* Ex iis, quæ fiunt in Energumenis comprobatur etiam Angelorum existentia; plura enim opera, quæ patrantur in ipsis, utpotè turpissima, non possunt refundi in Deum, neque in vires humanas, quia longè eas superant, neque in animas separatas à corpore, quia anima etiam separata à corpore non acquirit majorem virtutem circà exhibitionem talium operum, quæ fiunt ab Energumenis, quàm habuerit in corpore; naturalis enim virtus agendi, agentem ubique sequitur. Videmus autem Energumenos movere ingentia pondera, se elevare in aera, quod anima non potest per se efficere, ergo similia opera quæ fiunt ab energumenis refundi debent in malos Angelos, à quibus Energumeni obsidentur, ergo ex Energumenis benè comprobatur existentia Angelorum. Neque ex creatione hominum potest improbari existentia Angelorum, ut contendunt adversarii, qui negant posse dari Angelos, cum homo sit creatura sublimior à Deo creata: Nam licèt homo sit creatura nobilior cæteris corporalibus, vel etiam, ex summo Dei beneficio, spiritualibus in aliqua ratione, quatenùs v. g. Deus naturam humanam assumpsit, potiùs quàm Angelicam, attamen Angeli, in esse simplicis creaturæ, sunt perfectiores homine, cum sint creaturæ omninò spirituales: licèt verò de illis, tanquam de creaturis corporalibus, Scriptura mentionem faciat, hoc non officit, nam Scriptura se accomodat captui nostro. Cæterùm ex ipsa Scriptura certum videtur Angelos esse creaturas spirituales, undè legitur Psal. 103. *Qui facis Angelos tuos, spiritus*. Super id aliqui ex Patribus dubitarunt, ipseque S. Augustinus: sed hodiè iste est communis sensus Ecclesiæ, quam docet Spiritus sanctus.

2. Ab animatis abstinebat. R. Nam in lege gratiæ nullum extat de hac re præceptum: & licèt in lege veteri ab aliquibus animatis abstinerent, non tamen ab omnibus: sed quidquid sit de lege veteri circà hoc, certum est in lege gratiæ omne comestibile esse permissum in cibum; & præcepta legalia legis Mosaicæ per Euangelium sublata sunt.

3. Sabbatum ità superstitiosè colebant Dosithæani, ut quocumque loco, situ, & habitu die Sabbati inventi fuissent, in tali positione usque ad vesperam immobiles permanerent. Videantur hic, quæ dicta sunt contrà Cerinthum, & Apollinarem circà observantiam legis Mosaicæ. Item quæ dicta sunt contrà *Aerianum*.

4. Repudiabant Prophetas. Reprob. verbo *Albanenses*.

5. Circumcisionem observabant. R. verbo *Aerarius*.

6. Dicebant post mortem nullam superesse vitam, & animam esse mortalem. R. verbo *Arabes*.

7. Negabant resurrectionem. R. verbo *Basilidiani*.

Essaei, sive Essæni, ab Assa, quod verbum hebraicè operari significat, nuncupari voluerunt. Idem ergo est Essæni,

hac

ac operarii, sic dicti, quia ut obstarent Pharisæis, & Sadduceæis, quorum odiosam vitam, & deliciis deditam reprobabant, vitam factis austeram instituerunt, multò antè adventum Christi, qui deindè ad Christum conversi, post Christi adventum in asperitate vitæ perseverarunt. Vitam Monasticam primùm in Judæa, deindè Alexandriæ propagantes tempore primitivæ Ecclesiæ, quorum laudes recenset Philo tractatu de Vita solitarià: sed quia Essæni ab aliquibus inter hæreticos reponuntur, distinguendi sunt in tres species, ut sincera de eisdem cognitio habeatur. Alii enim sunt Essæni, sic dicti antè Christi adventum, qui teste Epiphanio, & Josepho lib. 8. antiq; cap. 2. de bello Judaico cap. 7. unam Judæorum sectam constituebant, & isti bipartiti sunt, nam alii à nuptiis abstinebant, alii (quæ divisa ab illorum secta ponitur à Josepho) non autem omnes, rationalem Justitiam sectantes, atque in communi omnia habentes, austerissimè vivebant: immortalem animam fatebantur, futuramque felicitatem proborum, ac improborum pœnam, variis tamen erroribus veritatem istam admiscentes, credebant, Platonicis omninò similes, undè Josephus illos ait concinere Græcorum sententiis. Dicitur istos docuisse nullam legem obligare post Christi mortem, & indè fortasse intèr hæreticos aliquandò recensentur. Quia tamen incerta res est an ità docuerint (maximè quia tempore S. Marci non ità docebant) ab impugnatione abstinemus. Satis est ea quæ contrà Anomeos diximus, recolere. Alii demùm sunt Essæni, qui vitam verè religiosam agebant Alexandriæ, de quibus supra. Illos laudavit Philo supracitatus, nam licèt Christiani, erant tamen de genere Hebræo. Magistrum habuerunt S. Marcum Euangelistam, ut monet D. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Gallilæi. Unam apud Judæos sectam constituerunt, quam studium sapientæ appellabant, teste Josepho, Antiq. 18. cap. 2. sic dicti, quià à Juda natione Gallilæo originem habuerunt.. Judas indignum ratus Judæos alienigenis tributum solvere, aliorum more Judæorum solventium tributum Cæsari, hinc factum est, ut cum suis sectatoribus ab aliis Judæis se diviserit, & seorsim ab illis cæpit sacrificia offerre, negans insuper pro Romano Imperatore, vel aliis Ethnicis offerendum esse sacrificium; Cum verò Christus Dominus natione Gallilæus esset, hinc Judæi perperam censentes eum esse de Gallilæorum sectà, eundem tentarunt sciscitantes eum, ut diceret, utrum liceret censum dare Cæsari, sed Judæorum versutià statim à Christo cognità, simul fuit ab eodem improbata illis verbis: *Solvite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.*

Galatae. Redarguit Galatas S Paulus, quod cum Euangelium suscepissent, supervenientibus Pseudo-Apostolis, iterùm ipsis aurem præbentes, à doctrina sana discederent, revertentes ad Judaismum, & legalia, unà simul cum Euangelio confundentes. Legem Mosaicam simul cum Euangelica non esse servandam, dictum est contrà *Cerinthum*.

Gorthaeni. Diversam à Sadducæis dierum festorum rationem habebant, quam sibi ad placitum præscripserunt.

Haeliognostici. Erant viri Idololatræ apud Judæos, qui solem tanquàm Deum colebant, propterea omnia, quæ Dei sunt, soli tribuebant, nempè creationem mundi: item omnia, quæ homo possidet, & huic vitæ sunt necessarià à Sole recognoscebant, tanquàm à supremo rerum omnium productore, & dispositore. Reprob. Nam solem non esse Deum, sed Dei creaturam evincunt sacræ paginæ Job. 9. v. 7. *Qui præcipit soli, & non oritur.* Matth. 5. *Qui oriri facit solem suum super bonos, & malos.* Adversùs abominationem eorum, qui solem adorant, loquitur Deus Deuteronom. 17., & propter eandem abominationem pluribus malis obnoxium fuisse Israeliticum populum legitur in Isaià.

Haemero-Baptistae. Hæc secta intèr Judæos multùm invaluit, cum Pharisæis sentiebant, & cum Sadducæis negabant resurrectionem mortuorum. Hæmero-Baptistæ autem sunt dicti, quia vere,

re, æstate, & autumno singulis diebus se, & sua vestimenta abluebant, rati non posse aliter homines à suis culpis mundari, quàm quotidiana ablutione. R. Nam unicam tantùm ablutionem, nempè baptismum habere virtutem abluendi peccata, constat ex Euangelio; ergo omnis alia ablutio est superflua, & superstitiosa. Tum quia, si quotidiana ablutio deleret peccatum, esset Sacramentum, & de eà consequenter fieret in sacris paginis aliqua mentio, vel talis ablutionis servandæ præscriptio aliqua traditione Divina fuisset ad nos derivata, sicut derivata est doctrina de Sacramento Pœnitentiæ.

Herodiani. Illi sunt, qui adulationis studio Herodem Idumæum Christum fuisse dicebant, & hac de causa fuerunt Herodiani nuncupati. Ex hac secta fuerunt plures Judæi, & Pharisæi, qui contrà Christum conspirarunt. Porrò Herodem percussit Angelus Domini plagà pessimà, & consumptus à vermibus expiravit. Herodis diem natalem Herodiani observarunt, & colverunt etiam pluribus annis post Christi resurrectionem.

Hosi. Iidem sunt ac Essæni, idem autem significat Hosi, ac Sancti: Essæni enim tanquàm sancti in opinione hominum erant. Et quidem eorum mores mirè extollit Josephus.

Molochitae. Ab Idololatrià, quam Moloch, & Rempham Ammonitarum Idolis exhibebant quondam Judæi, nomen fortiti sunt; eadem de causa dicti etiam Remphamnitæ. Idololatras Cananæos, præfatis Idolis filios, & filias immolantes redarguit Dominus Levit. 15., & 20. Illos postea Hebræi imitati sunt; ut habetur Psalm. 105. vers. 37.

Musoritae. Dicti sunt quidam Judæi, qui mures tanquam Deos colebant, undè & quinque mures aureos fecerant. De his agit Philastrius.

Nazaraei. Nazaræorum institutio, & vitæ ratio sancta erat, ut sac. pagina pluries commendat; nihilominus eodem nomine *Nazarei* Hæretici quidam nuncupantur, qui sunt in duplici specie: alii inter Judæos antè Christi adventum hæresim fecerunt, qui nec Sacrificia observabant more legis Judaicæ, nec libros Moysis cum cæteris Judæis recipiebant, abstinentes ab animatis velut immundis; alii post Christi adventum sectam instituerunt ab urbe Nazareth, Nazaræi dicti, qui circà annum Christi 74. Christum confitentes, circumsionem nihilominùs retinendam esse affirmabant, dicentes Christi fidem sinè operibus legis non sufficere ad salutem. Insuper & cum antiquis Nazaræis in hoc conveniebant, quòd libros Moysis non reciperent, dicentes fuisse confictos. Tempore D. Hieronymi vigebant adhuc in Oriente, dicti etiam alio nomine Minæi, qui demum Ebionis consortio infamati, multos etiam errores cum eodem Ebione habuerunt communes.

Reprobant. circà observantiam circumcisionis, & legalium verbo *Aerarius*: circà libros Moysis, quos volebant esse confictos, verbo *Albanenses*, contrà quos probatum est esse canonicos.

Osseni. Sectam unam constituebant inter Judæos, qui post excidium Jerosolymæ juncti sunt Ebionæis hæreticis circà annum 74.

Pharisaei sub ementità sanctimonià superbiam foventes, cæteros aspernantes, à voce *Phares*, quæ segregatos significat, sunt dicti. Pharisæorum auctores fuerunt Sammay, & Hillel, ut pluribus placet; Arbitror tamen fuisse antiquiores. Vide Calmet in Dictionar. ex quibus alii dicti sunt Scribæ, & alii Pharisæi. Scribæ quidem, qui interpretabantur Legem. (quanquam revera Scribæ per omnes sectas divagasse videantur) Hujus sectæ Judaicæ sequaces, Christum expectant ut justum hominem. Eorum hypocrisim redarguit Christus in Euangelio, qui separati vivebant ab aliis peculiari cum rigore, non virtutis genio, sed superbiæ pruritu; quapropter rigidà virginitatis ad præscriptum tempus observantià, victusque asperitate, venerationem sibi conciliabant. Pharisæorum dogmata hæc erant: cuncta tribuebant fato; ait tamen Josephus lib. 13. An-

Antiquit. cap.2. id sinè liberi arbitrii dispendio eos docuisse. Afferebant animarum judicia sub terra fieri, bonorum animas præmia consequturas, malorum verò puniri in æternum; futuram resurrectionem credebant, ut habetur Act.23. Astronomiæ studio dediti super alios sapere gloriabantur.

Puteoritæ. Erant olim quidam Hæretici, vel potiùs Idololatræ apud Judæos, qui puteorum aquam colebant, puteos in altum fodientes, & aquas haurientes, quam salutarem appellabant.

Ranatitæ. Apud Judæos fuerunt ranarum cultores, quas sub Pharaone, Moysen imperante, Ægyptus produxit. Tempore Philastrii quarto currente seculo, adhuc erant, qui in Ægypto ranas colerent, putantes Dei iram ex hac vanà observantià posse placari.

Remphamnitæ. Vide *Molochitæ*.

Sabbaithæ. Afferunt aliqui Sabbaithas antiquos fuisse Chaldæos, qui à vera religione declinantes, & ab ipso principio, lumine naturæ noto, deficientes, quo docemur unum tantùm esse, & colere Deum, solem, & cetera astra tanquam Deos colebant. De Religione Sabbaitharum disertationem scripsit P. Angelus à S. Joseph Carmelita.

Sadducaei. Sadducæorum Hæresis una est earum, quæ quondam viguit inter Judæos. A Sadoch Sacerdote appellationem mutuatos esse, sunt qui asserant. Alii dicunt sic nuncupatos, quia ceteris sanctiores æstimari volebant, *Sadoch* enim, sanctum significat. In omnibus sentiebant cum Samaritis, excepto cultu, quem isti Deo dicabant in monte Garizim: sed præterea nullum dari Angelum, aut spiritum blaterantes, neque resurrectionem expectabant, neque animam humanam credebant immortalem.

Samaritani. Samaritanorum secta etiam vigebat inter Judæos; quanquam illi Judæi genere non fuerint, sed Chaldæi, ex urbe Chus, undè Cuthæi dicti; divisi semper à Judæis, nec templum, nec sacrificia, nec cæremonias cum illis communes habebant. Quinque tantùm Moysis libros acceptantes, reliquum Scripturæ sacræ rejiciebant. In plures sectas ad invicem distincti Samaritæ, alii fuerunt dicti Esseni, alii Sebuęi, alii Gortheni, alii Dosithæi. Judæorum hæreses non statim post Christum omnes fuerunt extinctæ, sed aliæ subitò repressæ, aliæ etiam immutatæ. Samaritarum secta pervenit usque ad Justiniani tempora, sub quo Imperatore Samaritæ audaciores facti, constituto sibi Rege, Palestinæ Ecclesiam diù vexarunt, sępè ab Imperatoribus compressi, nihilominùs repullularunt; ibique ad rem notandum, quòd Judæorum hæreses potiùs mutatę sunt, quam extinctę: nam complures ex illarum sectatoribus pertęsi Judęorum infamię, & gloriam Christianorum ęmulantes, Christianis adhęserunt, sed ita tamen ut priores errores magna ex parte retinuerint: hujusmodi fuerunt Samaritę, qui eò quòd in Palestinà tumultuarent, tempore Justiniani Imperatoris, sacras exturbantes imagines, ab Imperatore fuerunt compressi. Quantum colligere liquet ab opere, cui titulus *Bibliotheca Orientalis*, adhuc in præsens sunt in Oriente, qui Samaritanorum sectam profitentur, sequentibus infecti erroribus, prout refert Philastrius.

1. Negant futurum Judicium. Reprobat. verbo *Borboriani*.

2. Negant futuram resurrectionem, Reprob. verbo *Basilidiani*.

3. Non credunt in Christum Dei Filium in Lege, & Prophetis nuntiatum. Reprob. verbo *Judæi*.

4. Negant hominem habere animam immortalem. R. verbo *Arabes*.

5. Solùm in hoc corpore vivendum esse putantes, resurrectionem futuram in sola filiorum procreatione reponunt.

Sebuaei. Samaritarum hæresis apud Judæos in plures sectas erat divisa, ut diximus: earum unam constituebant Sebuæi, qui in hoc uno ab aliis dissentiebant, quòd transponerent tempora solemnium festivitatum.

Serpenticolae. Viguit aliquando hæc secta inter Judæos regnante Ezechia, qui eandem sectam dissipavit; sic dicti sunt

sunt adoratores serpentis aenei, quem Moyses Dei jussu erexerat in deserto.

Tophetitae, ab arà, quam Tophet (quę vox interpretatur *tymphanum*) nominabant, quidam Idololatrę Judęi sunt nuncupati. Hanc aram in valle filiorum Ennon collocare consueti sub alicujus Idoli nomine, super eam filios suos, & filias dœmoniis immolabant.

XVII. Judaeo-Christiani, [ex Rescio) vocantur illi sectarii, qui charactere baptismi initiati, nihilominùs Judęorum profitentur errores: Isti ad peculiarem sectam non spectant, sed per multas vagantur. In Hollandià circà medium seculi decimi septimi, quidam Sectarii iterum suscitare tentaverunt hanc sectam, quę *Hebraeorum secta* nuncupabatur, sed statim à Magistratu cum suis fautoribus fuit proscripta. Judęorum mores, & leges cum Christianorum ritibus, & pręceptis simul contexere sępè attentarunt, etiam primitivę Ecclesię temporibus plures hęretici, quorum insanias in hoc opere referimus, & refellimus.

XVI. Judaeo-Trinitarii. Orti sunt anno 1584. à Daniele Bielenstri, qui cum priùs esset Ebionista, & ab ipsis ad Samosatenos defecisset, Judęo-Trinitarius est nuncupatus.

1. Dixit Christum esse purum hominem, mox negavit esse natum, sed nasciturum. Reprob. quo ad primum, verbo *Artemon*, quo ad secundum, verbo *Judai*.

2. Docuit plures Judęorum cęremonias servandas excepta circumcisione, cujus pręceptum non literaliter, sed spiritualiter intelligendum esse asserebat. Reprob. quo ad primum ex iis, quę dicta sunt contrà *Cerinthum*, & verbo *Graci*. Pręceptum autem circumcisionis tempore legis Judaicę litteraliter fuisse acceptum, & servatum, satis constat ex sacra Scriptura.

3. Dixit abstinendum esse à sanguine, & suffocato, non vero à fornicatione. Reprob. verbo *Graci*, contrà quos probatum est non esse peccatum comedere de suffocato. Fornicationem autem esse peccatum, ostensum est contrà *Florinum*.

XVI. Judocus Welsius Batavus, vir sufficienti doctrina imbutus, assumptà supra vires provincià interpretandi sacram Scripturam, Coloniæ Agrippinæ in hæresim labitur: Ecclesiam invisibilem esse autumans, in carcerem conjectus, enthusiasticas visiones est meditatus, & de familiari sibi genio cœpit gloriari, quapropter in exilium pulsus est: aliquando cum Calvino disputationem habuit de libero arbitrio: & de causà Sacramentaria cum aliis ministris disputans, tanquàm Zuinglianus rejectus fuit: *Ex Lavatero in hist. controv.*

IV. Julianus Apostata. Vixit circà medium seculi quarti; Imperium adeptus, Idololatriam, quantùm potuit, restituere curavit. Arianis, aliisque hæreticis ab exilio revocatis, Catholicos crudeliter exagitans, dirutis sacris templis, libros Christianorum irrisit, damnavit; aggressus etiam suis impudentissimis scriptis fidem Catholicam oppugnare; tandem in bello Persico ex inflicto vulnere desperatus decessit. Ex Baronio.

V. Julianus Capuanus, vir aeri ingenio, in Divinis scripturis eruditus, factus Episcopus Capuanus, tempore famis cum omnia in eleemosynam erogasset, hac sua miseratione plures in suam devotionem perduxit: ex quo factum est, ut eum ipse Pelagii dogma profiteretur, facilius sectatores habuerit. Scripsit contrà eum S. Augustinus Hypognosticon in sex libros divisum. Vixit initio seculi quinti. Ejus errores verbo *Pelagius* confutantur.

VI. Julianus Halicarnassæus, Episcopus, Justini edicto è sua sede pulsus, quià Concilium Chalcedonense recipere renuebat, Alexandriam se recepit. Interim mota quæstione de corruptibili, & incorruptibili, Severus asserebat corpus Christi esse corruptibile, Julianus verò esse incorruptibile, & suam erroneam quæstionem scriptis stabilire curavit. Vide *Gajanita*, & *Aphtartodicita*. Ex Leontio de sectis.

XVI. Justificatorii, sunt hæretici

ex Lutheri secta progeniti, qui justificationem nostram nihil aliud esse asserunt, quam peccatorum remissionem, quasi ad justificationem satis esset exuere veterem hominem, & non opus esset novum induere, scilicet in justitià, & æquitate ambulare; certè ad justificationem non tantùm opus est mori peccato; sed vivendum est Deo. Justificatorii autem in tot sunt sectas divisi, quot sunt textus Scripturæ, in quibus de justificatione fit mentio: quot enim sunt hujusmodi textus Scripturæ, tot sunt diversæ interpretationes erroneæ in materia justificationis, à diversis hæreticis inventæ: sunt autem notabiliores sequentes:

1. Ex illis verbis ad Rom. 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam*, colligunt hæretici duo justificationis genera, unum ex verbo *Credidit*, & dicunt, fidem esse nostram justitiam, quam fidem, ut plurimum, à fiducia non distinguunt.

2. Aliud ex verbo *Reputatum*, & dicunt Deum justitiam suam nobis imputare, & nos pro justis habere, licèt tales non simus, & hanc esse justitiam nostram.

3. Ex illis verbis ad Rom. 5. 9. *Justificati in sanguine ipsius*; colligunt quòd solus Christi sanguis sit nostra justitia.

4. Ex illis verbis ad Rom. 19. *Ità per unius obedientiam justi constituentur multi*, docent quòd obedientia Christi est justitia nostra.

5. Ex illis verbis ad Rom. 4. 25. *Resurrexit propter justificationem nostram*, deducunt quòd resurrectio Christi est justitia nostra.

6. Ex illis verbis Joann. 10. 12. *Spiritus sanctus arguet mundum de justitia, quia vado ad Patrem*, colligunt quòd Christi transitus ad Patrem est justitia.

7. Alii gratiam, & misericordiam Dei dicunt esse justitiam nostram.

8. Docent alii justificationem nostram consistere in sola remissione peccatorum.

9. Ex eo quod legitur: *Livore ejus sanati sumus*, volunt alii vulnera Christi esse justitiam nostram.

10. Asserunt alii, quòd justitia nostra sit opus Dei, quod Deus in Christo operatur.

11. Alii in hoc reponunt justificationem nostram, quod nos Deus ad æternam vitam recipiat.

12. Alii justitiam nostram dicunt esse solum meritum Christi.

13. Alii dicunt, quod essentialis justitia Dei, creat in nobis aliam novam justitiam.

Reprobantur omnes præfati Hæreticorum, & si qui alii sunt eorum dicendi modi in materià justificationis, ostendendo primò, quod fides justificans, nempè eo modo, quo fidem justificare dicimus nos Catholici, scilicet dispositivè, & quæ per charitatem formatur, & formata fides dicitur: hæc inquam fides, non est fiducia in sensu Hæreticorum, sed assensus in sensu Catholicorum: nec sola fides est causa dispositiva ad justificationem, sed etiam actus timoris, spei, dilectionis, pœnitentię, propositi suscipiendi Sacramenta, & vitę emendandę. sic. Fides justificans illa est, ex quà justus vivit; sed fides ex qua justus vivit, secundum Apostolum est assensus; ergo &c. minor patet ex pluribus ejusdem Apostoli testimoniis, sed prçcipuè ex definitione fidei, quam idem Apostolus tradit: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. Ex qua definitione patet quod vera fides justificans illa est, quę inclinat intellectum nostrum ad prębendum assensum iis, quę non intelligit, & qua ille credit. Tum quia justificatio non sequitur ad fidem, prout fides significat fiduciam, seu confidentiam in Divina misericordia de remissione peccatorum obtinendà, nisi fiducia ista oriatur ex verà fide, scilicet prout fides dicit assensum rebus revelatis; hæc enim illa est, quam requirunt Christus, & ejus Apostoli; ut passim in novo Testamento; ergo hæc illa est, quæ justificat. Insuper Christus docens quæ sit fides, per quam denominamur fideles, asserit esse fidem prout est assensus: quod constat ex illis verbis Joan. 14.

Hæc

Hæc scripta sunt ut credatis, quia Jesus Christus est Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus. Fides ergo, per quam præstamus assensum mysteriis revelatis illa est, per quam vitam habemus: indè falsum est etiam quod asserunt Hæretici, fidem esse notitiam, sive intelligentiam mysteriorum, quia mysteriorum fidei intelligentia V. G. Trinitatis, Incarnationis, haberi nequit pro hoc statu; intelligere enim est cognoscere *quodquid* est rei, ut monent Philosophi. Nos per fidem credimus res esse: quid sint, reservatur cognoscendum in patriâ. Ergo si fides justificans esset intelligentia mysteriorum in sensu Hæreticorum, & præsertim Calvini, cum hæc pro hoc statu haberi nequeat, neque posset aliquis per fidem justificari. Tum quia Christus, quando nos hortatur ad fidem, non hortatur ad intelligendum, sed ad credendum, & ad captivandum intellectum nostrum in obsequium veritatis revelatæ, quam pro hoc statu videre non possumus, aut intelligere, undè ait: *Beati qui non viderunt, & crediderunt*. Tum quia intelligentia mysteriorum quoquo modo in hac vita haberi potest, non est fides, sed est donum distinctum à fide, imò donum intelligentiæ prærequirit fidem. Fidei autem primarium objectum esse nequit misericordia Dei specialis, ut vult Kemnitius, quia in sacris litteris nunquam pro objecto fidei assignatur misericordia, sed assignantur omnia mysteria fidei, quibus ratione primæ veritatis revelantis præbemus assensum, ergo fides justificans est assensus mysteriis fidei, prout à Deo revelatis, & consequenter mysteria revelata erunt objectum creditum, seu materiale fidei justificantis, formale autem Divinum testimonium. Tum quia, si ad hoc, ut quis justificetur, sufficeret fiducia de remissione peccatorum, aut aliquid aliud ex iis, quæ nomine fidei ab hæreticis intelliguntur, jam superflua essent Sacramenta, orationes, & ea omnia, quæ ad salutem nostram Deus instituit. Quoniam verò illam fiduciam, de quà nuper locuti sumus, videntur Novatores ponere pro formà ipsà justificante, juvat eos hac ratione impetere. Illa fiducia, quam esse fidem justificantem volunt hæretici, vel est fiducia obtinendæ veniæ, vel veniæ obtentæ: si primum, talis fiducia non justificat, cum respiciat veniam ut futuram: si secundum, ergo neque talis fiducia justificat, cum jam supponat justificationem factam; ergo fides justificans esse nequit fiducia, prout sentiunt Hæretici.

Jam verò, quòd non sola fides, sed etiam actus timoris, spei, dilectionis, pœnitentiæ, propositi suscipiendi Sacramenta, & vitæ emendandæ, sint causæ dispositivæ ad justificationem, probatur, quia Scriptura, & Patres vim justificandi non modò fidei, sed etiam aliis virtutibus enumeratis tribuunt, & quidem de spe, ait S. Bernardus, serm 9. in Psalm. Qui habitat: *Planè non derelinquit sperantes inse. Adjuvabit eos ait, & eruet à peccatoribus, & salvabit eos; quare? quibus meritis? audi quod sequitur, quia speraverunt in eo. Dulcis causa, efficax attamen, attamen irrefragabilis, nimirùm hæc est justitia*; in quibus verbis adnexa est Scripturæ auctoritas desumpta ex Psalm.36. & Proverb 38. legitur: *Qui sperat in Domino, sanabitur*. Justificat etiam timor, de quo legimus Proverb. 18. *Timor Domini fons vitæ*. Ecclef. 1. *Timor Domini expellit peccatum*. Quòd autem Pœnitentia, propositum suscipiendi Sacramenta, & vitæ emendandæ, ac vera contritio concurrant ad justificationem adulti, qui sit lapsus, tot tantaque sunt manifesta Scripturæ testimonia, ut superfluum sit in illis rescribendis immorari. Constat ergo ex auctoritate Scripturæ, & PP. non solam fidem justificare, ut passim evincunt Accatholici, qui res polemicas prosequuti sunt. Nos autem aliquid adhuc subnectimus. Probatur ergo. Si sola fides à cæteris virtutibus separata posset justificare, posset etiam justificare cum actualibus vitiis virtutibus oppositis; sed hoc est absurdum dicere: quis enim dicat justum illum qui fidem habet, & simul

mul & semel habet intentionem committendi peccata gravissima V. G. furta, homicidia, & similia? ergo non potest fides sola justificare; ergo nec ex se solà sufficit ad justificandum. Præterea nullum est invenire verbum Dei expressum, (cui se omninò committere adversarii jactant) per quod valeant adversarii ostendere, solam fidem justificare; cum enim de fide justificante agitur in sacris paginis, nunquam invenitur illa particula *sola*, nempè quòd sola fides justificet; nec unquam Deus promisit, quòd ad justificationem requiratur solùm meritum fidei sinè operibus; imò ex Scriptururà apertè colligitur Deum ad justificationem impii exigere bona opera: hinc legitur Luc. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis omnes similiter peribitis*; ideoque *Fides sinè operibus mortua est*.

Ad majorem tam arduæ difficultatis notitiam, & explanationem, ostendendum hic adhuc est contrà Justificatorios, justificationem impii fieri per justitiam inhærentem, non verò per imputativam, ut volunt Justificatorii, qui dicunt, justificationem nostram in hoc consistere, quòd homo per fidem sibi certò persuadeat, justitiam Christi ad se pertinere, ratione cujus persuasionis peccata à Deo non imputentur, & homo censeri debeat justificatus, negantes de consequenti omnem justitiam inhærentem contrà sanum Ecclesiæ sensum, quæ semper asseruit, per infusionem gratiæ justificantis, peccatorem justificari. Ostenditur igitur ex epist. ad Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per Redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*; ex quo textu patet, nos justificari per gratiam ipsius Dei nobis infusam, & inhærentem: sed adhuc clariùs patet ex illo, quod habetur ad Rom. 5. gratiam esse donum nobis infusum; legitur autem: *Multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes*; ex quo patet, gratiam ibi non significare beneplacitum, quandoquidem clariùs exprimitur nomine donationis. Tum quia propriè non dicitur, quòd quis accipiat alterius beneplacitum, sed, quòd accipiat aliquid ex alterius beneplacito. Adde, quòd gratia, per quam justificamur, sæpè in sac. pagin. exprimitur, quòd sit diffusa, ut patet ad Rom. 5. ad Titum 3. ergo verè justificatio nostra consistit formaliter in justitià inhærente, ergo qui justificatur, verè sit justus per acquisitionem justitiæ inhærentis, ergo justificari non significat simpliciter pronunciari justum, ut volunt hæretici, dicentes, quòd justificatio est nomen forense, sicut est condemnatio; nam ea est differentia inter pronuntiationes verborum humanorum, à Divinis, quòd scilicet Dei pronuntiatio est effectiva; hominum autem affectiva tantùm. Undè Deus justum declarans, facit: homo autem afficit externè quidem, & nihil in re ponens, nisi moraliter. Constat ergo justificationem nostram consistere in justitia inhærente, ex quo sequitur fidem non esse integram formalem causam justificationis, quasi sola fides justificet, quod ulteriùs patet ex Apost. scribente ad Galathas. *Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per dilectionem operatur*: frustra autem addidisset Apostolus illa verba: *Quæ per dilectionem operatur*, quando sola fides justificaret. Corroboratur ex primà ad Corinth. *Si habuero omnem fidem, itaut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Et Jacob. ep. 2. habetur: *Fides sinè operibus mortua est*; ergo sola fides non justificat.

XVI. Justus Jonas. Lutheri coævus fuit, eumque ille Justum Jonam vocandum curavit. Dubium est, an hic sit ille Jonas, qui Anomeorum hæresim iterùm excitavit seculo decimosexto. Ex Gualterio.

XVI. Juvellus. Pseudo-Episcopus Salisburiensis plurium veritatum Catholicarum impugnator, à Thoma Stapletono strenuè, & eruditè convincitur post medium seculi decimi sexti.

K

XVI.  Emnitius Martinus, (ex Melchiore Adam. in vita Theolog. Germ.) natione Germanus Melanctonis discipulus, in Marchionatu Brandeburgensi ortus anno 1522. licet à parentibus ignobilibus, & pauperibus genitus, ab ipsis tamen, qui in Kemnitio puero intellectus perspicaciam compererant, peculiari sedulitate educatus, studiis fuit addictus, in quibus non modicum fecit progressum. In Mathematicis, & Astronomicis elucubrationibus etiam proficiens, sed potissimùm in Theologica scientia, quam juxtà Protestantium falsa principia didicerat; quapropter principibus Religione Protestantibus valdè acceptus, ab ipsis honoribus fuit cumulatus, decessitque anno 1586. ætatis 64. cum scripsisset tractatum de Armonia Euangelica, & alium contrà Concilium Tridentinum. Protestantium errores in suis scriptis totis viribus promovere studuit: validiora Kemnitii argumenta ab Emo Cardinali Bellarminio enodantur. Potiores ejus errores, qui passim in hoc opere reprobantur, sunt sequentes:

1. Dixit remedium pro peccatis nihil aliud esse, quàm memoria nudi baptismi, suscepti cum fide remissionis peccatorum.

2. Pro Sacramentorum validitate superfluam esse ministri intentionem. Ubi notandum propositionem istam, Lutheri sententiam continere, de validitate Sacramenti, etiam per jocum, & scenicè operati. Nam quod attinet ad intentionem ministri seriò operantis, & intendentis facere quòd facit Ecclesia, an interna (ut ajunt) debeat esse, an verò sufficiat illa, quam externam appellare solent, controversia est intèr Catholicos. Vidend. Juvenin. de Sacramentis dissert. 1. q. 5. cap. 2., & Vincentius Contenson in Theolog. mentis & cordis l. 11. part. 1. dissert. 2. ubi eruditissimè rem pertract t.

3. Missam esse summam abominationem à Romanis Presbyteris adinventam.

4. Nullum hominem posse dispensare à communione sub utraque specie.

5. Felicem IV. Summum Pontificem esse extremæ Unctionis inventorem.

6. Non valere satisfactionem pro remittenda peccati pœna.

7. Impugnavit Indulgentias, Theologorum Scholasticorum infensissimus hostis, quotquot ipsorum libros invenire poterat, publico tradebat rogo.

8. Præsertim impugnat Kemnitius traditiones, & verbum Dei non scriptum: asserens Apostolos mandatum habuisse à Christo ut suam doctrinam scriberent. Nos multa ad Apostolorum traditiones referre, quæ ab aliis auctoribus multò posterioribus instituta, & profecta esse ex nostris Scriptoribus ostendi potest, idque undecim confirmat exemplis, nempe. 1. Scriptores Catholici adnotant à quibus Romanis Pontificibus consecrationi Calicis addita sint verba. 2. Canoni Missæ factæ sunt additiones. 3. Alexander I. aquam vino admiscendam in Missæ celebratione statuit; idem aquam & salem benedictum instituit. 4. Telesphorus jejunium Quadragesimale invexit. 5. Hyginius Chrisma invenit. 6. Callistus IV. jejuniorum tempora. 7. Silvester Confirmationem puerorum. 8. Felix Altarium consecrationem. 9. Felix IV. ut infirmi antè obitum inungantur. 10. Siricius memoriam, & invocationem Sanctorum Missæ addidit. 11. Pelagius memorias mortuorum anniversarias Missæ adjecit. Quæ omnia cum abundè confutet Bellarminus, de verbo Dei non scripto lib. 4. cap. 3. ad eundem lectorem remittimus.

9. Christi humanitatis ubiquitatem propugnat, & in aliquibus locis apertè asserit, etsi in aliis minùs perferat.

10. Tridentini decretum de Vulgata editione legendà ideò emanatum asserit, quia illa ad Pontificia dogmata fuerit transformata.

Kautius. Vide *Jacobus Kautius*.

Knoxus. Vide *Joannes Knoxus*.

La-

L



ACRYMANTES. Vide *Ejulantes*.

XVI. LAICOCEPHALI. Sectarii ad Anglicanum schisma pertinentes, dicti sunt Laicocephali, hujusque sectæ præcipui patroni fuerunt Sampson, & Morisonus, de quibus sub proprio nomine agemus. Asserebant isti Regem Angliæ esse immediatè post Christum caput Ecclesiæ tam in temporalibus, quàm in spiritualibus; & sub pœna carceris, bonorumque confiscatione coacti fuerunt Anglicani, tantum errorem subscribere, cadente seculo decimo quinto; quicumque subscribere renuentes, acriter vexati fuerunt. Instauratus deindè fuit hic error in Synodo Londinensi anno 1603., & 1604.

VII. LAMPETIANI. A Lampetio quodam Hæresiarcha nomen sortiti sunt seculo septimo. Undè emendandus Prateolus, qui ait, incertum esse à quo Lampetiani ortum habuerint, eosque cum Wicleffistis confundit, qui pluribus seculis posteriores emerserunt. De his agit S. Joannes Damascenus lib. de hæres.

1. Dicebat Lampetius licere iis, qui vitam Monachalem instituunt pro arbitrio vestire, & vivendi rationem tenere: quem errorem sustinere conabatur dicens, Christianum nihil coactè, sed omnia liberè facere debere. Rep. Nam est de essentia vitæ Monachalis obedientia Superiori, & regulæ, cui Monachalem vitam instituens, se spontè submittit, privans se propria voluntate: ergo qui vitam Monachalem instituit, non potest pro arbitrio vestire, & vivendi rationem tenere: Neque sequitur Monachum obedientem Superiori coactè facere, siquidem spontè in professione statuit obedire regulæ, & Superiorum mandatis. Ex quo deducitur, ut benè probant Ascetici, Monachorum actiones, licet ex obedientià factas, liberas esse in voto, scilicèt ratione voti, cui Monachus se spontè ligavit: libera deindè esse, sicut opera præcepta à Deo libera sunt; quatenùs possunt non fieri, etsi tunc peccetur. Vide quæ dicta sunt verbo *Apostolici*, ex tertia specie.

2. Vota omnia damnabat. R. verbo *Confessio-Augustana*, & *Dulcinus*.

3. Dicebat, non esse obsistendum naturalibus perturbationibus. Rep. Quia naturales perturbationes oriuntur à natura animali, quatenùs à subjectione rationis deficit: Atqui tenemur operari secundùm rationem: ergo obsistendum est motibus, qui rationem perturbant.

4. In pluribus etiam sentiebat cum Eunomianis.

XVI. LAMBERTUS DANÆUS, (ex Melch. Adam) patrià Aurelianensis, ibidem studiis operam dedit sub præceptore, qui propter Calvinianam hæresim anno 1559. suspensus fuit, atque combustus. Fugà sibi consulit Danæus, videns quæ pœna esset præceptori suo inflicta: sed nihilominùs in Calviniana perfidia persistens, Genevæ se recepit, ubi Minister, & Doctor fuit nuncupatus. Postmodùm in Urbe Leidensi Theologiam, sivè potiùs Calvinianam hæresim publicè docuit, & Gandavum transmeavit, sed indè expulsus ann. 1596. moritur. Vir planè multæ eruditionis, si Calvino non adhæsisset, undè plura scripsit Calvinianis referta erroribus, intèr quos asseruit orationem illam, quam dicimus in Litaniis: *Sancta Trinitas unus Deus miserere nobis*, esse ineptam, insanam, à Patribus malè inventam, atque periculosam, cum admittat in Deo generationem, quæ puritati, & sanctitati repugnat. Repr. Nam per hanc orationem juxtà veram fidem invocamus Deum unum, & Trinum, in quo veneramur generationem æternam Verbi, quæ consona est sanctitati, & fœcunditati æterni Patris, & sinè qua infinitè perfectus non esset, cum infinitæ fœcunditatis ratio tunc ei deficeret, undè bonitatis infinitas indè etiam nobis nota est, quòd infinitam necessariam sui communicationem ex Divina

vina

vina generatione agnoscamus. Eandem significavit Isaias 66. vers. 9. cum ex persona æterni Patris ait. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero?* Tantum abest, quòd puritati, & sanctitati repugnet.

XVI. LASCANI. Ortum habuerunt à Joanne Lascano, de quo actum sub proprio nomine anno 1550., sic dicti sunt qui præfati Joannis sententiam sequebantur circà Sacramentum Eucharistiæ. Referebat Lasco pronomen *hoc* de verbo consecrationis, non ad panem, sed ad totius cœnæ actionem, ac si Christus per verba consecrationis: *Hoc est Corpus meum*, dicere voluisset, panem accipere, benedicere, frangere, distribuere, manducare, hoc totum est corpus meum. Ex se patet, quàm erronea, imò & ridicula sit præfata interpretatio verborum consecrationis facta à Lasco; quis enim sani sensus rationem corporis constituere valet in actione transeunte, qualis est benedicere, frangere, distribuere, manducare. Rescius asserit quòd Lascani sic explicabant verba cœnæ: *Hæc est societas nobis gratuitò delata, jus, & usus illius in meo corpore, hæc est cœna instituta forma, cæremonia, ipsaque externa actio: hæc est visibilis extrema voluntatis meæ contestatio*. Erronea non minùs quàm superior est præsens interpretatio, in quà recurrit suprà indicata difficultas; sed hæreticorum omnium interpretationes erroneæ circà verba consecrationis, reprobantur ex iis, quæ dicta sunt ad probandam realem existentiam corporis Christi in Eucharistià contrà *Bucceruin*, *Almaricum*, *Anabaptistas &c.*

* XVII. LAUNOIUS Joannes, quem spurium fuisse aliqui asserunt, Parisiis ob suum mentis acumen doctoratus laureà insignitus, multa edidit opera, sed pluribì à sanà doctrinà declinantia: inter hæc duo potissimum recensentur: unum inscriptum. *Regia in matrimonium potestas*: aliud cui titulus. *Veneranda Romanæ Ecclesiæ circa simoniam traditio*. His in operibus Launoius Calvinismum fętet, & Luteranismum. Natalis Alexander utriusque operis errores abundè confutavit.

XVIII. LEGNI. Silvester Velliternus unà cum filio, & duobus aliis, quos Atheismum profiteri docuerat, Romæ in Templo Beatæ Mariæ supra Minervam abjuravit anno 1719. coram Cardinalibus, magno populi concursu ejus impietatem, dum ejusdem processus publicè legebatur, exprobante, & perpetuo carceri Clementis XI., & sacræ Congregationis clementià fuit condemnatus.

V. LEONTIUS (ex S. Basilio in vita S. Sabæ) Pseudo-Monachus in Monasterio S. Sabæ in Palestina, unà simul cum Nonno Pseudo-Monacho sequentes, articulos, ex libris Origenis extractos, toti Orienti credendos proposuit, qui proindè anathematizati fuerunt in Concil. Constantinopolitano secundo.

1. Anima nostra, antequàm uniretur corpori, erat in cælo, in quo gravitèr deliquit. R. verbo *Apocarita*. *Heretici de Barulo*. Tum quia si fuisset in cælo, & gravitèr deliquisset, cum nullum delictum possit imputari, nisi voluntariè commissum, Anima unita corpori deberet aliquam habere reminiscentiam de hujusmodi delictis voluntariè commissis; sed nemo est, qui habeat reminiscentiam de cælo, in quo fuerit, & deliquerit: ergo quod asserit Leontius purum est figmentum, sicuti purum est figmentum, ut patet, asserere cum Leontio, quòd.

2. Cælum, Sol, Luna, & reliqua superiora animata erant, & rationales virtutes.

3. Corpora nostra in resurrectione sphæricam acquirent figuram.

4. Impii dæmones reversuri sunt ad eum statum, in quo fuerunt creati.

5. Christus iterùm passioni se subjiciet, & Cruci pro salute dæmonum.

6. Tormenta Inferni non erunt ęterna. Quę omnia asserta cum non modò nullo fulciantur Scripturę testimonio, sed nec vel levi fundamento apparentis rationis innitantur, non nisi Platonico-

rum commentis adhærent, ex quibus tum Origenes, cum alii ejusmodi errores hauserunt.

IV. Leontius Antiochenus. Fuit Presbyter, discipulus S. Luciani, sed à magistro suo degenerans, in persecutione Diocletiani sacrificavit Idolis, & se ipsum castravit, quò liberè cum filiâ, quam inordinatè amabat, nomine Eustolia, dormiret, cum quâ inhabitare, utpotè Presbyter prohibitus fuerat; quapropter ob hoc facinus à Presbyterio depositus, transiit ad Arianos, à quibus electus fuit in Pseudo-Synodo Antiochena, ab Arianis celebratâ anno 349., ejusdem civitatis Episcopus, Stephano legitimo Patriarcha ab Arianis expulso. Ex Baron. ann. 311., & seq.

XV. Laurentius Valla (de quo Spond. anno 1447.) Romanus, homo virulentissimæ linguæ, quasdam propositiones hæreticas Neapoli asseruit, proindè in carcerem trusus, & ab Inquisitore pro hæretico damnatus, beneficio Alphonsi Regis pœnam ignis evasit. Ejuratis tamen publicè propositionibus, virgis per claustra Conventus Prædicatorum, manibus revinctis cæsus, emendatus dimittitur.

1. Erravit circà Sanctissimam Trinitatem.

2. Circà liberum arbitrium.

3. Circà virginitatem Sanctimonialium.

4. Damnare ausus est varios Ecclesiæ Doctores, Augustinum, Hieronymum, Boetium, & plures alios; blasphemans insuper sibi etiam adversùs Christum spicula reservasse, insani certè capitis fœtus.

Leo Isaurus. Vide *Iconoclastæ*.

XII. Leonistæ. Iidem sunt ac Valdenses, sic dicti ab Urbe Lugduno, vulgari sermone *Lion*, ab aliis nuncupata *Leon*; In hac siquidem Urbe Valdenses potissimùm debacchabantur. Vide pauperes de Lugduno. Ex Spond. ann. 1195.

V. Leucius. Sectâ Manichæus multa confixit nomine Apostolorum, quòd etiam asserit Innocentius Papa Epistola 3. ad Exuperium; quæ omnia Gelasii censurâ confixa fuerunt. Ex S. August. de fide contrà Manich.

I. Levitici. Cum Nicolaitarum schola in plures fuerit sectas divisa, unaquæque secta peculiare sibi nomen assumpsit. Alii ergo ex Nicolaitis dicti sunt Levitici, quorum errores verbo *Gnostici* reprobantur. Ex S. Epiph. hæres. 25.

XI. Leo Acridanus, sic dictus, eò quòd Archiepiscopus Acridæ Bulgarorum esset Metropolitanus, unà cum Michaele Cærulario Patriarcha Constantinopolitano scripsit contrà Ecclesiam Latinam, cujus Epistola erroribus referta confutata fuit à Leone Papa IX., publicè etiam excommunicatus Constantinopoli à Legatis Apostolicæ Sedis.

1. Damnabat eos, qui in Azymo consecrabant. R. verbo *Cerinthus*, *Dosithæus*, *Græci*.

2. Negabat posse comedi suffocata. R. verbo *Græci*.

3. Dicebat in Quadragesimâ psallendum esse *Alleluja*. R. Quia cœremoniæ, & ritus ab Ecclesia instituti sunt servandi: se ùs si unicuique pro libito liceret ritus servare, aut instituere, non haberetur in Ecclesia uniformitas colendi Deum, quæ necessaria est ad servandam unitatem in Ecclesia, & ad evitandas scissiones: Proindè Ecclesia ritus instituit servandos à Fidelibus. Intèr hos ritus decrevit, nè in Quadragesimâ dicatur *Alleluja*, quia cum *Alleluja* sit vox lætitiæ, ab hac voce abstinendum videtur tempore quadragesimali, lugendis peccatis præcipuè destinato, in quo fit peculiaris memoria Passionis Dominicæ.

X. Leotardus, homo plebejus, natus in Galliâ in Diœcesi Cabilonensi, cum in agro solus aliquando somno depressus obdormisset, apum visione illum dirè exagitantium, à dæmone illusus, fatigatus exurgens, quasi ex præcepto Euangelico, dimisit uxorem, Ecclesiamque velut oraturus ingressus, Crucis, & Salvatoris imaginem contrivit: persuadens verò rusticis, hæc se ex Dei revelatione patrare, maximam traxit ad se vulgi partem, audens asserere, Pro-

Prophetas non semper bona loquutos fuisse; sed ab Episcopo convictus, desperatione adductus, in puteum se præcipitavit. Ex Bar. ann. 1000.

Docuit decimas non esse solvendas. R. verbo *Dulcinus*, *Apostolici*.

V. Leporius Presbyter apud Gallos circà annum 420. Pelagianæ hæresis sectator in Africa, per D. Augustinum emendatus, libellum pœnitentiæ ad omnes Episcopos Galliarum ex Africa misit. Sunt etiam qui asserunt Nestorianæ hæresis cultorem extitisse Leporium, cujus conversionem Cassianus adjuverit.

XI. Leutherius, Senonensis Archiepiscopus fuit auctor hæresis de Eucharistia, quam Berengarius postmodùm propagavit. Hunc hæreticum Rex Christianissimus redarguit, quòd eum Sacerdos communionem exhibens dicere soleret: *Corpus Domini nostri Jesu Christi sit tibi salus animæ, & corporis*, ipse Leutherius temerario, & polluto ore dicebat: *Si dignus es, accipe*: eum tamen nemo sit, qui verè dignum se reputare possit accipiendi corpus Christi: imò ille digniùs accedat, qui magis se indignum ex humilitate reputat. Ex Spond. ann. 1004.

III. Libellatici. Libellaticos vocat S. Cyprianus illos, qui Christum publicè negare erubescentes, privatìm id vel per se, vel per alios suos nomine faciebant, & à Magistratibus Libellos securitatis impetrabant, nè ampliùs inquirerentur, solutà pro hujusmodi dispensatione pecunià.

XVI. Liberi Fratres. Sic dicti (ex Lindano Dubit. dial. 2.) quia se à Principum, & Magistratuum subjectione liberos jactabant, secta sunt Antilutherani, & potissimùm Amstelodami circà medium seculi decimi sexti, duce quodam viro, qui ibidem ex arte filatoria victitabat, invaluerunt.

1. Omnia habent communia, etiam uxores. R. verbo *Adamitæ*.

2. Conjugia intèr fratres dicunt esse spiritualia. Repr. Ex ipsa definitione Matrimonii, definitur siquidem: Civilis contractus intèr marem, & fœminam ad individuam vitæ consuetudinem. Deindè in sacris literis non dicuntur conjuges esse unus spiritus, sed una caro. Quòd si significare velint potiorem esse in conjugatis mutuam fidem, & unionem affectuum in Deum, rectè dicent; sed non explicant; immò improbare videntur, ex errore præcedente, ex quo sequitur intelligibile non esse quid senserint Liberi Fratres, eum asseruerunt conjugia esse spiritualia.

3. Quidquid libet, sibi licere putant. Rep. Quia datà hac libertate, nulla ampliùs esset obedientia legibus, quà sublatà nonnisi cædes, latrocinia, & omne facinus esset reperire intèr homines, & brevi corrueret omne civile consortium, ad cujus subsistentiam non modò quod libet, semper licere non debet, sed etiam plura, quæ licent, non semper expediunt.

4. Se exemptos jactant à subjectione Magistratuum. R. verbo *Jacobus Præpositi*, *Anabaptistæ*, *Confœderati*, *Adamitæ*.

5. Post baptismum negant se peccare posse, & si peccare contingat, solam carnem peccare asserunt. Rep. Nam pro lapsis post baptismum instituit Christus Sacramentum pœnitentiæ, quod foret superfluum, si post baptismum homo peccare non posset. De facto hominem post baptismum sæpè peccare posse, constat ex eo quod dixit Christus Petro, ut dimitteret non modò usque septiès, sed usque septuagies septiès. Cum autem nullum peccatum sit, nisi voluntarium, certum est solam carnem peccare non posse; cæterùm etiam dicendum foret, quòd bruta peccarent. Vide verbo *Impeccabiles*, *Jovinianus*.

6. Ad tantam perfectionem jactant se pervenisse, ut nedum similes Deo, sed deificatos sese glorientur. Satis illos reprobant eorundem miseriæ, quas deificatos experiri non posse, manifestum est.

XVI. Libertini. Lindanus plures Libertinorum species recenset, de quibus agit Spondanus seculo decimosexto; certum est varias sectas, maximè in Hollandia, & Brabantia hoc sibi nomen

 usur-

usurpasse. Adeò improba, & à ratione dissona est Libertinorum secta, ut contrà Libertinos Calvinus ipse, quantumvis scelestissimus calamum acuerit, libro inscripto contrà Libertinos, sic dicti à Libertate, quam prædicant. Fuerunt Catabaptistarum proles, Phanaticum hominum genus, in quo revixerunt spiritu Lutherano Gnostici, & Valentiniani. Dicti sunt etiam Quintiniani, à quodam Quintino sartore Piccardo, qui pestiferos Libertinorum errores in Hollandià, & Brabantià disseminavit, affectus propter hæresim Tornaci extremo supplicio, cum suos priùs abjurasset errores. Dicti sunt Libertini, etiam Coppiani. Vide verbo *Coppinus*. Eorum errores potiùs insanorum capitum deliramenta sunt; nec mirandum si varios recensemus; quia alii hos, alii illos sectantur; in hoc uno consentientes, quod ad omnia absurda liberi esse velint.

1. Apostolos contemnentes S. Joannem Euangelistam juvenem stolidum, S. Matthæum fœneratorem, S. Paulum vas confractum, S. Petrum Christi abnegatorem, nominare ausi fuerunt.

2. Germanum sensum Scripturæ abhorrent, & Scripturas pro fabulà habent. Repr. verbo *Albanenses*, *Ambrosiani*.

3. Christus est illis Satan, virtus vitium, & è converso. Blasphemiæ istæ impugnatione non egent.

4. Omnia simulanda, & dissimulanda esse.

5. Approbant omne genus vivendi latronum, meretricum. Quæ omnia damnat ipsa rationalis natura.

6. Nullum dicunt esse peccatum, nisi opinionem eorum, qui se peccare credunt. Reprob. nam nomine peccati intelligitur quidquid contrà legem, vel contrà rationis dictamen imprudenter committitur, vel omittitur; ergo peccatum consistere nequit in solà opinione eorum, qui se peccare credunt. Tum quia si peccatum consisteret in solà opinione, sequeretur per eundem actum, per quem quis salvatur, alium damnari. Vide verbo *Carpocras*.

7. Infernum dicunt esse timorem Dei, quo conscientia convincitur. Rep. verbo *Almaricus*. Tum quia timor Dei, quo conscientia convincitur, sæpè commendatur in sac. pag. quippè qui hominem avertit à malo, & inducit ad bonum, ubi observa aliud esse conscientiam convinci, aliud torqueri: primum salubre esse posse: secundum inter alia mala, ad inferni mala pertinere in iniquorum pœnam. R. etiam quia inferni existentia evidenter probatur ex sacrà Scriptura, esse scilicet locum tormentorum, in quo detinentur peccatores; ergo esse nequit timor Dei, quo conscientia convincitur.

8. Paradisum dicunt esse conscientiam timorem Divini judicii contemnentem. Reprob. ex sacra Scriptura, ubi Paradisum locum esse determinatum pro glorificatione Justorum asseritur; quare Christus Latroni in cruce dixit: *Hodie mecum eris in Paradiso*. Tum quia corona vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se, non est contemptus Divini judicii, cum è contrario Divinum judicium contemnentes à Paradiso expellantur. Tum quia S. Paulus, qui cupiebat dissolvi, & esse cum Christo, idest frui mercede, quam Deus præparavit diligentibus se, satis expressit ibi, & pluribus aliis in locis, Paradisum esse locum gaudiorum in cælestibus regnis, ubi Sanctorum habitatio est, & in æternum requies eorum. Tum quia Christus in die Judicii dicturus est electis: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum &c.* sed hoc Regnum nemo possidet in hoc mundo, ergo Paradisus esse nequit contemptus Divini judicii; qui contemptus potiùs est superbi animi gravissimum peccatum.

9. Angelos, & animas nostras nihil esse affirmant. Reprob. quoad existentiam Angelorum. Verbo *Dositheus*, quo ad existentiam animarum reprobantur ex sac. pag. ubi sæpè de anima hominis fit mentio, præcipuè ex illo Genes. 2. *Et factus est homo in animam viventem*. Tum quia si in homine non esset anima rationalis, jam homo non esset præstantior brutis, nisi in quantùm data paritate, leo est præstantior equo. Tum quia cum

cum homo spiritualia attingat, dati debet in homine potentia spiritualis, scilicet anima, per quam spiritualia valeat attingere. Tandem, quia ratione animæ dicitur homo factus ad imaginem, & similitudinem Dei: hoc autem esse non posset, nisi aliquid magnum anima esset.

10. Christum esse Redemptorem ex solo titulo, quòd in eo figuratum est nostræ salutis mysterium. Repr. nam in Libertinorum sensu etiam Abel justus occisus, & Joseph venditus, in quibus figuratus est Christus Redemptor, dicendi quoque essent nostri redemptores. Tum quia Christus non figuravit, sed verè operatus est redemptionem nostram effusione sui Sanguinis, quod sæpè proclamant sacræ paginæ; ergo verè, & realiter est noster Redemptor, non figurativè quasi repræsentans ea, quæ facere debemus ad salutem. Cæterùm etiam picturæ sacræ, in quibus repræsentantur opera salutis nostræ, redemptrices appellari deberent.

11. Negant Christum verè mortuum fuisse in cruce. Rep. verbo *Agareni*.

12. Deum mali auctorem prædicant. Repr. quia ratio Deitatis includit omne bonum, & excludit omne malum; quapropter Propheta dicit: ***Qui diligitis Dominum, odite malum***. Deus siquidem odio habet omnes operantes iniquitatem; ergo Deus esse nequit auctor mali.

13. Regenerationem spiritualem in eo collocant, quòd homo nullo conscientiæ remorsu, nullo Dei, illiusque judicii timore tangatur. Repr. Quia qui spiritualiter regenerantur, transeunt à statu culpæ ad statum gratiæ, qui autem est in statu gratiæ, deflet mala præterita, Deum timet, ejusque judicium: undè Propheta dicit: ***Timete Dominum omnes Sancti ejus***.

14. Omnia sinè ullà exceptione homini licere. Repr. Quia si omnia omnibus licerent, superfluum esset non modò Deum, sed etiam Magistratus leges promulgare, quibus obedientiam præstare tenentur subditi, sicut probatum est verbo *Adamitæ*, *Beguards*, *& alibi*.

15. Matrimonium solvunt, ubi tædium in altero conjugum venerit. Rep. verbo *Abstinentes*, & *Armeni*.

16. Laudant promiscuos concubitus, ubi alter altero sit contentus. Reprob. verbo *Florinus*. Tum quia si liciti essent promiscui concubitus, ex hoc quòd alter altero esset contentus, plura sequerentur incongrua, ut consideranti patet, quæ essent contrà conservationem humani generis, contrà rationem matrimonii, & alia, ex quibus satis constat nunquam posse esse licitos promiscuos concubitus, contrà quos stant leges tum Divinæ, tum etiam humanæ.

17. Communionem Sanctorum dicunt esse communicationem bonorum temporalium. R. ex articulo de communione Sanctorum, qui habetur in Symbolo Apostolico, per quem articulum Ecclesia, & sancti Patres nihil aliud intelligunt, nisi quòd, cum Christus, sit caput utriusque Ecclesiæ Militantis scilicet, & Triumphantis, debet necessariò haberi unio capitis, seu Christi cum membris suis, & membrorum inter se; & cum Sancti sint membra Christi, & nos commembra Beatorum, hinc sequitur, nos communicare cum Sanctis, scilicet participare de orationibus: quas pro nobis offerunt, & merita Sanctorum, etiam defunctorum, nobis prodesse, si eos invocemus, sicut profuit Azariæ in fornace ignis existenti, qui orabat Deum, ut sibi misericors esset propter Abraham dilectum suum: Exaudita autem est oratio Azariæ, quapropter eum non tetigit flamma ignis. Daniel. cap. 4. vers. 34. In hoc ergo consistit communio Sanctorum, non verò in communicatione bonorum temporalium, sicut somniant hæretici. Licèt enim Sancti etiam aliquando suis precibus nobis à Deo obtineant bona temporalia, potissimùm tamen orationes Sanctorum collimant ad augenda bona spiritualia, in quibus verè fruimur communione Sanctorum. Cæterùm, cum multa bona temporalia possideant viri perversi, sequeretur, quod si communio Sanctorum esset communicatio bonorum temporalium, jam non deberet nuncupari communio Sanctorum, sed communio

nio malorum, & eò magis, quod per possessionem bonorum temporalium, sæpè multa mala nobis originantur.

18. Resurrectionem esse jam factam asseverant. Reprob. verbo *Aerarius*, *Basilidiani*.

19. Judicium universale negant. R. verbo *Borboriani*.

20. Christianos resurgere, quando scient animam esse factam spiritum Dei immortalem, imò in essentiam Dei redire, illique ità jungi, ut unus spiritus maneat. Reprob. ex iis, quæ dicta sunt contrà *Dicaritas*.

21. Jesum Christum quiddam esse ex spiritu Dei, & opinione compactum: tunc autem esse mortuum, quandò eam opinionem, quòd aliquid esset, abolevit. Reprob. ex iis, quæ de nativitate, vità, & morte Christi abundanter contrà alios Hæreticos dicta sunt.

22. Omnia sivè bona, sivè mala, quæ ab hominibus fieri videntur, non fieri ab ipsis, sed à Deo, ideò non esse redarguendos malè operantes, quia hoc esset Deum redarguere. Qui hoc asserunt, vult Bulingerus constituere novum genus Libertinorum. Repr. ex iis, quæ dicta sunt num. 12. Tum quia probatum est contra Jacobum Præpositi, quòd homo est liberi arbitrii, & est causa electiva, & effectiva suorum actuum, ad quos activè concurrit sivè bonos, sivè malos, licèt ad actus bonos requiratur Dei auxilium; ad actus verò malos, reduplicativè ut malos, Deus nullatenùs concurrit, nisi quatenùs permittit causas secundas agere deficienter motus suos; ex quo sequitur hominem solùm redargui posse de suis malis operibus, sicuti sæpè à Deo exprobratur in sacris paginis.

23. Posse hominem in hac vità ad apicem innocentiæ, & perfectionis pervenire, conscientiæ stimulos reprimendo. Superfluum est reprobationem iam insulsæ propositionis hic subnectere, quæ ad hoc solùm collimat, ut amplum referet aditum ad omne facinus perpetrandum.

XVI. Libertini alii. Dei misericordiam omnibus omninò hominibus, imò etiam dæmonibus pollicentur. Reprob. ex verbis, quæ Christus dicturus est reprobis in die Judicii, quos in æternum cum dæmonibus cruciandos condemnabit. Vide verbo *Ampulianus*.

XVI. Libertini alii. Rejiciunt vetus Testamentum, & solùm novum recipiunt, illa tamen loca novi Testamenti pariter rejicientes, ex quibus eorum falsa doctrina potest convinci. Reprob. verbo *Albanenses*.

XVIII. Linguatarii, (ex Rescio) secta Anabaptistæ, orti sunt anno 1544. sic dicti, quia.

1. Asserebant Apostolicum donum linguarum eis, tanquam successoribus Apostolorum, legitimisque hæredibus fuisse concessum. Sed nunquam hoc donum experientià comprobarunt.

2. Gloriabantur se posse intelligere sacram Scripturam, etiamsi anteà non novissent eam, neque didicissent, quem errorem hausisse ex Anabaptistis videntur, ex Florimondo, & ex Rescio.

Lisoius. Vide *Heribertus*.

XVI. Loiste. Eligius Antuerpiensis Sectariorum auctor fuit, qui ad Euangelicos nostri temporis pertinent: vixit circa annum 1566. potius Atheus, quam alio nomine nuncupandus (ex Lindano dubit. Dial. 2.) Deum, hominesque ridebat; ejus sectatores quarè *Loistæ* sint dicti, non invenio.

XV. Lolhardi. Probabiliùs est Lolhardos non esse germen Wicleffi ut vult Prateolus, sed à Lolhardo Walthero originem habuisse, qui fuit natione Anglus, & Petrobrusianorum, atque Henricianorum errores promulgabat in Germania, circa annum 1315. potissimùm in Austria, & circumvicinis Regionibus; quarè captus, Coloniæ combustus fuit anno 1322. Lolhardorum errores, quos recenset Spondanus ad annum 1315. sunt sequentes, quos tantà profitebantur pertinacià, ut cujuscumque essent ætatis, aut sexus, mallent mori, quàm converti.

1. Missam, Baptismum, & extremam Unctionem nihil prodesse asserebant. Reprob. quo ad Missam, ex Concil.

cil. Cabilonensi secundo, ubi damnatur error eorum, qui dicunt, Missæ sacrificium nihil prodesse. Item ex Concil. Senonensi cap. 12. ex Florentino sess. ult. ex Trident. sess. 22. cap. 3. Tum quia Missæ sacrificium offerri potest pro peccatis; ergo est proficuum. Antecedens constat ex verbis D. Pauli, ad Hebr. cap. 5. *Omnis namque Pontifex....... ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Tum quia Sacrificia legis naturæ proficiebant tam offerentibus, quàm illis, pro quibus offerebantur, ut testatur Job. cap. 1. Idem patet de sacrificio legis scriptæ, ut probatur ex libro Levitici cap. 4. ergo etiam idem à fortiori asserendum de sacrificio legis gratiæ, quod esse proficuum, probat traditio Apostolica, & asserunt omnes sancti Patres. Reprob. quoad extremam Unctionem verbo *Hierarchitæ*. Item ex Concil. Trident. sess. 14. de institutione hujus Sacramenti cap. 2. Tum quia extrema Unctio ordinatur ad augumentum gratiæ finalis, quem effectum cætera Sacramenta non præstant; ergo est proficua. Item Concilium Nicænum primum; celebratum anno 335. de hoc Sacramento mentionem facit, sicut & antiquiores SS. Patres, qui hujus Sacramenti virtutem, & efficaciam agnoverunt, ut videre est in eorum commentariis super epistolam D. Jacobi. Reprob. quoad Baptismum verbo *Albanenses*, *Arcontici*, & *Armeni*.

2. Luciferum, cum aliis dœmonibus injustè cælo pulsos fuisse, & fore aliquando cælo restituendos. Michaelem autem, cæterosque Angelos æternis cruciatibus deputandos. Solus ipse Lucifer potuit talem blasphemiam evomere. Reprob. ex Euangelio, ubi legimus ignem æternum esse præparatum diabolo, scilicet Lucifero, ejusque sectatoribus; dicturus est Christus peccatoribus. *Ite in ignem æternum præparatum diabolo, & Angelis ejus*; quorum primum peccatum fuit superbia; quare legitur Isaiæ 14. *Detracta est ad inferos superbia tua*. Ezech. 28. *Inventa est iniquitas in te repleta sunt interiora tua iniquitate*; ideò propter iniquitatem suam justè Lucifer damnatus fuit, cui veritati consonant verba Judæ Apostoli in epist. Catholica *Angelos verò, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit*. Quàm justè autem peccatum temporale pœna æternà puniatur, ostendit D. Augustinus lib. 21. de Civit. Dei cap. 11. & Scotus in 4. sentent. dist. 46. quæst. 1.

3. Beatissimam Virginem post partum non mansisse Virginem. Reprob. verbo *Anti Mariani*.

4. Dominicum Corpus in Sacramento esse fictitium. Reprob. verbo *Berengarius*, *Joannes Oldecbastclius*, & *Joannes Wicleffus*.

5. Matrimonium esse juratum meretricium. Reprob. verbo *Encratitæ*, *Armeni*; & *Adamitæ*.

6. Deum nescire, aut certè non punire mala, quæ sub terra fierent; undè & coibant promiscuè in locis subterraneis. Reprob. verbo *Arnoldus de Villanova*, contra quem probavimus Deum non modò punire peccata publica, sed etiam privata; Deus enim est omniscius, & odio habet omne malum. Omnia nuda esse, & aperta oculis Dei, sæpè clamant sacræ paginæ, ubi Deus vocatur scientiarum Dominus. Tum quia si Deus non esset omniscius, non esset Deus; esse enim omniscium est essentialis perfectio Divinitatis. Qua ratione Deus cognoscat non modò existentia, sed futura & possibilia, videre est apud Theologos, qui de scientia Dei expresè disserunt. Sed, & Deum esse in omnibus rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam, Catholicè credimus, & evidenti ratione demonstramus; Ubique enim esse, omnia videre, & operari Deum est, necessarium.

7. Pœnitentiæ Sacramenti administrationem laicis committebant; acceptà, ut ajebant, potestate ligandi, atque solvendi ab Elia, & Henoch. Reprobat. verbo *Humiliatorum secta*, *Jacobus Præpositi*. Damnatur hæc hæresis in Concil. Trident. sess. 14. cap. 6. contra Luthe-

theranos, quæ jam damnata fuerat in Constantiensi contra Wicleffum, qui etiam contendebat, laicos esse ministros Sacramenti Pœnitentiæ, & aliorum Sacramentorum, contra quem stat illud Apostoli ad Titum cap. 1. vers. 5. *Reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas; & constituas per civitates Presbyteros*, quod fuisset superfluum, si omnes laici essent Sacerdotes, & ministri Sacramentorum. Tum quia potestas absolvendi est à Christo, nec esse potest in alio, nisi ipsi sit communicata à Christo; sed Deus hanc communicavit solis Discipulis, & per ipsos successivè aliis Presbyteris legitimè ordinatis. Tum quia, si omnis laicus esset Sacerdos, jam nulla esset Hierarchia Ecclesiastica. Tum quia non esset potior ratio de hominibus, quàm de mulieribus; sed neque in lege naturæ, aut scriptâ legitur, mulieres functas fuisse munere Sacerdotali, ergo à fortiori nequeunt in lege gratiæ hoc peragere. Demùm, si laici omnes possent esse ministri Sacramenti Pœnitentiæ, plura sequerentur absurda, ut consideranti pateti Nec valet dicere, D. Jacobum dixisse: *Confitemini alterutrum peccata vestra*; nam non intellexit Apostolus exprimere, quòd laici laicis deberent confiteri; sed quòd homines non solùm debent confiteri Deo, sed etiam hominibus habentibus potestatem; quarè Christus ad solos Sacerdotes misit leprosos, qui erant figura peccatorum pœnitentium, ut doceret solos Sacerdotes posse mundare à lepra, scilicet absolvere à peccatis.

8. Ecclesiæ Prælatos, & statuta contemnebant. Reprob. ex iis, quæ dicta sunt contra *Jacobum Præpositi*, ostendendo superiores Ecclesiasticos posse obligare subditos sub pœna peccati. Tum quia sinè obedientiâ superioribus, eorumque statutis, corruit omne regimen. Tum quia Paulus monet: *Obedite superioribus vestris*.

9. Romanam Ecclesiam non Christi, sed Infidelium esse dicebant. Reprob. Nam Romana Ecclesia à D. Petro Christi immediato Vicario fundata est: à D. Petro inquam, cui potissimùm dixit Christus: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua*. A tempore D. Petri, usque ad momentum præsens una, & eadem inconcussa fides fuit, quam omnes D. Petri successores semper professi sunt, ita ut eorum quispiam nunquam à vera fide defecerit, & omnes eandem fidem semper docuerint, quam potissimùm Romæ tot millia Martyrum proprio sanguine subscripserunt. Neque potest Romana Ecclesia à vera fide deficere, quam, utpotè omnium Ecclesiarum magistram, semper omnes Catholici venerati sunt.

10. Carnes quovis tempore edebant. Reprobat. verbo *Carlostadius*.

11. Dies festos non observabant. R. verbo *Ebion*.

12. Merita, & intercessiones Sanctorum irridebant. Reprob. quoad merita, verbo *Jacobus Præpositi*; quoad intercessionem Sanctorum, verbo *Vigilantius*, contra quem ostendimus, Sanctos esses invocandos, quia intercedunt pro nobis.

13. Perjurium non esse peccatum. Repr. verbo *Domus charitatis*.

IV. Lungi. Sic dicti fuerunt quidam Pseudo-Monachi Origenistæ, qui Origenis errores promulgare nitebantur, proindè fuerunt ex Ægypto expulsi à Theophilo Alexandrino, pariterque damnati ab Epiphanio in Concilio Cypri.

Lubertus. Vide *Sibrandus*.

XVII. Lubieniscius Stanislaus Polonus, unus fuit ex præcipuis Socinianorum ministris, plurimùmque laboravit tam in Poloniâ, quam in Sueciâ, ut à Lutheranis deturbatos Socinianos sustineret, quorum sectam etiam in Palatinatu promovere studuit: ex veneni poculo, anno 1675. fatis cessit, cum plura scripsisset, ex quibus pauca selecta sunt, quæ in Hollandiâ post ejus obitum impressa fuere. Ex Bayl.

IV. Lucianus Constantinopolitanus, post Eudoxium, cujus erat ex sorore nepos, sedit in Archiepiscopatu Constantinopolitano, & præfuit Eunomianæ sectæ, eadem sæculo quarto: ad eum omnes flagitiosi concurrebant, quia flagi-

flagitiosissimus ipse, ne dignas pœnas lueret, à fide Catholica defecerat.

II. LUCIANUS à quo LUCIANISTAE. Dictus etiam *Lycus*, natione Ponticus, Marcionis discipulus, peculiares docuit errores, quorum sequaces dicti sunt Lucianistæ: vixit circa medium secundi seculi. D. Hilarius lib. de Trinitate asserit, quòd vetus testamentum aspernabatur. Duos Deos statuebat, unum justum, alterum injustum, à quibus omnia bona, & mala provenirent. Christum negabat fuisse verum hominem, sed putativè tantum, ideòque solùm apparenter passum, & mortuum. Tertull. lib. de præscript. asserit, quod malè senserit de Animâ. S. Epiphan. profert, quòd nuptias damnabat. De eodem etiam scribit S.Joann. Damascenus. Omnes præfatos errores jam alibi reprobatos comperire est in hoc opere. Cum hoc Luciano sunt, qui confundunt Lucianum alium Samosatenum, de quo Suidas de Rethor. antiq. c. 12. mentionem facit, quem à fide Catholica apostatasse, & à canibus laceratum interiisse aliqui autumant, eò quòd Christianam legem blasphemaverit; proindè etiam dictum cognomento Blasphemum: Atheum, & Epicureum vixisse; sed quantùm colligere liquet ex ejus operibus Parisiis impressis anno 1615. fuit quidem litterarum scientia, dicendi eloquentiâ, & poeticæ artis insignis, sed de Religione Catholicâ, nec verbum quidem ineptum scripsisse competitur; quapropter, an à canibus laceratus interierit, difficilis est probationis.

V. LUCIDUS, conditione Presbyter, vixit quinto currente seculo, & insurrexit paulò post obitum D. Augustini. Contra hunc Hæreticum scripsit Faustus Abbas Lirinensis epistolam, quam approbavit Concil. Arelatense tertium: cujus Concilii determinationi Lucidus se submisit.

1. Docuit Christum non habuisse intentionem moriendi pro omnibus. R. verbo *Bassus*.

2. Deum non habere voluntatem salvandi omnes. Reprob. verbo *Prædestinatiani*.

IV. Luctus. De hoc Lucio diffusè scribit Baronius ad annum 372. 377. plura refert Theodoretus in Tripartita hist. lib.7. cap.40., de quo etiam scribit Ruffinus. Fuit Arianæ hæresis sectator acerrimus, creatus ab Arianis Pseudo-Episcopus Alexandrinus, ubi per vim intrusus, immanissimè sæviit in Catholicos, in Monachos, in Virgines; itaut nunquam Ecclesia sub horribiliori tyranno immaniorem passa sit persecutionem illâ, quam in Alexandrinos Catholicos Lucius excitavit, quantum colligere liquet ex præcitatis auctoribus. Hic etiam Origenis erroribus infectus, hoc peculiare dogma suis blasphemiis inseruit, scilicet Deum ex non existentibus fecisse Filium propter nos tantùm, hoc est, ut per eum, tamquam per instrumentum proprium, & reale nos crearet; & indè inferebat, quòd Filius Dei non fuisset, nisi Deus decrevisset nos creare; ac proindè volebat ipsum Filium non cognoscere suum principium, idest Deum Patrem, nec seipsum, sicut verificatur de aliis instrumentis, quibus homines utuntur, quæ omni cognitione carent.

Reprob. Quia Deus Pater est essentialiter fœcundus, ideòque necessariò generat ab æterno Filium: qui necessariò cognovit suum principium, sicut ipse Filius, homo factus, testatur in Evangelio: *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*; proindè, etiamsi Deus non decrevisset creare mundum, adhuc necessariò generaret Filium, idest Verbum, quod ab æterno generat, de quo Joannes in Evangelio: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Ex quo D. Joannis textu abundè satis convincitur Lucii falsum dogma.

IV. LUCILLA potens fœmina Hispana, Donati Hæretici adjutrix fuit, de quo actum verbo *Donatus*, ex Baron. anno 302.

XVII. LUCILIUS, natione Italus, per diversas Galliæ Regiones Atheismum disseminans, anno 1619. die 9. Februa-

bruarii Tolosæ captus, propè moriturus in subjecto igne, cui fuit damnatus, in has prorupit blasphemias Quantùm ad Deum attinet, nullum esse credo; quantùm ad Regem nunquàm illum offendi; quantùm verò ad justitiam, illam ego dæmonibus, si tamen dæmones existunt, devoveo. Socios habuisse duodecim, qui suam disperderent doctrinam, confessus est. Ex Spondan.

XVI. LUCAS STERNBERGER. In Omolucensi Moraviæ oppido ortum habuit anno 1561. Lutheri, ac Melanctonis discipulum, & sequacem se potissimùm gloriabatur: ejus errores versantur circà Sanctissimam Trinitatem, circà Deiparam, & circà Sacramenta: potiores sunt sequentes.

1. Improbat mysterium Trinitatis, dicens, hoc esse admittere tres Deos; quare vetuit conciniere; *O Beata Trinitas*, sacrilegè blaterans, Trinitatem esse fœminam, quæ tres viros habuit: De mysterio Trinitatis nullum proferri posse in sacris paginis testimonium. R. verbo *Bogomilli*, *Gottescalchus*, *Gribaldus*, & potissimùm contrà Gribaldum ostendimus, Christum, & Apostolos de Trinitatis mysterio disseruisse; sed adhuc dato, quòd nullum esset in Scriptura testimonium de Trinitate, dicat Sternbergerus, in quo Scripturæ loco suas invenerit blasphemias.

2. Jesum Christum esse purum hominem. R. verbo *Cerinthus*.

3. Spiritum sanctum irridebat, columbam dumtaxat esse, causatus. R. verbo *Airani*, contrà quos probavimus Spiritum sanctum esse consubstantialem Patri, & Filio. Item verbo *Pneumatomari*.

4. Beatissimam Virginem habuisse alios filios, prætèr Jesum, consequenter non fuisse virginem, nec discrepare ab aliis fœminis. R. verbo *Anti-Mariani*.

5. Laborandum die Dominico, non verò die Sabbati, quia in Scriptura indicitur festum die Sabbati, non die Dominico, & nihil esse observandum, quod non sit expressum in Scriptura. R. verbo *Dositheus*, *Ebion*, *Biblistæ*.

6. Baptismum rejiciebat, dicens: Deus non baptismum, sed circumcisionem instituit. R. verbo *Armeni*, *Alaschani*, & *Actarius*.

7. Circà Sacramenta profitebatur Lutheri doctrinam. R. verbo *Lutherus*.

IV. LUCIFERIANI. A Lucifero Episcopo Calaritano in Sardinià ortum habuisse crediti sunt; ille quidem propter mundi contemptum, virtutis amorem & fidei constantiam, in quibus excelluit, illustris fuit, & causam D. Athanasii constanter sustinuit, contrà quem in Concil. Arelatensi celebrato anno 353. sub Constantio Imperatore plures Episcopi subscripserant; quapropter Lucifer Liberio Papæ se obtulit ad dictum Imperatorem profecturum, ut ad novum Concilium congregandum Imperatorem induceret, in quo meliùs D. Athanasii causa discuteretur, sicut factum est, indictoque Mediolani alio Concilio pro causa D. Athanasii, in eodem Lucifer constantissimè sanctum Præsulem defendit, ex quo commotus Constantius, Luciferum in Syriam exulem relegavit, ubi plura sub Arianis Episcopis summà constantià perpessus, tandem sub Juliano Imperatore anno 361. ab exilio revocatur. Traditur deindè, quòd cum Antiochiam peragrasset, & schisma in hac Ecclesia invenisset, propter electionem unam ejusdem civitatis Episcopi factam ab Arianis, & electionem aliam factam ab Eustatianis, tertium Episcopum elegerit, ex qua tertià electione magis, ac magis in Antiochena Ecclesia schisma invaluit, reprobante hanc tertiam electionem Eusebio Vercellensi Episcopo, à cujus communione Lucifer, in sua opinione inflexibilis, se segregavit asserens Episcopos semel lapsos, licèt resipiscentes, nullatenus esse ampliùs cum honore in Ecclesià recipiendos, quod assertum est contrà decretum Concilii Nicæni tertii. Traditur etiam, quòd Sardiniam reversùs Lucifer, ibidem usque ad mortem in sua sententia perstiterit, factusque sit auctor schismatis Ecclesiæ valdè infensi. Decessit anno 370. ejusque schismatis sequaces dicti sunt Luciferiani. Hæc summatim sunt,

sunt, quæ de actis Luciferi, & errore ei attributo habentur apud Socrat. Sozom., & alios graves quidem viros. Sed cum insignem defensionem Luciferi Calarit. publici juris fecerit vir clarissimus Ambrosius Machin ex Ordine B.M. de Mercede Calaritanus Archiepiscopus Urbano VIII. Pontifici Maximo dicatam, ubi & Luciferi sanctitatem, & cultum Ecclesiasticum ac planè Religiosum semper, & usque nunc eidem in Sardinia, ut verè sancto, præstitum ostendit, & propugnat, non audeo auctorem schismatis Luciferum Calaritanum asserere, nec assertam sanctitatem labefactare, quam plures alii defendunt, non obstante schismate ei attributo, quasi per ignorantiam, non malitiosè schismaticus fuisset: sed certissimum est ejus schismatis sequaces, à quocunque ortum duxerit, ad schisma etiàm aliquos addidisse errores, ad quos reprobandos convertimur, relinquendo examen historiæ iis, qui ejusmodi sibi institutum scribendi proposuerint.

1. Animam credebant transfusione esse genitam à carne, & ex substantia carnis derivatam. R. verbo *Tertullianus*, & *Hermogenes*. Tum quia hæc opinio Epicurismum sapit; nam eò tendit, ut hominis animam mortalem faciat.

2. Negabant cum honore Episcopali in Ecclesia recipiendos esse Episcopos semel in hæresim lapsos, licèt debitam dedissent satisfactionem. R. Ex Concil. Nicæno tertio. Tum quia Episcopus non est inferioris conditionis, ac quilibet alius Catholicus, qui licèt lapsus, dummodò resipiscat, iterum benignè ab Ecclesia recipitur. Tum quia Episcopus in hæresim lapsus non amittit characterem Episcopalem; ergo si resipiscat, iterùm potest cum honore recipi. Hunc errorem impugnavit S Hieronymus.

3. Solam suam dicebant esse veram Ecclesiam. De Luciferianis agit D. August. lib. de hæres. cap. 8. Item Socrates, Sozomenus, Thodoretus.

*XVI. Ludovicus Ellies Dupin. In opere cui proposuit titulum. *De antiqua Ecclesiæ disciplina*. Ludovicus Maimbourgus in sua dementata historia. *De Pontificatu S. Gregorii Magni*, suoque in tractatu historico *De prærogativis Ecclesiæ Rom. atque Episcoporum*. Maledica blaterare figmenta aggressi, impium Launojum venenatas propositiones contra supremam Pontificis auctoritatem evomentem secuti sunt.

XVI. Ludovicus Alemanni, natione Italus cœpit Lugduni anno 1566. Calvinianam doctrinam insectari circà receptionem substantiæ Jesu Christi in Cœna per fidem, ac purum Zuinglianismum edocere, videlicèt substantiam nullo modo recipi, nè fide quidem, & solùm recipi spiritualitèr substantiale Corpus, & Sanguinem Christi. Addens insuper, quòd Christus, licet à suis Fidelibus non sit absens, tamen illius substantiale Corpus nullatenùs esse præsens in Cœna, sed ibi solùm dari panem in memoriam mortis, & passionis Christi, sicut in testamento non datur vere, & substantialitèr testatoris hæreditas. R. Ex iis, quæ dicta sunt verbo *Buccerus*, *Albanenses*, *Anabaptistæ*: & ex iis, quæ dicentur contrà Zuinglium. Paritas autem de testamento nihil evincit, nam sicut per testamentum hæres consequitur realitèr jus ad hæreditatem, non verò fit testamentum in memoriam hæreditatis; ità per institutionem Eucharistiæ nos consequimur jus ex voluntate Christi ad Corporis ejusdem consecrationem, & possessionem realiter ex vi testamenti accipiendam, nempe in Eucharistico pane ex vi voluntatis veluti ultimæ, tanquàm pignus futuræ & æternæ hæreditatis.

XVI. Luthero-Papistæ (ex Lindano) sunt sequaces Westphali, qui excommunicant illos, qui non sunt de sua secta, præcipue Zuinglianos Sacramentarios, ubi cæteri Lutherani Zuinglium omninò condemnare non audent. Tales sunt Witembergenses, & Lipsienses Theologi, qui in multis cum doctrina Romani Pontificis conveniunt.

XVI. Luthero-Calvinistæ. Ex Staphilo: hujus sectæ auctor censetur Jacobus Schmidelinus, qui docuit Lutherum convenire cum Zuinglianis in materia Sacramenti, & inter ipsos quæstio-

nem esse de solo nomine, ideòque bene posse conciliari.

XVI. Lutherostandrini (ex Lindano) à Joanne Brentio ortum habuerunt, secta sunt Semilutherani. Tales censentur Theologi Tubingenses, qui Lutherum, Osiandro conciliare student in materia justificationis; nam docent cum Luthero contrà Osiandrum, hominem in hac vita imputativè haberi justum, & tenent cum Osiandro contrà Lutherum hominem post hanc vitam fieri justum eadem justitia, quà Deus essentialitèr est justus.

XVI. Luthero-Zuingliani Lutherum cum Zuinglio in materia Cœnæ conciliare student, etiam secta sunt Semilutherani. Horum auctor censetur Melancton, qui cum usque ad canos Luthero adhæsisset, paulò antè suum decessum Zuinglio consensit, utrumque conciliaturus. Alii auctorem faciunt Martinum Bucceruin. Ex Staphilo.

XVI. Lutherani Molles, & Rigidi. Alii demùm nuncupantur Lutherani Molles, quia non sequuntur ad apicem litteræ doctrinam Lutheri. Alii vocantur Lutherani Rigidi, qui in toto rigore Lutheri doctrinæ adhærent.

XV. Lutherus, nomine Martinus, natione Saxo, patriâ Islebiensis, in ditione Comitum Mansfeldiensium anno 1483. progenitus: nonnulli dixere ab incubo dœmone natum. Quidquid sit hac de re, cum diabolo se multum habuisse commercium, satis congnitum habuisse diabolum, & cum ipso diabolo non parùm salis comedisse, confitetur in scriptis suis ipse Lutherus, qui cum cognomento esset *Lotter*, quæ vox infame quid sonat linguâ Germanicâ, voluit *Luther* imposterum vocari: *Luther* enim Germanicè *Purum* significat. Acri fuit ingenio, quapropter in studiis suis valdè profecit. Magister artium vocatus anno ætatis suæ vigesimo, in utroque jure eruditus evasit. Voto ingrediendi religionem cum se obstrinxisset, socium suum quadam die secum in agro deambulantem, à fulminis ictu occisum conspiciens, reddidit statim votum suum in civitate Erphordiæ, anno ætatis 22. Postmodùm Sacerdotio initiatus ætatis 24. deindè Witembergam ad Albim missus, ibi Philosophiam Religiosos sui Ordinis docuit: paucis ab hinc annis Theologiæ lauream adeptus, ingenii sui arrogantià commotus, cœpit palam sanctos Doctores inficiari, quasi incultos in modo dicendi, deindè tanquam Euangelii corruptores diffamavit. Mox occasione arrepta contra Prædicatores indulgentiarum, Witembergæ nonaginta quinque conclusiones promulgavit, quibus avertebat Fidelium animos ab acquirendis indulgentiis; revocans in dubium, an Pontifex haberet potestatem concedendi indulgentias, & paulatìm ferè omnia fidei dogmata evertere curavit. Interim cum non parvos in impietate sua faceret progressus, malo nascenti occurrere studuit Pontifex, & facto à Pontifice mandato Cardinali Cajetano, ut Lutheri causam exciperet, a Cardinali ad Pontificem, a Pontifice ad futurum Concilium appellavit Lutherus, in sua impietate jam obduratus, majorique audacia in Pontificem, & Orthodoxos cœpit debacchari; proindè damnatus ab Academiis Parisiensi, & Coloniensi, & a Leone Summo Pontifice. Sed nil indè ad meliorem frugem revocatus, imò in deterius lapsus, plura scripsit, præcipuè contra Missæ Sacrificium; & anno 1524. ætatis suæ quadragesimoprimo, habitum Regularem deposuit, ad quod facinus perpetrandum Regulares omnes hortabatur, incestuosis nuptiis contractis. Postmodùm à Paulo III. solicitatus ad conversionem, renuit misericordiæ januas, sibi ab Ecclesia expansas ingredi, sed vehementiùs editis seditiosis libris, non tam Sacerdotium, quam Imperium studuit totis viribus exagitare. Tandem anno 1546. moritur Islebii patria sua, postquam successoribus suis, omnia hæreticæ pravitatis arcana aperuisset, quæ sparsa habentur in operibus suis. Præcipuus interim Lutheri errores reprobare aggredimur: sunt autem sequentes.

1. In libro De abroganda Missa privata,

vatà, afferit veram Christi Ecclesiam esse invisibilem. R. verbo *Protestantes*.

2. Ecclesiam Romanam successu temporis à vera fide defecisse. Rep. verbo *Protestantes*.

3. Romanam Sedem esse Antichristi sedem, & Romanum Pontificem esse Antichristum. Quamvis alias jam non semel errorem istum, atque insanorum hominum furorem rejecerimus, placet nihilominùs quædam, in ejusdem commenti reprobationem, de adventu Antichristi differere. Repr. itaque, qui signa certa adventus Antichristi sunt præsertim sex, nobis in Scripturâ notata, duo videlicet Antichristum antecedentia, duo concomitantia, & duo subsequentia. Duo antecedentia sunt, Euangelii in toto mundo prædicatio, (Matth. 24.) & totalis Romani Imperii desolatio (Daniel.2. Apocal. 17.) Duo concomitantia sunt Eliæ ad prædicandum missio, (Malach. 4. Ecclef. 48. Apocal. 11.) cui comes prædicationis erit Henoch, ut ex majorum traditione accepimus, & persecutio omnium maxima, ac notissima, in quà cessabunt omnia sacra, (Matth. 24. Daniel. 12.) Duo verò subsequentia sunt, ipsius Antichristi interitus, post tres annos cum dimidio futurus, (Daniel. 7. Apocal. 11.) & tandem ipse mundi finis. (Matth. 24) Atqui nullum ex iis Antichristi signis adhuc evenisse constat, non primum, cum pateat varias adhuc esse mundi regiones & populos, quales dici possunt Americani multi, quibus nihil de Euangelio hactenus nuntiatum; non secundum, cum Romanum Imperium duret, quamvis translatum; Imperium enim durat, quamdlù in Imperatorià dignitate succedit aliquis; succedit autem Occidentis Imperator, eoque solo jure cæteros præcedit Christianos Principes, & Reges, & si aliundè potentiores; non tertium, cum Eliam adhuc vivere certâ fide teneant Catholici omnes; de Henoch etiam dicitur ad Hebræos 11. *Henoch translatus est ne videret mortem*; & de Elia, Matth. 17 *Elias quidem venturus est, & restituet omnia*; & de utroque Augustinus lib. de peccato originali cap. 23. *Henoch, & Eliam non dubitamus, in quibus nati sunt corporibus, vivere*; non viverent autem, si jam contrà Antichristum prædicaturi missi fuissent siquidem de illis legitur Apocal. 11. *Diebus mille ducentis sexaginta. Et Prophetabunt, cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abysso, faciet adversùm eos bellum, & vincet illos, & occidet eos*. Non quartum, cum nulla sæviat, nec sævierit usquam tanta persecutio, in quà cessaverit omninò sacrificium omne, cum viguerit semper in Christi Ecclesia, & duret adhuc juge sacrificium. Non quintum denique, neque sextum, videlicet Antichristi interitus, & mundi finis, ut manifestè patet. Quòd nondum evenerit interitus Antichristi, certum est; contigisset autem jam à pluribus annis, si venisset Antichristus eo tempore, quo eum venisse fingunt hæretici, cum regnaturus sit per tres dumtaxat annos cum dimidio, ut visum est; & si contigisset Antichristi interitus, jam pariter contigisset mundi finis. Ergo cum nullum ex præfatis signis evenisse constet, nec Antichristum venisse patet, & consequenter impudentissimè dicitur Romanum Pontificem Antichristum esse, & plusquam satis manifestè colligitur ex dictis. Imò, si Pontifex esset Antichristus, plures essent fingendi Antichristi, cum tamen ex Divinis oraculis constet unum tantùm futurum.

4. Lutherani dicunt sedisse annis duobus, mensibus quinque, & diebus quatuor fœminam quamdam meretricem, nomine Joannam, id enim ita evenisse divinitùs permissum esse contendunt, præsertim Magdeburgenses, in signum Ecclesiæ Romanæ in meretricem Babylonicam mutatæ, esseque validissimum argumentum suæ, à Romana Sede, defectionis legitimæ. R. ex ipsa narratione fabulosà somniati eventus de Joanna Papissa. Ajunt fabulatores isti, mulierem illam, natione Anglicam, ut volunt aliqui, vel Moguntinam, ut aliis placet, adhuc puellam in habitu virili fuisse ab amasio quodam Athenas ductam, ibi-

ibique ita litteris operam navasse, & in scientiis profecisse, ut ei par non esset. Cumque Romam venisset, ibique legens & docens, magnos Magistros inter discipulos, & auditores haberet, tantæ opinionis sibi nomen fecit, ut defuncto Leone IV. in successorem ejus, & Papam fuerit concorditer electa; sed eandem in Papatu à suo familiari vitiatam, temporisque sui futuri partus ignaram, cum de S. Petro, ad Lateranum in solemni supplicatione tenderet, angustiatam in partu, publicà peperisse in vià, ibique mortuam fuisse, atque sepultam.

Quàm pluribus scateat falsitatibus hæc narratio, facile est discernere; nam primò falsam, & fabulosam esse hanc narrationem, constat ex non convenientià, seu discordià auctorum ejus; volunt enim aliqui mulierem illam fuisse natione Anglicam, Moguntinam alii. 2. Ex eo, quòd illam Athenis litteris operam dedisse, & profecisse dicant: constat autem eo tempore Athenarum solùm superfuisse nomen; asserit enim S. Synesius Ptolemaidis Episcopus, vir sanctitate, & eruditione clarus, in epistolà ad fratrem suum ultimà, suo tempore, hoc est anno circiter 420. *Athenas splendidum habere nihil, præter celeberrima locorum nomina*; ergo nec à fortiori tempore hujus fabulosæ Papissæ Joannæ, quam sedisse contendunt fabulatores isti, circa annum 850 inter Leonem IV. & Benedictum III. Atheniensis civitas, & multò minùs universitas poterat esse superstes. 3. Ex eo, quòd asserant, illam Romæ legentem, & docentem, post biennium in Papam fuisse concorditer electam, constet verò his temporibus jam fuisse consuetum, nullum, nisi ex Cardinalium Collegio, in Papam eligi. 4 Ex eo, quòd dicant illam in solemni publicatione peperisse, & incredibile sit omninò mulierem, à tot mensibus fœtu gravidam, partuique proximam, hoc publicum munus obire voluisse, in quo erat futuri partus, honoris, vitæque periculum. Addendum est, hanc fabulam tam insulsam, primum omnium scripto vulgasse Marianum Scotum, ducentis annis jam elapsis; quam postmodùm secuti sunt scriptores alii, ut Sigebertus, Martinus Polonus &c. Verùm scriptores antiqui, & rei narratæ coævi, ut sunt Anastasius Bibliothecarius, Ado Viennensis, Hincmarus Rhemensis, & ipse Nicolaus I. Benedicti III. successor immediatus, nullam mentionem faciunt de prætensà Joanna Papissà; imò post Leonis IV. obitum, immediatè successisse Benedictum III. constanter asseverant: ex quibus constat, quàm insulsa, quàm malè consuta fabula de Joanna Papissà. Adde, hæreticos ipsos, qui antiqua Romanæ Ecclesiæ acta sincerè scrutari voluerunt, fabulam istam rejecisse, ita ut non solùm à Catholicis Latinæ Ecclesiæ, sed etiam à Græcis, & ab ipsis melioris notæ heterodoxis hodie prorsùs exsibiletur, ut animadvertit vir eruditissimus *Joannes Interiam de Avalà Ord. B. M. de Mercede* in suo *Pictore Christiano* lib. 1. cap. 6.

5. Dicit solam Scripturam sacram esse regulam fidei, atque judicem controversiarum, ac proindè omnes fidei controversias, per ipsam solam dirimi debere. R. Ostendendo solam Scripturam non esse supremum, atque infallibilem fidei controversiarum judicem, & hoc multiplici argumento: primò ab obscuritate Scripturæ. 2. ab ejus insufficientià ad omnia fidei capita comprobanda. 3. à natura, & officio judicis.

Ac primò, lex obscura, & ad intelligendum difficilis, quæ in varios, & contrarios sensus trahi potest, non potest sola, absque interprete, & judice infallibili, subnascentes de fide, ac religione controversias terminare, ac definire; atqui Scriptura sacra obscura in multis locis est, & ad intelligendum difficilis, ut plurimis ipsius Scripturæ testimoniis, & exemplis probari potest, & præcipuè Lucæ 18. *Et nihil horum intellexerunt, & erat verbum absconditum ab eis*. Insuper, Scriptura in varios sensus trahi potest, ac de facto trahitur ab Hæreticis, quibus familiare est, ut errores suos ex Scripturis confirment: observat enim Bellarmin. tom. 4. de Euchar. lib. 1. cap. 8. in quodam libro impresso anno 1577.

no 1577. numerari ducentis varias istorum Christi verborum: *Hoc est Corpus meum*, interpretationes. Tum quia, verba hæc clara videntur Luthero ad stabiliendam realem, & substantialem Christi in Eucharistiâ præsentiam; ex adverso, clara videntur Calvino ad eam rejiciendam, & solam virtutis præsentiam comprobandam. Quis litem hanc inter illos componet? Scriptura? At de illius sensu controvertitur, & quisque eam ad se inflectere nititur: asserendum est ergo solam Scripturam non esse regulam fidei, atque judicem controversiarum.

Secundò, ex insufficientiâ Scripturarum, demonstratur solam Scripturam non esse controversiarum judicem; nam præter quàm quòd multæ suboriuntur circa textum controversiæ, an scilicet textus, quem præ manibus habemus, & vocamus Scripturam, genuinum sit Dei verbum? An autographis Prophetarum, & Apostolorum conformis? An purus, & integer ad nos defluxerit; vel Judæorum, aut Hæreticorum fraudibus depravatus, & corruptus? An hujus textus versiones, quà par est fide, legitimum primigenii autographi, seu exemplaris sensum referant? An denique hi, vel illi libri canonici sint vel non, & quinam sit illorum legitimus sensus? Quo judice securi de his omnibus reddemur, si ipsa sola Scriptura sit judex? Multa etiam ex fide credere tenemur, quæ tamen in Scripturis expressa non sunt: V.G. quòd validum sit Baptismi Sacramentum collatum ab Hæreticis: quòd parvuli sint baptizandi. Hinc Divus Augustinus lib. 5 contra Donatistas cap. 23. ait: *Sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur, quamquam scripta non reperiantur*.

Tertiò denique ex naturâ, & officio judicis, constat ipsam Scripturam, non esse controversiarum fidei judicem; in omni enim Republicâ benè ordinatâ, & constitutâ lex, & judex duæ sunt res distinctæ: lex enim docet quid sit agendum: Judex verò ex præscripto legis pronunciat; lex dirigit subditos, declarando ipsis, quæ facienda sunt, vel omittenda; judex autem illos cogit, ut faciant, vel omittant, ac reos, pro natura delicti, punit. Scriptura, est quidem lex, norma, & regula fidei, & morum; at non potest esse judex, ut contendunt Novatores, qui enim judex est inter duos litigantes, debet ita pronuntiare sententiam, ut uterque litigantium clarè intelligat, quænam sit judicis sententia, & alter eorum fateatur illam pro se, alter contra se latam esse: nisi ita fuerit, à lite non desistent, & interminabilis evadet controversia: At qui non potest solâ Scripturâ id præstare. Litigant Lutherani, & Calvinistæ, tum inter se, tum nobiscum, hactenùs tamen ex solâ Scripturâ finiri, ac terminari non potuit controversia, & quisque in priori sua sententiâ immotus persistit. Quærendus est ergo alius judex, qui controversias dirimat. Profectò hic erit Ecclesia, cum suo capite, quæ est regula animata, & Judex infallibilis controversiarum fidei. Ad effugiendam hujus rationis vim, aliud commentum invenerunt Lutherani, dicentes.

6. Internum spiritus privati testimonium, esse judicem infallibilem controversiarum fidei. Rep. In omni Republica benè instituta, & ordinata, necesse est sedere aliquos judices, qui legem principis interpretentur, ac civiles subditorum causas, auctoritate coactivâ, ac decretoriâ dirimant; si enim privato cuilibet id licitum foret, quanta indè rerum perturbatio? quanta in civili societate confusio? Ita prorsùs eveniret in Ecclesia: non satis ejus securitati, ac tranquillitati provisum à Deo fuisset, nisi esset regula quædam viva, quæ natas de fide, & religione controversias supremo judicio definiret. Quò tandem evaderet fidei veritas, & firmitas, si privatorum examini, judicio, & interpretationi permitteretur? Quisque ad libitum fidei dogmata sibi effingeret; nullus unquam futurus esset controversiarum, ac discordiarum finis; anceps, & dubius semper hæreret fidelium animus, ac tandem patentissima via panderetur ad indifferentiam, & tolerantiam omnium religionum,

num. Quis verò in mentem suam facilè induxerit, tam malè à Christo Ecclesiæ suæ, quam dilexit, & proprio suo sanguine acquisivit, prospectum fuisse?

Insuper, lex fidei debet esse publica & nota, pro natura Ecclesiæ, quæ societas est visibilis, & conspicua; debet esse una, non multiplex, non varia, neque contraria, sed simplex, constans, & uniformis; verumtamen quàm longè ab iis conditionibus distat spiritus ille privatus Novatorum, seu spiritus revelans unicuique privato homini, quæ sunt de fide credenda, vel agenda? Occultus ille est, ac latens, non videtur, non auditur, sicut videri debet, & audiri à partibus litigantibus judex, qui sententiam pronunciat: varius est, multiplex, contrarius spiritus ille privatus, quippè Luthero suggessit aliquos è Canone Ecclesiastico libros expungendos esse, quos tamen admitti debere, idem spiritus Calvino inspiravit. Pariter verba ista: *Hoc est Corpus meum*, ad sensum præsentiæ realis Luthero, è contrà Calvino ad sensum præsentiæ spiritualis dumtaxat, & figuratæ interpretanda esse, prætensus ille spiritus privatus suggessit. Item verba ista: *Ego, & Pater unum sumus*, de unione morali, & affectiva Calvinus intelligit; sicut & ista: *Antequam Abraham fieret, ego sum*, de præexistentia tantùm in decreto Dei intelligit, non de vera, & reali præexistentia, quam profitetur unanimis omnium Catholicorum sententia adversùs Socinianos; & certè nunquam satis intelligitur, qua ratione Lutherani, & Calvinistæ, è quorum sinu prodiere Sociniani, iisdem cum ipsis nutriti, & innixi principiis, quà inquam ratione ab istorum laqueis, admissa tantum pro judice Scriptura, seu privato spiritu, sese extricare, & expedire valeant; nihil etenim juris habent Lutherani, & Calvinistæ ad Scripturam in sensus figuratos, & metaphoricos detorquendam, quod sibi pariter vindicare non possint Sociniani, ubi contendunt Christum in Scriptura, sensu figurato Deum appellari, eodem modo, quo judices, Dii etiam in Scripturà, nuncupantur: quam ergo disparitatem afferent? Scripturæ claritatem? Hanc, in causà suà, laudabunt & ipsi Sociniani. Spiritum privatum, ejusque internam unctionem? & de ista pariter illi gloriabuntur. Collationem unius, vel plurium locorum Scripturæ cum aliis? At in istà plurimùm, & ipsi confidunt. Traditionem? At istam communi suffragio Novatores rejiciunt. Ergo si semel auctoritas coactiva Ecclesiæ judicantis, & decretorie pronunciantis seponatur, nullà unquam certà vià comprimi, ac revinci poterunt à Lutheranis, & Calvinistis, Sociniani; ergo internum spiritus privati testimonium, non potest esse judex infallibilis controversiarum fidei. Sed ut hæc evadant, dicunt:

7. Quòd princeps publicam habet de doctrina religionis potestatem judicandi, & decidendi. Repr. Nam certum est principi sæculari hanc à Deo potestatem datam non fuisse, ut judex sedeat in causis fidei, easque dirimat; nullibi privilegium illud legimus in Scripturis. Est quidem princeps, teste Apostolo: *Dei minister, vindex in iram ei, qui malum agit*, eaque de causa gladium portat; est legum Ecclesiæ custos, vindex & protector, qui acceptam à Deo potestatem convertere præcipue tenetur in præsidium, tutelam, & columnam Catholicæ Ecclesiæ; at verò arbiter non est, nec judex controversiarum fidei; neque Principibus dictum fuisse legimus: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes ...... Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ..... Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*; unde etiam in veteri Testamento habetur, quòd *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam*, & quòd *legem ex ore ejus requirent*. Vel ipsimet Imperatores agnovere sibi jus non esse de rebus fidei, ac religionis decernere. Constantinus enim, teste Eusebio lib. 3. de vita Constantini cap. 10. in Concilio Nicæno non priùs assedit, quam Episcopi, ut sederet, annuissent: quo signo, satis indicavit, se Concilio non præesse, & si

& si aliquando alii principes, vel Concilio interfuere, vel aliquos nomine suo ad ea direxerunt, interfuerunt non quidem ut fidei judices, sed ut protectores, & quasi custodes, qui Concilii disciplinam promoverent, removerent tumultus, Episcopis pacem, ac libertatem ex officio tuerentur, vel etiam, quia in Conciliis non solùm de rebus Ecclesiasticis, sed etiam de statu regni, Christianis moribus regendo, agebatur, præstantibus consilia Episcopis; ut de Conciliis Hispaniæ notant, qui de illis scripserunt. Abundant exempla plurimorum Imperatorum, qui hanc sibi auctoritatem, de rebus fidei judicandis, non competere fassi sunt, sed ea prætermittimus, cum hæc veritas tam perspicua, ulteriori non indigeat testimonio. Vide verbo *Joannes Jandunus*.

8. Negat Ecclesiam cum Summo Pontifice esse judicem infallibilem controversiarum fidei. R. Asserendo Summum Pontificem se solo, vel Ecclesiam cum Summo Pontifice, esse infallibilem fidei controversiarum judicem. Dixi *Ecclesiam cum Summo Pontifice*, nam si sumatur absque Summo Pontifice, est corpus Acephalum, & ad summum habet dumtaxat infallibilitatem passivam, quatenùs spectat ad Divinam providentiam impedire, ne tota Fidelium societas, etiam secluso Summo Pontifice, simul errorem admittere possit: non habet tamen infallibilitatem activam, & judicialem, qua certò, ac securè possit absque ulla erroris formidine, secluso Summo Pontifice, de fidei causis pronuntiare: Hæc enim infallibilitas derivat, tamquam à capite, à Summo Pontifice, ad quem spectat approbare omnia Concilia Generalia, & robur ac firmitatem cuilibet dogmaticæ definitioni tribuere, quatenus est caput totius Ecclesiæ, sive per orbem universum diffusæ, sive in Conciliis Generalibus congregatæ. His prælibatis.

Prob. primò assertio Catholica contrà Lutherum, & Calvinum. Necessariò admittenda est in Ecclesià Christi regula quædam viva, & spirans, quæ supremo suo judicio suborientes de rebus Divinis controversias dirimat, & componat: atqui regula ista, seu judex non potest esse Scriptura, neque spiritus revelans privatus, neque Princeps secularis, ut jam ex probatis demonstravimus, ergo est ipsemet Summus Pontifex sivè in Concilio, sivè extrà Concilium. Ad ipsum enim in persona Petri, dixit Christus Lucæ 22. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Hinc Divus Bernardus Epist. 190. ad Innocentium Papam II. ipsum alloquens sic ait: *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei, ac præsertìm quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimùm resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum*.

Probatur secundò eadem assertio ex consuetudine Ecclesiæ. Nam in omnibus seculis, si quando exorta sunt nova dubia in Ecclesià, semper eodem modo terminata sunt, nimirum judicio Romani Pontificis, & Episcoporum, qui tunc erant. Orta est in primo seculo quæstio de cœremoniis legis veteris, an essent servandæ à Gentibus ad Christum conversis; & sicut illa fuit prima quæstio in Ecclesia exorta, ità tunc celebratum est primum Concilium, præsidente S. Petro, & ejus Concilii decreto omnes acquieverunt. Actor. 5. Secundo seculo orta est quæstio de celebratione Paschæ, quibusdam volentibus Pascha celebrare cum Judæis decima quarta die primi mensis, sivè esset dies Dominicus, sivè non, aliis autem tantùm die Dominico, post lunam decimam quintam; constat autem propter hoc celebrata esse plura Concilia Episcoporum, & tandem à Victore Romano Pontifice emanatum est decretum. Tertio seculo causa Rebaptizantium: quarto seculo Donatistarum, & Arianorum: quinto seculo Pelagianorum, Nestorianorum, & Eutychianorum: sexto causa trium Capitulorum: septimo Monothelitarum: octavo Iconoclastarum, sic deinceps de omnibus aliis controversiis in materia fidei, semper in Con-

Conciliis, cum Romani Pontificis approbatione congregatis, decisæ fuerunt.

Imò, vel ipsi Calvinistæ, sui privati spiritus parùm memores, coacti sunt ad auctoritatem plenariæ Synodi, seu magis conventiculi Dordraceni confugere, ut exortam inter Arminianos, seu Remonstrantes ex unà parte, & Gomaristas ex alterà, molestam de gratia, & prædestinatione controversiam, dirimerent. Quin & in simili Pseudo-Synodo Aleciensi, anno 1620. in Galliis celebratà, decretum est, ut omnes & singuli juramento affirmarent se statuta Dordacena recipere, ac doctrinam Arminianorum rejicere.

9. Negat admittendas esse traditiones Divinas. R. Unde enim scire potest Lutherus, quòd v. g. Euangelium secundùm Marcum, sit à D. Marco conscriptum, nisi per traditionem? non enim in alio, aut in ipso Marci Euangelio legitur D. Marcum scripsisse Euangelium; ergo dum traditiones impugnat, ipsas conatur admittere. Repr. Insuper Ecclesiast. 8. *Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.* In novo Testamento specialiùs, atque clariùs. Apostolus ad Tim. 2. cap. 1. ait: *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide, & dilectione in Christo Jesu.* Et ibidem cap. 2. eundem sic alloquens ait: *Tu ergo fili mi confortare in gratiâ, quæ est in Christo Jesu: & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Secundò, ex Conciliis constat dari, & suscipiendas esse Divinas traditiones. Concilium Nicænum secundum, Œcumenicum septimum expressè dicit, actione septimà. *Si quis traditiones sivè scripto, sivè consuetudine valentes non curaverit, anathema sit.* Concilium Tridentinum sess. 4. decreto de Canonicis Scripturis, expressè declarat, se pari pietatis affectu traditiones Divinas venerari, ac Scripturas. Tertiò, ex SS. Ecclesiæ Patribus constat pariter dari, & suscipiendas esse traditiones Divinas; & sic in primo Ecclesiæ sæculo traditiones varias sivè Divinas, sivè Apostolicas admiserunt. S. Ignatius Martyr, Dionysius Areopagita, qui Apostolis fuerunt coævi, & Polycarpus. In secundo sæculo Justinus, Papias, & Irenæus. In tertio sæculo Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, & Cyprianus. In quarto sæculo Athanasius, Basilius, Cyrillus Jerosolymitanus, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Hilarius, Ambrosius. In quinto sæculo Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Chrysologus, & Gregorius Magnus. Sufficiat una Divi Augustini auctoritas, quæ in hac parte est veluti Divinarum, & Apostolicarum traditionum regula, ait itaque lib. 4. de Baptismo contrà Donatistas cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum, non nisi auctoritate Apostolica traditum, rectissimè creditur.*

Rep. Secundò. Multa certà fide credimus, & observamus, quorum nulla extat in Scripturis mentio, qualia sunt. Quòd Maria Deipara fuerit semper, etiam post partum, virgo, atque iste sit verus, & genuinus Scripturarum, virginitatem Mariæ adumbrantium, sensus. Quòd parvuli sint baptizandi, etiam antè rationis usum. Quòd baptizati ab hæreticis, non sint rebaptizandi. Quòd Paschatis festum sit die Dominico post 14. Martii lunam celebrandum. Quòd detur, & existat apud nos Scriptura verè Divina, quæ sit verum Dei verbum. Quòd eadem scriptura, præsertim in iis, quæ sunt ad fidem, & salutem necessaria, sit apud nos salva, & incorrupta. Quòd verum, ac legitimum illius habeamus sensum. Quòd quatuor Euangelia SS. Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis, sint Scriptura vere Divina; non verò quatuor alia nomine SS. Petri, Andreæ, Bartholomæi, & Thomæ ventilata. Quòd ex quatuor Esdræ libris duo sint verè Divini, alii verò duo apocryphi. Quòd pariter ex quatuor Machabæorum libris, duo sint verè Canonici, & Divini, alii duo è contrà apocryphi. Quòd Pauli Epistolæ ad Timotheum, ad Titum, ad Phi-

Philemonem, sint verè Canonicæ, non verò aliæ ejusdem ad Senecam. Quòd ejusdem Pauli ad Ephesios epistola sit verè Canonica, non ejusdem ad Laodicenses alia. Quòd Epistola S. Jacobi, quam ut Canonicam Calvinus admittit, & Lutherus respuit, sit verè Canonica, & inter authenticas habenda. Dicant Novatores hæretici ex quonam Scripturæ textu aliquas ex præfatis veritatibus, quas contrà ipsos Ecclesia Catholica firmissimè tenet, probare possint? Igitur in ipsa Catholicâ Ecclesiâ, ut optimè ait Vincentius Lirinensis Commonitorii cap. 3. *Magnoperè curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est*. Sed non propterea rejiciendum, si quandoque contigerit Ecclesiam approbasse aliquas traditiones, quæ communes toti Ecclesiæ non fuerint. Quandoquidem non priùs approbat, quàm examinatâ controversiâ, eas legitimas esse deprehendat, ut evenit in judicio ferendo de libro Baruch, & secundo Machabæorum; imò in iis & similibus suam, quam accepit à Domino, exercet instinctu Spiritus sancti, auctoritatem.

10. In libro de Ecclesiâ negat adhùc extare Scripturam sacram, quam in pulvere, & cœno à Pontificibus sepultam blasphemat. In Colloquiis Latinis cap. de Bibliis, asserit usque ad tempus Carlostadii Bibliam mansisse incognitam. Ad cap. 46. Genesis, dicit nullius esse auctoritatis versionem septuagintà Interpetrum; libros à Moyse conscriptos, se non recipere profitetur in Colloquiis convivalibus. Cap. de lege, & Euangeliis, titulo de Libris veteris, & novi Testamenti, non recipit quæ de Job scripta sunt. Ecclesiasten Salomonis nullam, dicit, habere perfectam sententiam. Sapientiam Salomonis intèr apocrypha rejicit, in sua Germanicâ Bibliorum versione. R. Ex unanimi Catholicorum consensu, qui sacram Scripturam ab Ecclesiâ approbatam, tanquàm verbum Dei scriptum recipiunt. Quid autem Lutherus sibi tutiùs revelatum jactat circà cognitionem verbi Dei scripti, quod tot prætererit Sanctos, effugerit sapientes? Sed si non extat sacra Scriptura, quarè Lutherus tot consumpsit labores, ut sacram Scripturam interpretaretur, tum veteris, tum novi Testamenti; ut obscura loca Scripturæ (licèt perperàm hoc fecerit) explanaret? ergo indè confusus remanet à se ipso Lutherus. Sed, ad quid dum negat sacram Scripturam, vel ejus sensum, vult omnibus per se innotescere? Superfluum enim erat, ut commentaria componeret ad Scripturam explanandam, si aut nulla Scriptura extat, aut omnibus clarus est, & obvius (sicut ipse ait) sensus sacræ Scripturæ. Posito autem Lutheri asserto de noto sensu Scripturæ, sequeretur quòd tàntam haberet Scripturæ cognitionem rusticus, i gnarus, ac doctus Theologus: sed de facto plures exortæ sunt controversiæ, & difficultates circà intelligentiam sacræ Scripturæ, quas Summus Pontifex in Conciliis explanavit. Ex quo apertè constat, & sacram Litteram extare in Catholicâ Ecclesiâ, & clarum, & obvium omnibus non esse semper sensum sacræ Scripturæ. Tandem, si ut contendit Lutherus, omnes haberent spiritum decisivum sacræ Scripturæ, aut certâ litera Scripturæ non esset, numquàm posset Ecclesia in uno sensu sacræ Scripturæ verè convenire, & consequentèr numquam posset unanimem doctrinam Fidelibus proponere.

11. Reprehendit eos, qui appellant ad Romanum Pontificem, eorumque appellationes deridet. Repr. Primò ex Concilio Sardicensi, quod ex toto orbe terrarum convocatum Sulpitius lib. 2. Historiæ sacræ, & Socrates lib. 2. cap. 16. Historiæ Ecclesiasticæ generale Concilium appellat; cui, teste Athanasio in secundæ Apologiæ initio, & Hilario in libro de Synodis, interfuerunt plus quàm 300. Episcopi ex triginta sex Provinciis totius orbis Christiani. In hac ergo Synodo duo Canones habentur, quartus nimirum, & septimus, qui apertè probant jure ad Pontificem appellari posse. Quartus Canon sic habet: *Cum aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commoran-*

rantur, & proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma, alter Episcopus in ejus cathedrâ, post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omninò non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata. Canon septimus sic loquitur: *Placuit, ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum dejecerint, si appellaverit qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, si justum putaverit, ut renovetur judicium, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitimâ, & propinquâ Provinciâ sunt, ut ipsi diligenter omninò requirant, & juxtà fidem veritatis definiant. Quòd si is, qui rogat causam suam iterùm audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut è latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi quid velit, & quod æstimet: & si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio; si verò crediderit Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo judicaverit.* Accedit auctoritas Gelasii Papæ, qui in epistolà ad Faustum ait: *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluere deferri, ab ipsa verò nusquàm prorsus appellari debere sanxerunt.* Et in epistolà ad Episcopos Dardaniæ: *Ad illam, inquit, de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illâ autem nemo est appellare permissus.* R. Secundò exemplis eorum qui appellarunt. Nam etiam antè Concilium Sardicense erat mos in Ecclesiâ appellandi ad Pontificem, ut meritò Leo epistola 8. ad Episcopos Galliæ dicat: *Hanc esse antiquissimam consuetudinem*; Et ratio etiam militat; si enim, ut alibi contra Lutheranos, & Calvinistas probavimus, Romanus Pontifex est caput totius Ecclesiæ, ac supremus controversiarum fidei, & morum judex, constat legitimas esse apud ipsum appellationes interpositas, cum ab inferiori, ad superiorem judicem, rectè interponatur appellatio. Deveniamus nunc ad exempla. Anno Christi 142. Pio I. Pontifice Maximo, Marcion excommunicatus ab Episcopo suo in Ponto, venit Romam, ut à Romana Ecclesiâ absolveretur. Factum refert Epiphanius hæresi 42. Anno 251. Pontifice Cornelio, Fortunatus, & Felix in Africa, à Cypriano depositi, Romam navigaverunt, atque ad eundem Cornelium appellaverunt, teste eodem Cypriano l. 1. epist.3. Non diù post Basilides in Hispania depositus, ad Stephanum Romanum Pontificem appellavit, ut notat Cyprianus ibidem epist.4. Anno 350. Athanasius ab Orientalibus depositus, ad Pontificem Innocentium I. appellavit, ab eodem restitutus est, ut refert Sozomenus lib.3. cap.7. Post annum 400. Chrysostomus à Theodosio depulsus, ad Pontificem Innocentium I. appellavit, ut patet ex epistolis ejus duabus ad eundem Innocentium. Item eodem seculo, ad Leonem appellat Flavianus Episcopus Constantinopolit., ut scribit Liberatus in Breviario, cap. 11. Ad eundem appellavit Theodoretus, ut ex epistola ejus ad Leonem apparet. Post annum 500. Gregorius l.2. epist.6. privat sacra Communione Joannem Episcopum Græcum, eo quòd judicasset Episcopum Thebanum, qui ad Apostolicam Sedem appellaverat. Plura sunt alia exempla hujusmodi appellationum ad Romanum Pontificem, quæ consultò omittuntur, quòd ea ab hæreticis contemnantur.

12. Dicit Ecclesiam Christi constare ex solis prædestinatis, seu omnes, & solos prædestinatos esse membra Ecclesiæ. Resp. Primò ex variis nominibus, figuris, & parabolis, quibus in Scripturis Ecclesia designatur; comparatur scilicèt agro Dominico Matth. 13. In agro autem simul triticum, & zizania crescit. Comparatur areæ Matth.3. In areâ autem paleæ frumentum operiunt. Comparatur sagenæ missæ in mari, in quâ boni, & mali pisces concluduntur. Matth. 13. Comparatur convivio nuptiali, ad quod intrarunt boni, & mali, posteà verò mali non habentes vestes nuptiales, projiciuntur in tenebras exteriores; undè concludit Christus Matth. 22. *Multi sunt vocati, pauci*

pauci verò electi: Id est multi sunt in Ecclesiâ, quæ est vocatio quædam, seu cœtus vocatorum, qui tamen non sunt de electis. Comparatur Matth.25. decem virginibus, intèr quas quinque sunt prudentes, quinque verò fatuæ. Comparatur ibidem ovili, in quo sunt oves, & hædi, & illæ, Christo interprete, sunt electi, isti reprobos significant. Ex quibus omnibus manifestum est in hâc vitâ bonos cum malis, prædestinatos cum reprobis simul confundi, & permisceri, donec veniat discretionis tempus, quo boni, & prædestinati in vitam æternam, mali verò, & reprobi in ignem æternum mittendi separabuntur. R. Secundò, ex pluribus absurdis, quæ sequerentur. Ac primò, sequeretur Ecclesiam esse invisibilem, & à nemine certò dignosci posse, quod est maximè absurdum. Sequeretur 2. Paganos, Judæos, Hæreticos, & quoslibet impios, si prædestinati sint, jam esse de Ecclesiâ; contrà verò, quoslibet Fideles baptizatos, atque etiam sanctioris vitæ homines, si prædestinati non sint, non esse de Ecclesiâ, quod utrumque est absurdum, cum exploratum esse debeat, Baptismum januam esse, per quam aditus patet ad Ecclesiam. Sequeretur 3. omnem penitus auctoritatem Superiorum, ac debitam ipsis reverentiam labefactari, siquidem nec oves pastores suos, nec pastores oves suas cognoscerent.

13. Dicit Ecclesiam ex solis justis, & perfectis constare, ac proindè excludit peccatores à membris Ecclesiæ. R. Primò, Quia Sacramentum Pœnitentiæ aliorum non est, quam eorum, qui sunt in Ecclesiâ: atqui Sacramentum Pœnitentiæ justorum non est, ac sanctorum, sed peccatorum, ad quorum peccata quælibet, post Baptismum admissa, eluenda, & expianda, est à Christo Domino institutum: ergo &c. Secundò, si morum pietas, & Justitia ad Ecclesiæ conditionem requireretur, visibilis non esset, & conspicua Ecclesia, atque incertum omninò foret, quinam essent de Ecclesiâ: sanctitatis enim & vitii conditio latet nos, æquè ac prædestinationis arcanum, cum scriptum sit: *Neminem scire, utrum odio, vel amore dignus sit*, Eccl.9. Tertiò, quia illi verè, & simplicitèr sunt in Ecclesiâ, qui sunt membra Ecclesiæ, saltèm imperfecta & ægra; atqui peccatores sunt membra Ecclesiæ saltèm ægrotantia, & imperfecta: qui enim pertinent ad corpus Ecclesiæ, licèt eorum animæ de Ecclesiæ virtute perfectè non participent; sunt tamen membra Ecclesiæ. Quemadmodùm enim membrum in homine, licet sit veluti mortuum, modò tamen cum ejus corpore sit conjunctum, & alicujus influxus vivificantis capax, est adhùc membrum hominis, licèt imperfectum; ità similitèr peccator, qui conjunctus est cum corpore Ecclesiæ per fidem licèt sanctificantis gratiæ, quæ est anima Ecclesiæ sit expers, est tamen membrum Ecclesiæ, quamvis imperfectum. Peccatores autem pertinent ad corpus Ecclesiæ per professionem fidei, quamvis ejus animam perfectè non participent, quia licèt fidem internam habeant, charitatem tamen non habent, quæ est forma vivificans, & virescere faciens, ergo sunt membra Ecclesiæ, quamvis arida, propè mortua, & imperfecta, capacia tamen vitæ, quia adhuc unita capiti per fidem, & indè aliquos influxus participantia ad salutem.

14. Negat dari Purgatorium, & prodesse defunctis vivorum suffragia. R. verbo *Albanenses*, *Aeriani*. Tum quia certum est ex verbis Christi Matth. cap.12. aliqua esse peccata quæ in aliâ vitâ remittuntur; sive nomine peccatorum veniant intelligenda venialia, sivè simul cum eis aliorum peccatorum in vitâ hac remissorum pœna; profectò peccata non remittuntur damnatis In inferno, ubi nulla est redemptio, nec Beatis in cælo, ubi nulla, vel levis macula, potest reperiri, ergo remittuntur his qui sunt in Purgatorio, ubi purgantur, antequàm ad Dei conspectum admittantur, & possunt suffragiis juvari. Hanc perpetuam Ecclesiæ fidem, ac doctrinam legimus accuratè expressam in publicis fidei professionibus, qualis ea est, quam Clemens IV. obtulit Michaeli Paleologo Imperat. anno 1267. apud Rainaldum ad illum annum. Ea pariter, quam anno 1274. Gregorius X. in Con-

Concilio Lugdunensi à Græcis accepit: iisdem enim omninò verbis concepta est. Idem quoque cofirmarunt Concilia, Lateranense sub Innocentio III. cap. 66. ubi dogma Purgatorii, traditione, & usu constare supponit: siquidem preces pro requie Fidelium defunctorum approbat, quas turpis lucri gratià fieri prohibet. *Pravas exactiones super his fieri prohibemus*, ajunt Patres Concilii Florentini sess. ultimà in decreto de Purgatorio, cui Græci subscripsere. Reperitur ibi eadem professio fidei, quam in Concilio Lugdunensi à Græcis accepit Gregor. X. Hoc etiam docet Concilium Tridentinum sess. 25. decreto de Purgatorio. Omitto ex professo, brevitatis studio, innumeras SS. Patruum auctoritates, communem Ecclesiæ praxim, Liturgias, morem celebrandi exequias Christianorum, & alia hujusmodi, quæ fusius pertractata videri poterunt apud veteres, & recentiores Polemicos. Vide Card. Bona in Psalmodia cap. 13., ubi agit de auctoribus, qui fidem Purgatorii propugnant.

15. Asserit omnia peccata esse mortalia. R. Ex Euangelio, ubi peccata alia æquiparantur festucæ, alia trabi; sic Lucæ 6. v. 41. Item, discretionem peccatorum exhibet Matth. cap. 5. vers. 22. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit Concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis*. Sed, cum juxta peccatum decernatur gravitas pœnæ; ex majori, & minori gravitate pœnæ, quæ ex allato textu infligitur diversis peccatis, manifestè infertur peccata esse peccatis graviora. Tum quia verbum otiosum est peccatum, nam Matth. 12. vers. 36. legitur, quòd de eo debemus rationem reddere in die judicii: ergo si omnia peccata sunt æquè gravia, dicendum foret æquè esse peccatum verbum otiosum, ac homicidium, ac furtum, ac sacrilegium, quod, quam sit absurdum dicere, nemo non videt. Nec valet inferre ex illo, quod legitur ad Rom. 6. *Stipendia peccati mors*, omnia peccata esse mortalia; nam ibi Apostolus intelligendus est loqui de peccatis solùm mortalibus, quorum stipendium est mors: quòd si etiam ad peccata venialià volunt adversarii extendere textum: dico Apostolum asserere stipendium peccati esse mortem, non quia non dentur peccata levia, sed quia peccata venialia paulatim inducunt ad mortalia: ideò loquendo de venialibus, in hoc sensu potest etiam de illis dici, quòd stipendium peccati sit mors. Neque etiam valet dicere, quòd omne peccatum sit contrà legem, & proindè omnia peccata sint mortalia; nam peccata venialia non sunt contrà legem, sed divertunt à lege, indisponunt ad observantiam, & charitatem eà indispositione remittunt. Sed confundendus est Lutherus cum suismet verbis; scripsit autem de decem præceptis antè finem: *Species, & differentias gulæ omitto, quia non semper sunt peccata mortalia*: Ex quibus verbis manifestè evincitur aliquando peccari solùm venialitèr peccato gulæ.

16. Asserit mandata Dei esse nobis impossibilia, & quòd in hàc vita non possumus illa adimplere. R. Ex Scriptura ubi asseritur plures in sanctitate, & justitià coram Deo ambulasse: & 3. Reg. 14. 8. *Non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea*. Joann. 14. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*. Ad Philipp. 4. 13. *Omnia possum in eo, qui me confortat*. Ex quibus textibus constat præcepta Dei non esse impossibilia. Tum quia Deus frustrà illa præcepisset, si non possent observari: Demum *jugum Christi suave est, & onus leve*.

17. Omnia opera, quæ fiunt sinè fide justificante, vult esse peccata, quod etiam ad ipsamet justorum opera extendere audet; cum hoc tamen discrimine, quòd justis ad culpam peccata non imputantur, sicuti imputantur infidelibus. R. primò ex sacra Scriptura. Exod. 1. Cum obstetrices Ægyptiæ mandatum accepissent à Pharaone præfocandi in ipso ortu omnes Hæbreorum masculos, illæ timuerunt Deum, nec fecerunt juxtà præceptum Regis, sed mares servaverunt; quam quidem misericordiam laudat Scriptura, nec eam sinè mercede reliquit Deus: *Benefecit Deus obstetricibus*, ait

sacer

facer contextus, *& quia timuerunt Deum, ædificavit eis domos*. Ezech.29. Rex Nabuchodonosor propter bellum fortiter gestum adversus Tyrios, sicut imperaverat Deus, mercedem temporalem accepit, terram scilicet Ægypti: *Dedi ei terram Ægypti, pro eo quòd laboraverit mihi*, ait Dominus Deus; undè meritò S. Hieronymus in hunc locum ait: *Ex eo quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede, Dei judicio præteriri*. Daniel eidem Nabuchodonosor consulit, *ut peccata sua eleemosynis redimeret, & iniquitates misericordiis pauperum*. Porrò si eleemosynæ hominis infidelis avertere poterant, aut mitigare pœnam temporalem, hæc opera non erant peccata, propter quæ veniunt adversa temporalia ad correptionem, vel æterna in damnationem. Ad Rom.2. ait Apostolus: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*. Gentes igitur naturaliter; id est naturâ duce, & absque lege scripta, ea quæ legis sunt, faciunt. Porrò legis præcepta actionem imperant, quæ bona, & recta fit, tum ex officio, tum ex fine.

R. 2. Quia homo non semper agit ex habitu prædominante; avarus enim aliquando liberalis, impudicus interdum temperans est. Imò nec homo justus, semper agit ex justitiâ; sed aliquando peccat; ergo nec infidelis semper agit ex infidelitate, quemadmodum nec peccator ex malitiâ ita ratiocinatur S Thomas 2. 2. q. 10. art. 4. Perspicuum enim est, quòd non potest opus inquinari à malitia agentis, nisi quando aliquo modo confert ad illud malitia: nam si ex bono naturæ non ex adjunctâ malitiâ, quis in bonum finem operetur, opus erit naturaliter bonum: Atque hoc modo eleemosyna hominis impudici, bona esse poterit, si fiat humanæ misericordiæ causâ; non impudicitiæ: per accidens enim opus illud est hominis impudici; per se autem misericordis.

18. Dicit quòd quidquid homo in peccato mortali facit, est peccatum, & consequenter omnia opera peccatorum, etiam fidelium peccata esse contendit. R. Ex Scripturis, quæ peccatores excitant ad pœnitentiam, mutationem morum, ac cordis conversionem; ut nempè in gratiam cum Deo redire possint. An verò ad id hortaretur, & id præciperet Scriptura, quod semper peccatum est, ac Deo displicet, quis credat? Ezech. 18. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris*. Daniel 4. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum*. Confirmant exempla, quæ in Scripturis referuntur. Publicani Lucæ 18. qui humili, ac demisso animò à longè stans, ne oculos quidem ad cælum attollere audebat, sed percutiebat pectus suum, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori*: Cornelii Centurionis, qui ut refertur. Actor. 10. *Vir erat religiosus ac timens Deum, faciens eleemosynas multas, & deprecans Deum semper*. An quæso peccatum fuit humilitas Publicani? An peccavit Cornelius cum eleemosynas dabat, & Deum deprecabatur?

R. 2. Ex Conciliis Constantiensi, a quo damnatus fuit hic error Joannis Hus, & ex Tridentino sess. 6. canon. 7. Accedunt Sanctorum Pontificum Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. constitutiones, qui hanc Michaëlis Bay propositionem proscripserunt, nimirum: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*; quia homo peccator, non semper agit ex corrupto principio, sicut justus non semper agit ex dominante justitia: undè meritò proscripta fuit hæc Bay propositio: *In omnibus suis actionibus peccator servit dominanti cupiditati*.

19. Rejicit cultum qui tribuitur Sanctis. R. verbo *Beza*: Tum quia infinita sunt in primitivâ Ecclesiâ hujusce cultus exempla: Inter alia sufficiat, quod refert Eusebius lib 7. histor. cap. 19. summâ nempè reverentiâ servatam fuisse S. Jacobi Jerosolymitani Cathedram; cujus quidem reverentiæ causam, & rationem reddit: *Satis*, inquit, *perspicuè declarantes*,

tes, qualiter tum antiquiores, tum nostri temporis Christiani, viros Sanctos, ob ipsorum erga Deum amorem debito semper honore venerati sunt, & hactenus venerantur. Idem planè tradit S. Hieronymus epistolà ad Riparium de erroribus Vigilantii: *Honoramus servos*, inquit, *ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit*; demùm accedit ratio. Quia tam licet cultu religioso prosequi Sanctos, ob eximias eorum dotes supernaturales, quàm liceat cultu politico, & civili honorare viros principes, aliosque in potestate constitutos, vel aliquà in scientià, aut arte insignes.

20. Negat Sanctos esse invocandos. R. verbo *Vigilantius*, *Henriciani*. Item aliis Scripturæ exemplis, nempè Genes. cap. 18. 19. 32. Jerem. 15. Ezech. 14. Et certè, si licitum est ad viros Sanctos, dum in terris nobiscum versantur, confugere, ut pro nobis apud Deum intercedant, quod constat pluribus Scripturæ testimoniis, præcipuè ad Thessal. 5. ubi Paulus ait: *Fratres orate pro nobis*; quantò magis ad Sanctos, qui cum Christo in cælis triumphant? nulla profectò Idololatriæ vel minima umbra hic apparet, ut nos calumnientur hæretici. Neque enim gratiam, aut gloriam à Sanctis, tanquam auctoribus postulamus, sed eos non alio fine, nec alia mente invocamus, quàm ut suis apud Deum precibus, cælestia quibus indigemus, bona nobis impetrent; & hoc est ipsos habere tanquam mediatores intercessionis, non verò tanquam mediatores solutionis pretii pro redemptione nostra; in hoc enim sensu, unus tantùm mediator noster est Jesus Christus D. N. Doctrinam hanc Ecclesiæ summa æquitate, ac sapientia Concilium Tridentinum sess. 25. expressit.

21. Negat cultum Crucis, & sanctarum Reliquiarum. Rep. à Bellarmino lib. 2. de imaginibus Sanctorum cap. 26. & sequentibus, ubi plura eam in rem momenta congessit, primò à Scripturis. 2. à mysteriis in ipsa Cruce significatis. 3. ab inventione Crucis, ex qua multiplex testimonium sumitur. 4. a testimoniis veterum, qui passim referunt quanto desiderio tenerentur fideles habendi, aut saltem videndi particulas veræ Crucis; quod ad magnum Crucis honorem pertinere, nemo dubitat. 5. ab exaltatione Crucis. 6. Si, ait Bellarminus, locus in quo Angelus stetit, terra sancta est, Josue 5. Exod. 3. cur non magis Crux ubi stetit Christus? si sudaria, & semicinctia Pauli honorabantur propter contactum, cur non magis Crux Christi Sanguine respersa? Si sacramenta honorantur, quia sunt instrumenta gratiæ, cur non Crux, quæ instrumentum est redemptionis? Imò præsertim est adoranda; quia crucifixum Dominum nobis repræsentat.

R. Etiam ex antiqua Ecclesiæ praxi, & traditione, quæ innumeris ferè momentis demonstrari potest. Sancti Ignatii Martyris Reliquias summa cura collegerunt, & asservarunt Presbyteri, & Diaconi Ecclesiæ Antiochenæ. Ruffinus l. 2. histor. cap. 26. scribit S. Joannis Baptistæ Reliquias Sebaste, summo cum honore servatas fuisse. Hinc est, quòd Cælestinus Papa in epistola ad Concilium Ephesinum, Patribus hujus Concilii sic gratulatur: *Vos Joannis Apostoli Reliquias præsentes veneramini*. Reliquias Sanctorum esse colendas docet Concil. Trident. sess. 25. de invocatione Sanctorum.

22. Docet peccatum originale, quod ab Adamo contraximus, consistere in concupiscentia, seu in prava inclinatione ad malum. R. auctoritate Concilii Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali, ubi ait: *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat. S. Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè, & propriè in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat: si quis autem contrarium senserit, anathema sit*. Accedit etiam ratio Theologica. Quia, quidquid habet rationem peccati, id per Baptismum tollitur, ut tenet Catholica Ecclesia; atqui concupiscentia illa, per baptismum non tollitur, ut constat perpetuà experientia, nam baptizati adhuc sen-

sentiunt inclinationem ad malum concupiscendum, sicut sentiebat etiam Apostolus ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*, & ad Galat. 5. *Caro concupiscit adversùs spiritum, spiritus autem adversùs carnem*, ergo concupiscentia non est peccatum originale.

23. Asserit solam fidem ad salutem, & justitiam sufficere. R. verbo *Joannes Seignour*, *Aetiani*, *Antinomi*, *Calvinus*.

24. Docet Concilia generalia ritè congregata nullius esse valoris. R. Primò illis testimoniis Scripturæ, quibus probari solet, & nos alibi probavimus, Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis, eamque ex speciali directione, & assistentia Spiritus sancti ità regi, ut non possit errare in iis quæ credenda, vel facienda, tanquam ad salutem necessaria, proponit, juxta Divinam promissionem Ecclesiæ factam: *Vobiscum sum omnibus diebus*. Illa enim, & similia debent maximè competere Concilio generali legitimè congregato, cum illud perfectè universam repræsentet Ecclesiam, adversùs quam portæ Inferi nunquam prævalebunt; neque ulla possit cogitari congregatio fidelium, quæ majoris sit auctoritatis ad aliquid statuendum in fide, & moribus. Hinc definitio Concilii ipsimet Spiritui sancto tribuitur: *Visum est Spiritui sancto, & nobis*, ajunt Apostoli in Concilio Jerosolymitano Actorum 15.

R. 2. ratione. Quia ipsa Concilia generalia legitimè congregata, satis existimant se non posse errare, cum multa proponant ex fide credenda, & oppositum sentientes, tanquam Hæreticos damnent. Hinc damnatus est Arius in Concilio Nicæno primo: Macedonius in Constantinopolitano primo: Nestorius in Ephesino: Eutyches in Chalcedonensi: Origenes in Constantinopolitano secundo: Monothelitæ in Constantinopolitano tertio: Iconomachi in Nicæno secundo, atque ut alios prætercam, Lutherani, & Calvinistæ in Tridentino. Patres etiam, & Theologi, ac universi fideles idem sentiunt de ejusmodi Conciliis, ac proindè certissimè credunt quidquid ab ipsis credendum proponitur. Verum quidem est, quòd ad hoc ut Concilium Œcumenicum sit legitimum, & non possit errare in fide, adeoque sit infallibilis credendorum regula, debet adhærere Summo Pontifici. Undè & canonicum non est, nisi cum fuerit ab eodem approbatum, & cum Patres in Conciliis generalibus congregati, suarum omnium definitionum confirmationem petere soleant à Summo Pontifice, satis ostendunt ipsorum judicium posse retractari, donec accesserit approbatio Pontificis.

25. Docet ad valorem Sacramentorum nullam requiri ministri intentionem, adeoque valere Sacramentum, quod minister per jocum, & irrisionem non tantùm internam, ac latentem, sed etiam externam, ac manifestam perficit, aut confert. R. 1. Ex Scriptura, in qua ita supponuntur Sacramenta instituta à Christo, ut voluerit ea fieri dependenter ab intentione, saltem prudenter æstimabili ministri: *Sic nos existimet homo*, ait S. Paulus, 1. ad Corinth. 4. *ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Dispensator autem, ac minister fidelis talis existimatur, cum id prudenter & rationabiliter facit, quod commissum sibi à Domino dignoscitur. R. 2. Auctoritate Eugenii IV. Leonis X. & Concilii Tridentini. Eugenius IV. in decreto, seu instructione Armenis data: *Omnia*, (inquit) *Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ ministri conficientis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum*. Concilium Tridentinum sess. 7. canon. 11. *Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit*; & sess. 14. cap. 6. ait: *Illum fore salutis suæ negligentissimum, qui Sacerdotem jocosè absolventem cognosceret, & non alium sedulò agentem requireret*; & can. 9. ejusdem sess. sic statuit: *Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non*

esse actum judicialem, *sed nudum ministerium pronuntiandi*, *& declarandi remissa esse peccata confitenti*, *modo tamen credat se esse absolutum*, *aut Sacerdos non seriò*, *sed joco absolvat . . . anathema sit*. Reprob. etiam auctoritate S. Thomæ, & ratione quà ille utitur 3.parte quæst. 64.art. 8.

26. Negat utilitatem, & necessitatem cœremoniarum Ecclesiæ in Sacramentis, in Liturgiis &c. R. auctoritate Concili Tridentini, sess.22. De Sacrificio Missæ, cap.5. & ex Cathechismo Romano parte 2. num. 16. & iterum ex Concil. Trident. sess.7. canon. 13.Tum ex his quæ dicta sunt verbo *Adiaforistæ*.

27. Docet unum esse naturà, & efficacià Christi, ac Joannis Baptismum. R. Ille ritus naturà, & substantia diversus fuit à Baptismo Christi, qui nec Sacramentum fuit, nec Christum habuit auctorem, nec ejusdem formæ fuit, ac necessitatis: at qui talis fuit Baptismus Joannis. 1. quidem non fuit Sacramentum, quia verum Sacramantum signum est stabile, ac permanens: at Joannis Baptismus brevissimo duravit tempore. Tum etiam, quia ut ait S. Thom. 3. parte, q.38. art.1. ad primum, Baptismus Joannis fuit quasi quoddam Sacramentale disponens, ac præparans ad Baptismum Christi.

2. Baptismus Joannis Christum non habuit auctorem. Hinc nusquam appellatur aut Baptismus Christi, aut simpliciter Baptismus, sed Baptismus Joannis; quà limitatione, Scriptura non tantùm innuere voluit Joannem fuisse ministrum hujus Baptismi (aliàs pari ratione Baptismus Christi dici posset Baptismus Petri, vel Pauli, qui sunt tantum illius causæ ministeriales, quod tamen ne dicatur, vetat Apostolus 1. Corinth. 1.) sed innuere voluit Joannem auctorem esse illius Baptismi, quanquam inspiratione, ac motione cælesti ductus ille fuerit ad hunc ritum instituendum.

3. Baptismi Joannis non eadem fuit forma, quæ Baptismi Christi. Maximè cum incertum sit, utrum Joannes aliqua verborum formulà inter baptizandum usus fuerit; tum quia si usus est istà formà, quæ insinuatur Actor. 19. *Baptizo vos in eum*, *qui venturus est*, sanè omnino diversa est ab eà, quam præscripsit Christus Matth.28.

4. Denique Baptismus Joannis æqualis non fuit necessitatis cum Baptismo à Christo instituto; hic enim omnes obstringit tam parvulos, quàm adultos; ille verò, cum esset Baptismus pœnitentiæ, solos adultos; undè rursus baptizati sunt, qui solo Joannis Baptismo, non verò qui Baptismo Christi tincti fuerunt. Tum quia Baptismus Joannis diversus omninò fuit à Baptismo Christi virtute, & efficacia; nam Baptismus Joannis fuit tantùm in aqua, non autem in Spiritu sancto, sicuti erat Baptismus Christi, ut testatur ipsemet Joannes capite 1. *Ego baptizo in aqua*, *medius autem vestrum stetit*, *quem vos nescitis*, *hic est qui baptizat in Spiritu sancto*. Et Marc. 1. *Ego baptizavi vos aqua*, *ille vos baptizabit Spiritu sancto*. Undè meritò Concilium Tridentinum sess. 7. canon. 1. De Baptismo ita definit: *Si quis dixerit Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi*, *anathema sit*.

28. Dicit peccata quidem per Baptismum non imputari, sed negat ea verè deleri. Repr. nam præter auctoritates, quibus suprà probavimus novæ legis Sacramenta conferre gratiam interiorem sanctificantem, & consequenter aliqua primariò, & per se peccata delentem: non desunt aliæ auctoritates speciales, probantes per Baptismum verè, & propriè omnia peccata remitti: 1. ad Corinth. 6. *Abluti estis*, *sanctificati estis*, *justificati estis*, ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, *& renovationis Spiritus sancti*. Actor. 2. *Pœnitentiam agite*, *& baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*. Item Actor. 22. Paulo dicitur: *Exurge*, *baptizare*, *ablue peccata tua*. His omnibus accedit auctoritas Concilii Tridentini sess. 5. canon. 5. Insuper Concilium Trident. sess. 7. canon.6. de Baptismo, damnat propositionem, in quà asseritur, quòd baptizatus damnari non possit etiam

si ve-

si velit, nisi nolit credere. Demum canone 7. 8. 9. 10. alias Lutheri ineptias, & figmenta circa Baptismum condemnat: ad quos sacros canones lectorem remittimus.

29. Negat veritatem, & necessitatem Sacramenti Confirmationis, quam dicit meram esse cœremoniam. Rep. ex sac. Script. Actor. 8. & 19. Tum quia ad verum, & propriè dictum novæ legis Sacramentum, quatuor potissimùm habemus notiones: 1. ut sit signum sensibile: 2. ut sit à Christo Domino institutum: 3. ut vim habeat producendi, seu conferendi gratiam; 4. ut sit perpetuum in Christiana religione; at qui quatuor illæ notiones apprimè conveniunt Sacramento Confirmationis, & ritè inferuntur ex duplici citato Scripturæ testimonio. Habemus enim signum sensibile, scilicet *manus impositionem, & orationem*, signum illud, seu ritum illum sensibilem à Christo Domino esse institutum ex facto, & exemplo Apostolorum constat; neque enim illi viri justi, talem ritum usurpassent, & Ecclesiis quas fundarunt reliquissent, si secus foret. Insuper signum illud sensibile vim habet conferendi gratiam: *Imponebantur manus, & accipiebant Spiritum sanctum*, ait sacer textus. Denique signum illud non transitorium, & ad tempus institutum fuisse, sed permanens, atque perpetuum in Ecclesia, invictè demonstratur ex praxi, & usu Ecclesiæ nusquam interrupto, atque ex SS. Patribus, quorum auctoritates, brevitati consulentes, omittimus. Ritum autem externum hujus Sacramenti, non meram esse Baptismi cœremoniam, ut Novatoribus placet, sed verum & proprium Sacramentum, definit Concilium Trident. sess. 7. canon. 1. de Confirmatione.

Quoad necessitatem verò, quamvis non simpliciter talem, sed ad perfectiùs militandum Christo, & fortiùs agendum, tenetur quilibet Christianus ad eam perfectionem contendere, quæ necessaria est, ut securitati suæ consulat, & pericula adversùs fidem constanter superet: Adversarius enim noster diabolus, ait S. Petrus in sua 1. epist. canonicâ cap. 5. *Tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide*. Et ad Ephes. 6. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias diaboli*. At qui ad hoc maximè confert Sacramentum Confirmationis, ut constat ex SS. Patribus, qui ajunt sinè illo hominem non perfici, non consummari, non habere plenitudinem gratiæ, nempè per se; licet per accidens possit illam habere. Undè S. Thomas 3. parte, quæst. 72. art. 1. ad tertium: docet *Sacramentum hoc cooperari ad perfectionem salutis, & hoc modo esse de necessitate salutis, quamvis sinè illo possit esse salus*; & art. 8. ad 4. infert Sacramentum hoc etiam moribundis conferri debere, ut in resurrectione perfecti appareant.

30. Dicit Sacramentum Eucharistiæ consistere, in usu, & sumptione, adeoque solùm quandò sumitur Eucharistia, in ea fieri realiter præsens Corpus Christi. Repr. 1. ex ipsis verbis institutionis, quia priùs Christus dixit: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus*, quàm discipulis porrexerit Corpus ad manducandum, & Sanguinem ad bibendum. Ita Concilium Trident. sess. 13. cap. 3. *Verùm* (inquit) *illud in ea* (Eucharistia) *excellens, & singulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est: nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum verè tamen ipse affirmaret Corpus suum esse, quod præbebat*. Et hoc etiam colligitur manifestè ex sacro textu. Ratio enim quà Christus suos discipulos invitat ad manducandum, & bibendum, hæc est, quia sub pane Corpus, & sub vino Sanguis continetur; particulam siquidem causalem *enim* usurpat Christus apud Sanctum Matthæum cap. 26. *Dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus novi Testamenti*. Unde, & à S. Luca c. 22. & à S. Paulo 1. Corinth. 11. priùs dicta referuntur verba, quibus Calix consecratur, quàm Apostoli calicem hauserint; ergo priùs fuit Corpus sub specie panis, & Sanguis sub specie vini,

quàm discipuli manducarent, vel biberent, & consequenter ratio Sacramenti non consistit in illa actione, qua manducatur Corpus, & Sanguis bibitur; quod enim prius est, non pendet ab eo, quod est posterius. Addendum est, quòd verba Christi ex se ipsis operativa sunt, & efficacia, adeoque illud ipsum effecerunt, quod significabant, etiam seposito usu, seu sumptione, quæ ad effectum quidem Sacramenti percipiendum necessaria est, non ad veritatem ipsam realis præsentiæ comprobandam. R. 2. ex antiqua, & constanti praxi Ecclesiæ asservandi Eucharistiam. Praxim hanc, & disciplinam Concilium Trident. sess. 13. c. 6. exponit.

31. Docet 1. effectum primarium, & directum Sacramenti Eucharistiæ esse mortalium peccatorum remissionem; 2. ad dignam præparationem Communionis, non requiri ut quis non sit sibi conscius peccati mortalis, sed ad illam satis esse fidem, quà certò credat sibi in eo Sacramento omnia peccata esse remittenda. R. uterque error. Matth. 22. punitur severissimè, qui ad regium convivium sine veste nuptiali intrare præsumpsit. *Legatis pedibus, & manibus*, (inquit Rex convivii) *mittite eum in tenebras exteriores*. Ibi vero adumbrari convivium Eucharisticum, concors est SS. Patrum, & Interpetrum sententia. Denique 1. Corinth. 11. Apostolus pronuntiat: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini*. Ex quibus testimoniis manifestè colligitur, præviam esse debere in suscipiente Eucharistiam, animæ puritatem, ac sanctitatem, adeoque Sacramentum hoc ex se, ac directe institutum non esse ad tollendum peccatum mortale, & primam gratiam sanctificantem producendam. Quod propugnari etiam potest ratione Theologica; quia Sacramentum Eucharistiæ institutum est per modum alimenti spiritualis: *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus*, inquit Christus Joann. 6. alimentum autem spirituale supponit in eo, qui illud sumit, vitam spiritualem animæ, sicut alimentum corporale vitam corporis.

R. 2. Ex constanti Ecclesiæ totius traditione. Certum quippe est ab Altari semotos, ac separatos olim fuisse, qui propter crimina luctuosam decurrebant pœnitentiam. Ita colligitur ex Conciliis Illiberitano, canon. 78. & 79. Ancirano canon. 4. 5. & 7. Nicæno canon. 11. Arausicano 1. can. 3. Et ex S. Cypriano epist. 14. 15. 16. & tractatu de lapsis. Hinc alta voce inter Missarum solemnia clamamabat Diaconus, *Exite Cathecumeni, Pœnitentes, indigni*. Synodus Tridentina hunc etiam Novatorum errorem proscripsit, & anathemate confixit.

32. Negat Missam esse verum, ac proprie dictum Sacrificium. R. ex his quæ dicta sunt contra *Faustum Manichæum*. Tum quia in Missa, omnes conditiones ad perfectum Sacrificium requisitæ, occurrunt. Quinque enim ad Sacrificium perfectum conditiones requiruntur. 1. Ex parte ministri requiritur, ut verus sit ordinatione, seu consecratione Sacerdos; ita enim connexa sunt inter se Sacrificium, & Sacerdotium, ut separari non possint. *Omnis Pontifex*, ait Apostolus, Hebr. 5. *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis*: at qui in Sacrificio Missę habemus summum, æternum, & invisibilem Sacerdotem Christum, qui seipsum visibili Sacerdotum ministerio Deo Patri offert: *Una enim, & eadem est hostia*, ait Concilium Trident. sess. 22. cap. 2. *idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa*. 2. Ex parte materiæ requiritur, ut sit res aliqua externa, & sensibilis quæ offeratur. *Omnis enim Pontifex*, ait Apostolus, Hebr 8. *ad offerendum munera, & hostias constituitur*: at qui in Sacrificio Missæ sub speciebus externis, ac sensibilibus panis, & vini, Christus realiter continetur, & offertur. 3. Ex parte formæ requiritur, ut res illa sensibilis, quæ in Sacrificio offertur, perimatur, aut immutetur; nimirùm ad declarandum, & confitendum supremum Dei in

res

res omnes dominium, atque idcircò requiritur, ut non solùm usus rei Deo offeratur, sed & ipsa substantia, quod fit per consumptionem, aut immutationem. Porrò in Sacrificio Missæ sub speciebus panis, & vini, à quibus consecrando substantia deficit, ipse Christus vera hostia constituitur; dum autem consumuntur species, deficit etiam Sacramentalis modus essendi Christi sub illis, & separatur realis illa præsentia Christi, quà veluti panis substantia, seu substantiæ loco ibi erat, absque tamen accidentium inhæsione; undè totum illud consumitur Sacramentum, & separatio animæ Christi à corpore, quam in cruce perfecit, repræsentatur; ipseque Deus vitæ, & mortis Dominus agnoscitur summi hujus Sacrificii opere; quemadmodùm in Cruce pendens ipsà sui oblatione summus Sacerdos Christus illum confessus est. Undè idem nunc, ac tunc Sacrificium, diversus tamen modus. 4. Ex parte finis requiritur ut implicitè, vel explicitè referatur ad honorem Dei; si alio fine fiat, non est Sacrificium. Ratio est manifesta, quia Sacrificium est *actus religionis*, *quo significatur interna nostra existimatio de excellentia Divina*, reverentia nostra, affectus servitutis, dependentiæ, ac subjectionis erga Deum. Quis porrò negabit Sacrificium Missæ, in quo Christus ipse Deus, & homo, Deo Patri offertur, referri in gloriam Dei? 5. Denique ex parte loci requiritur, ut in Altari offeratur, quod magis ad ritum, quàm ad essentiam pertinet; ritus tamen iste naturali, Divinaque lege inductus est. Constat 1. ex usu omnium gentium. 2. ex Scripturis, ubi altaria non leguntur erecta, nisi ad usum Sacrificii, vel certe ad significationem illius. 3. ex usu, & praxi Christianorum, apud quos erecta semper fuere Altaria, ut Sacrificium offeretur; ista momenta probant, non solùm Missam esse verum Sacrificium, sed etiam illud Missæ Sacrificium reponendum esse non in solà mortis commemoratione, ac repræsentatione, ut volunt Novatores, sed in oblatione incruentà, & mysticà Christi realiter præsentis sub speciebus panis, & vini; nam essentia Sacrificii, ut mox dicebamus, in aliqua immolatione consistit. Ex quibus colligitur primò contra Novatores, Missæ Sacrificium verè propitiatorium esse, ac impetratorium. 2. Colligitur ritè offerri pro omnibus fidelibus Christianis, tam viventibus, quam defunctis, & eorum necessitatibus.

33. Damnat Missas privatas, in quibus solus Sacerdos communicat, & hujusmodi Missas ad invidiam *Angulares* appellat. R. Auctoritate Concil. Trident. sess. 22. cap. 6. Accedit etiam ratio Theologica, quia Sacrificium pro omnibus, etiam absentibus offertur, omnesque secundùm animorum dispositionem fructum ejus participant; atque etiam illi præsentes, qui realiter de Corpore Domini non communicant, offerunt tamen unà cum Sacerdote, & spirituali communicatione gaudent; quod ipsum Tridentinum laudatum sanctissimè docet, rectissimeque indè privatarum Missarum utilitatem deducit, & commendat. Optandum quidem esset ut præsentes omnes realiter communicarent; atque quod in plurimorum præsentià semper Sacrificium offerretur; id enim optimè congruit naturæ Sacrificii. Sed dum ita semper fieri non potest, præstat totius Ecclesiæ nomine Sacrificium offerre, etiam privatim, quam illud omittere, ne sancta Ecclesia tanti boni participatione, & utilitate privetur. Nam si orationes privatæ, omnibus pro quibus fiunt, utiles sunt, quantò magis summum Sacrificium Christi, orantis Patrem, quod a Sacerdotibus orando renovatur?

34. Negat Sacramentum Pœnitentiæ verum esse, & propriè dictum Sacramentum, omnibus lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, & à Baptismo: ejusque memorià distinctum. R. Quia omnes conditiones requisitæ ad verùm, & propriè dictum novæ legis Sacramentum Pœnitentiæ Sacramento conveniunt; nam primò est signum externum, & sensibile, tum ex parte pœnitentis, peccata sua declarantis, & interdum animi dolorem significantis, tum ex parte Sacerdotis

tis absolventis per certa, & determinata verba. 2. Est signum perpetuum; quia cum Christus concessit Ecclesiæ auctoritatem dimittendi peccata, eam certo temporis spatio non circumscripsit. 3. Signum illud est à Christo Domino institutum, cum nempè ait Concilium Trident. sess. 14. cap. 1. *A mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. 4. Signum illud non est sterile, sed efficax, quod habet annexam gratiæ promissionem, nempè remissionem peccatorum. Indè meritò Concil. Tridentinum sess. 14. canon. 1. sic decrevit: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè, & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsis Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum, anathema sit*. Ex quo patet Sacramentum Pœnitentiæ esse omnibus lapsis post Baptismum ad salutem necessarium. *Est autem*, ait Concil. Trident. laudatâ sessione cap. 2. *Hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus*. R. 2. Lutherani, & Calvinistæ, asserendo contra ipsos Sacramentum Pœnitentiæ esse distinctum à Baptismo, ejusque memoria, ratione Theologica, ductâ ex discrimine, quod est inter Sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ, & quod doctè, & eleganter exponit Concil. Trident. sess. 14. cap. 2. scilicet: Sacramentum Pœnitentiæ habet subjectum ministrum; formam, materiam, & effectum omninò diversum, & distinctum à Baptismo: subjectum Pœnitentiæ est homo baptizatus; Baptismi verò capax est homo quilibet. Minister Pœnitentiæ est solus Sacerdos; Baptismi homo quilibet, licèt citrà necessitatem soli liceat Ecclesiæ ministro. Peccatum originale, & omnia actualia per Baptismum delentur; sola verò actualia peccata, quæ Baptismum sequuntur, per Pœnitentiæ Sacramentum auferuntur: materià autem Baptismi est aqua, sicut forma illa: *Ego te baptizo &c.* materia vero Sacramenti Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis; forma verò, verba, quibus Sacerdos absolvit. Igitur Baptismus, & Pœnitentia duo sunt planè distincta Sacramenta, ut Concil. Trident. sess. 14. can. 2. definivit.

35. Negat tres esse partes Pœnitentiæ, contritionem nimirum, confessionem, & satisfactionem, & duas tantùm admittit, terrores scilicet incussi conscientiis agnito peccato, & fides concepta ex Euangelio, vel absolutione, quà credit quis sibi per Christum esse remissa peccata. R. Illæ censeri debent partes Sacramenti Pœnitentiæ, quæ à virtute ipsa Pœnitentiæ promanant: atqui terrores illi conscientiæ incussi, & fides, seu fiducia obtentæ remissionis peccatorum, non promanant ex virtute Pœnitentiæ, sed eam antecedunt; ad eam quidem excitandam prosunt, eam inchoant, aut inducunt, non tamen verè constituunt. Pariter vana est illa Hæreticorum fiducia, quæ verum de peccatis dolorem non importat; nec Divinæ promissioni innititur. Si verò fiducia illa, pro spe certâ consequendæ per Christum salutis habeatur, hæc quoque antecedit, vel comitatur, & sequitur Pœnitentiam. Hinc meritò hanc Lutheri doctrinam damnavit Synodus Trident. sess. 14.

36. Docet Confessionem peccatorum in specie, ex Ecclesiæ universalis instituto, non Divino jure institutam esse, vocans Confessionem: *Cruentissimam carnificinam*. Melancthon vocat eam: *Conscientiarum laqueum*. Calvinus in Antidoto Concilii Trident. ait, nullum fuisse per annos mille in Ecclesia Confessionis usum, donec Innocen. III. laqueum hunc populo Christiano induxit: undè Confessio *Tormentum Innocentianum* à Calvinistis solet vulgò appellari. R. Nam obligationem confitendi auricularitèr peccata in specie, probat effatum illud D. Augustini lib. 4. contrà Donatistas cap. 24. *Si quisquam in hac re auctoritatem Divinam quærat, quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè*

cre-

creditur. Atqui talis est obligatio confitendi peccata; neque enim assignari potest quo in Concilio primùm fuerit instituta. Quod enim de Concilio Later.4. garriunt Novatores, fabula est, nec unquam id probare potuerunt. Ergo &c. Tum quia si lapsi peccata solùm in genere, non in specie confiterentur, Sacerdos non posset agere personam judicis, & medici; non judicis, quia judex exigit probatum in specie, & numero delictum, ut sententiam proferat; non medici, quia nullus medicus curat infirmos in genere. Hinc habetur summà Christi charitate institutam esse Confessionem integram peccatorum, ut salutem suam Christianus peritis directoribus commendare teneatur, quam secùs passionibus suis, & ignorantiis cœcè committeret, & in æternum amitteret. Ideò qui verè pœnitentes sunt, gratias agunt Deo, qui illos ad remedium conscientiarum quærendum adegit, atque piissimum judicium criminum, antè finalem discussionem, ad emendationem instituit. Illi solùm blasphemant, qui quæmadmodùm hæretici, de quibus paulò ante mentionem fecimus, superba præsumptione sibi fidunt, & corrigi recusant. Adde, Orientales auricularem Confessionem perpetuà praxi observare, quam certè non aliundè, quam ex Divina traditione habuerunt, ut ostendit Naironus in sua Evoplia, & Abrahamus Fechellensis in notis ad Catalogum Scriptorum Orientalium Hebdiesu Patriarchæ Chaldæi, quod & ipse Hebdiesu Romæ, eo tempore, quo Tridentinum Concilium celebrabatur, confessus est.

37. Docet necessario exigendam esse à pœnitentibus pœnalem satisfactionem, tantùm ad novæ vitæ custodiam, ad infirmitatum medicamentum, & aliorum exemplum, non verò ad præteritorum peccatorum vindictam; seu veram satisfactionem Ecclesiæ tantùm, non Deo exhibendam. R. Multis sacræ Scripturæ exemplis, quæ significant Deum post condonatum peccatum, ultricem pœnam temporalem à pœnitente adhuc reposcere. Illustre inprimis est exemplum Davidis lib. 2. Regum cap. 12. Quanquam enim à Propheta Nathan audivisset: *Dominus transtulit peccatum tuum: non morieris*, statim adjungit: *Veruntamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi; morte morietur*. Et infra: *Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quòd contempseris me, & tuleris uxorem Uriæ*. Remittit ex unà parte Deus culpam, & pœnam æternam, & ex alterà temporalem pœnam morte filii ex patre ipso repetit, non tantùm in disciplinam, & emendationem Davidis, & aliorum exemplum, ut solent respondere Novatores, sed etiam in vindictam peccati, quanquam dimissi. Eodem lib. 2. Regum cap. 24. Quamquam Deus condonasset Davidi peccatum, quod in numerando populo commiserat; tamen superstes pœna solvenda proponitur, & ipsi datur optio, ut eligat bellum, aut famem, aut pestem. Exodi 32. intercedente Moyse apud Deum, nè universum populum internecione deleret, ob crimen adorati vituli aurei, placatus quidem dicitur Dominus attamen ait: *Ego in die ultionis visitabo, & hoc peccatum eorum*. Numerorum 14. ob murmurationem populi iratus est Dominus, & oratione Moysis ità placatus, ut dixerit: *Dimisi juxta verbum tuum*; Attamen addit: *Omnes homines, qui viderunt majestatem meam, & signa, quæ feci..... non videbunt terram &c.* Hic addenda sunt ea Scripturæ loca, quibus viri justi, & sancti declarant se propter sua peccata, haud dubiè præterita, & jam à Deo condonata, puniri, & affligi hac in vita. Ità Tobias 3. dicebat: *Quoniam non obedivimus præceptis tuis, ideò traditi sumus indireptionem, & captivitatem*: Et Danielis 3. tres pueri in fornacem missi, ajunt: *In veritate, & in judicio induxisti hæc omnia propter peccata nostra*: Unde Joannes confluentibus ad se Judæis dicebat Matth. 3. & Lucæ 3. *Quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*. Hanc fidei veritatem probat constans

SS.Pa-

SS. Patrum, & totius Ecclesiæ traditio perpetua, Concilium Trid. sess. 6. c. 14. Can. 30., & sess. 14. cap. 8. Can. 12. Igitur, quanvis Deus ex misericordiâ suâ, & merito charitatis diligentium ipsum, perfecta contritione se conterentium, culpam simul & pœnam peccatoribus dimittat; tamen remissionem culpæ non semper consequitur remissio pœnæ, quia non semper talis est in peccatore pœnitente contritionis intensio, ut Dei misericordiam movere valeat ad remissionem culpæ simul, & pœnæ; quin imo frequentissime remissior est, quàm quæ debitum pœnæ valeat extinguere, prout non extinguit attritio; ideoque cum sanctificatos virtute Sacramenti manere non possit pœna æternæ damnationis, manet eos cruciatus temporalis.

38. Negat utilitatem indulgentiarum, quas ad invidiam vocat Ecclesiæ fraudes, & meras Pontificum imposturas, Fidelibus noxias. R. Ex Scripturis Matth. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Nihil excipit Christus: non culpam, quæ in Sacramento, non temporalem pœnam, quæ extrà Sacramentum dimittitur. Joann. 20. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Porro auctoritas conferendi indulgentias, seu solvendi à pœna temporali, supplendo aliundè satisfactioni justitiæ, includitur in auctoritate, seu potestate absolvendi, & retinendi peccata: qui enim potest peccata remittere, ac retinere, potest etiam opera laboriosa in vindictam scelerum imponere: sed quisquis potest hæc opera laboriosa imponere, ea potest cum expedit, aliqua ex parte relaxare; ad eandem enim potestatem utrumque pertinet: & quidem illam potestatem à Deo acceptam, semper vel ab initio exercuit Ecclesia. Insuper Ecclesia confitetur communionem Sanctorum: hæc communio Sanctorum non subsisteret, si eorundem meritorum non fieret in Ecclesiâ charitativa participatio. Si autem hæc participatio fit etiam sinè ullâ speciali indulgentiarum concessione, sed solo influxu vivificantis charitatis, consequens est ut eâdem charitate operante, & secundùm spiritum ejus, plus applicari possit de communibus meritis indigentibus membris; quippè omnes unum corpus sumus in Christo. Hæc verò applicatio congruit ut fiat ab eo, qui potestatem in ipsum corpus habet ad ædificationem. Item, Ecclesia Christi est regnum bene fundatum, ideoque habere debet suum thesaurum, in quo continentur infinita merita Christi, & superabundantia merita B. M. V. & omnium Sanctorum. Superfluus autem esset hic thesaurus Ecclesiæ, si non haberet thesaurarium, qui posset juxtà necessitatem fidelium de thesauro disponere. Merita Cristi esse infinita, non negant ipsi hæretici, sicut & B. M. & plurium Sanctorum esse superabundantia; ideoque negare nequeunt Ecclesiæ thesaurum: sed neque negare prudentèr possunt Christum constituisse thesaurarium, qui possit dispensare pro opportunitate, scilicèt D. Petrum, ejusque successores, quibus dixit: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Quæ auctoritas solvendi, comprehendit omne vinculum, quod potest animam retardare a consecutione vitæ æternæ: ideoque potest etiam solvere non modò reatum, sed etiam pœnam temporalem peccatis debitam, quod fit mediante applicatione meritorum Christi, & Sanctorum, in quibus Christus promeruit. Quod consueverunt Pontifices peragere ab initio Ecclesiæ usque ad hæc tempora, scimus enim à tempore immemorabili eam praxim custodiri in Ecclesia, ut illi, qui propria merita sufficienter non habent, per quæ satisfaciant pœnæ suis culpis debitæ, satisfactionem impendant mediante applicatione meritorum Christi, & Sanctorum ejus: quæ doctrina concernens indulgentiarum usum, abundè exprimitur a Concil. Trid. sess. 25. *De Indulgentiis*. Ex quo decreto constat esse in Ecclesia potestatem concedendi indulgentias, quorum usus, salutaris est Fidelibus, etiam defunctis in Purgatorio existentibus, per modum suffra-

fragii: nam vivis indulgentiæ prosunt per modum absolutionis, defunctis vero, qui ampliùs non sunt absolutionis capaces, quippè non sunt sub Ecclesiæ potestate, dantur per modum suffragii Utrisque verò conveniunt per modum solutionis, ut absque ullà justitiæ injuria liberentur à debità pœnà.

39. Asserit Christi animam apud inferos damnatorum pœnam exolvisse. R. Ex prima Petri cap. 3. vers. 19. *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit*. Ex quibus, & aliis locis apertè constat Christum apud inferos non exolvisse damnatorum pœnas, cum potius à Limbo liberaverit ibi detentos. Tum quia pœnæ damnatorum debentur solis damnatis, & peccatoribus. Tum quia descendente Christo ad inferos, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis, ergo non potuit pati, qui descendit ad inferos, ut patientes liberaret, & consolaretur. Vide verbo *Beza*.

40. Invehitur contrà observantiam festivitatum in honorem Christi, & Sanctorum. Reprob Actorum 20. vers. 16. *Festinabat, si possibile sibi esset ut diem Pentecostes faceret Jerosolymis*. Prima ad Cor. 16. 2. *Per unum Sabbati unusquisque vestrum apud se seponat*. Apocal. 1. 10. *Fui in spiritu in Dominica die*. Ex quibus textibus patet antiquus usus in Ecclesia celebrandi dies festos, de quorum observantià agitur in constitut. Apostolicis lib. 2. cap. 59. lib. 5. cap. 12. 16. 19. lib. 8 cap. 33. Tum quia etiam in lege veteri erant dies præcepti, in quibus in honorem Dei à manuali labore cessabatur, ergo &c. Tandem festivitates instituuntur, ut memores beneficiorum Dei, ejus cultui in gratiarum actionem vacemus, à terrenis rebus spiritum extollentes, & erigentes in spem æternæ fœlicitatis, quod maximè congruit fieri diebus ipsis, quibus beneficia nobis à Deo collata memorantur, intèr quæ ritè adscribuntur Sanctorum natalitia: agimus enim in natalitiis Sanctorum gratias Deo, quòd è genere nostro assumpserit creaturas suas ad cæli principatum, atque futuram nos sperare gloriam ex fide Catholicà protestamur, eorundem Sanctorum patrocinium interpellantes, & merita allegantes; quemadmodùm sub veteri testamento allegabantur merita Abraham Isaac, & Jacob. Meritò itaque cum Propheta Novatores exsibilamus illis verbis: *Cognatio eorum simul: quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra*.

41. Asserit Mariam Dei Matrem peccasse. Repr. Lucæ 1. *Ave gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus*: Ergo si Maria habuit plenitudinem gratiæ, non peccavit. Mariæ sanctitatem testantur omnes SS. Patres, ipsa est de quà legitur Cantic. 4. 7. *Tota pulchra es, & macula non est in te*. A convenientià deducuntur etiam validissima argumenta, ad probandam Mariæ sanctitatem, & ab omni peccato immunitatem, quæ virtutibus eminentior fuit, quàm titulis.

42. Dubitat an Maria in cælum corpore, & anima assumpta sit; ideò libro De piis cæremoniis Ecclesiæ, festum Assumptionis Mariæ abrogandum censet. R. Testimonio veterum, & recentiorum Patrum. Item ex Concilio Salegustadiens: celebrato ann. 1020. in quo c. 1. legitur: *Christiani sint in abstinentià in vigilià Assumptionis S. Mariæ*. Videatur hac de re Marius Victorinus Episcopus Reatinus, in scholiis in Hieronymum. Sicut etiam S. Bernardus Epist. 174. ad Lugdunenses. Tum quia congruum videtur, non debuisse corrumpi corpus Mariæ, undè corpus Christi assumptum fuit.

43. In hanc prorumpit blasphemiam, in postilla majori ad Euangelium in Nativitate Mariæ: *Ferre nequeo, ut Maria dicatur spes, & vita mea*. R. Et quidem Mariam esse omni laude dignam constat ex liturgià D. Petri, D. Marci, & D. Jacobi. Mariam sufficit dicere fuisse Christi Matrem, ut quàm meritò à nobis honoretur, concipiamus. Sed confusus est Lutherus ex eo, quod scripsit in comment. super *Magnificat*, ubi omni laude dignam esse, cunctis hominibus superiorem, asserit. Non potuerunt conticere Ma-

Mariæ laudes ipsi hæretici, Œcolampadius sermone De laudando in Maria Deo. Brentius ad cap. 1. Lucæ. Joannes Spangenbergius in Euangelium de Assumptione Mariæ. Urbanus Regius in minori Catechismo. Martinus Bucerus ad cap. 1. Matth. Henricus Bullingerius serm. de B. M. Virgine, quorum verba ad rem refert Coccius lib. 3. art. 5. Quo autem sensu Beata Virgo dicatur: *Vita & spes nostra*, manifestum est sincerè intelligentibus, per ipsam enim affulsit mundo vera vita Christus, indè effluxit æternæ fœlicitatis spes, atque ejusdem intercessione vivere in æternum speramus. Vide S. Bernardum serm. in *Salve Regina*.

Ad Lutherum Apostrophe.

* IMpie, & blaspheme Lutter, imo Lotter quoniam tu verè nequam, ferre nequis quod Maria dicatur spes & vita nostra, reliquum est ut in ænum desperata sit salus tua. Et qui per incestuosas nuptias Virginum Deo sacrarum deturpator fuisti, jam non poteras te non exhibere avversum sacrarum Virginum signiferæ, à quo natus, qui pascitur inter lilia. In Sanctissimam Dei Matrem, cui modulatis laudibus, jam à tot seculis experientià edocta canit Ecclesia, cunctas hæreses interimisti in universo mundo, nequisti tu tot hæreticorum parens tua continere improperia, ausus inter peccatores connumerare Cælorum Reginam, quam Sanctorum Sanctam, justorum gloriam, peccatorum veniam cum mellifluo cellebrat cattolicorum cætus. Sed jam in illo æternæ damnationis, & miseriarum pellago immersus, quàm meruisti ò Lotter recepisti tuarum blasfemiarum pœnam: tuum est sentire dispendium æternæ damnationis tuæ. Magnum caos inter te & nos, qui æternæ salutis in misericordiæ Matre habemus spem nostram repositam, tecum alloquentes scimus quod aspidi surdæ canimus: jam tecum verba facere erubescimus: saniori consilio ad illam quam despexisti, Mariam scilicet totà mente, corde, & anima venerabundi, & supplices orationem nostram convertimus.

Ad Mariam semper Virginem Auctoris Votum.

* TUis provolutus pedibus Maria Sanctissima Dei Mater, & Virgo, toto dèvotionis affectu enixè te deprecor, confiteor, & veneror in spem & vitam meam, quæ toties mihi deprecanti clementer adfuisti in fortitudinem deficientiæ meæ. Quis est qui Te suis in necessitatibus sinceræ devotionis affectu invocatam sibi meminerit defuisse: Quot quot in angustiis clamarunt ad te, clementiam tuam experti sunt in solatium opportunum: Quis est, qui tantæ, obsistere valeat veritati, scilicet omnium Te devotè invocantium excitare fidem, abigere diffidentiam, erigere pusillanimitatem. Sed & si nulla extarent, ex his quæ passim proferuntur probatis in c dicibus tantæ veritatis testimonia: Mariam scilicet omnium fidelium in angustiis, maximè spiritualibus, eam invocantium esse præsidium: ex his tantum quæ tuà misericordia, pietate, & clementià expertus sum sufficienter edoctus; in tantæ veritatis obsequium, Te scilicet o Maria Sanctissima esse omnium Te devotè invocantium spem, salutem, & vitam, profiteor animam meam me ponere semper esse paratum; neque cessaturum usque ad ultimum spiritum ore, & corde te invocare. Salve regina Mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes mea salve.

44. Negat per afflictiones, & tollerantias, hominem posse adjuvari ad promerendum gaudia æterna. R Matt. 5. 11. *Beati estis cum maledixerit vobis homines, & persecuti vos fuerint, gaudete, & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cælis*. Matth. 10. 38. *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus* Actor. 14. 21. *Per multas tribulationes oportet vos intrare in regnum Dei*. Tum quia si mortificationes essent infructuosæ, non dixisset Christus. Matth. 16. vers. 24. *Si quis vult post post me venire, tollat crucem suam*. Undè sæpè Christus, & Paulus nos hortantur ad mortificationem libenter subeundam, quæ nobis aditum referat immortalitatis. Hinc B. Petrus Epist. 1. cap. 4. vers. 13.

Com-

Communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Bona opera esse necessaria ad salutem, declarat Concil. Trid. sess. 6. Can. 19. *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Euangelio, præter fidem, cætera esse indifferentia, anathema sit*. Insuper sacra Scriptura nos hortatur ad bona opera, ad quid autem istæ frequentes exhortationes, nisi ut nobis constet quanta sit bonorum operum necessitas?

45. Negat Sanctos necessitates nostras videre, & vota nostra percipere. R. Nam 4. Regum 5. legimus, quòd Eliseus, famulum Giezi munera à Naaman Syro accipientem, absens vidit: Ergo si Sancti adhuc in corpore mortali, potuerunt absentia agnoscere, à fortiori triumphantes in cælis, poterunt necessitates nostras videre. Insuper Luc. 15. 10. legimus quòd Angeli in cælis cujusque hominis conversionem norunt, & de peccatorum pœnitentia lætantur, sed sanctorum hominum spiritus visione Dei gaudent, & in Deo vident sicut Angeli, ergo eodem modo, quo illi, & hi ea, quæ hic fiunt, intelligent. Demum nihil vetat quò minùs Sancti è cælis, nos in terra peregrinantes videre queant: quæ veritas comprobata est tot tantisque miraculis, ut etiam si fides hanc non doceret veritatem, adhuc nefas esset illi contradicere. An verò, & quà ratione inæquales sint Beatorum visiones, sivè cognitiones eorum, quæ hic aguntur, cum tamen omnes in Divino lumine, Deique essentià videant; ad Theologos scholasticos lectorem remittimus.

46. Construere templa in honorem Sanctorum abominationem vocat: ad Euang. Dom. primæ Advent. & ad Euangel. in die Nativit. Mariæ etiam reprob. constructionem templorum. R. Et quidem, quòd dedicatio templorum Deo grata sit, ex eo satis constat, quòd Deus promisit Salomoni, se faciliùs exauditurum preces orantium in templo, ut habetur ex 3. Reg. 9. Tum quia Deus vocat templum domum suam, quia ibi specialiter vult honorari. Reprehendant illi Paulum Apostolum, qui morem conveniendi in locum sacrum ad Divina peragenda, & Deum orandum, usque adeò approbavit, ut vehementer increpaverit eos, qui inibi profanas cœnas peragerent. *Numquid*, inquit, *domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis &c.* Extant ergo ab ipso Apostolorum tempore templa ad sacra peragenda, scilicèt ædificia orationi, sacrisque fidelium conventibus destinata; sed & quis ignorat à tempore nascentis Ecclesiæ erectas fuisse sacras ædes in Martyrum memorias? Qua in re magis ignorantia Lutheri, quam reprobandi audacia, se exhibet damnanda. Videtur enim Lutherum in illo fuisse sensu, quòd putaverit nos dedicare templa, aut altaria Sanctis. Profectò ita se res non habet. Sed in Sanctorum honorem, seu memoriam; eorumdemque nomine, & titulo, D.O.M. uni trinoque templa, & altaria dedicamus.

47. Epistolà contra duo Cæsaris mandata, negat seculari potestati, sivè principibus, esse obtemperandum. R. Ex sacris paginis, ubi quemlibet suo magistratui teneri obedire, & honorem deferre, asseritur, sic lib. 3. Reg. cap. 9. *Constituit te Deus regem, ut faceres judicium, & justitiam*. Proverb. 8. 15. *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt*. Marc. 12. *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari*. Luc. 24. Maria, & Joseph paruerunt edicto Imperatoris Augusti, ut irent in civitatem suam Bethlehem; ad Titum 3. 1. *Admone illos principibus, & potestatibus subditos esse*. Item ex Matth. 17. 27. ad Rom. 13. 1. ad Hebr. 13. 17. prima Petri 2. 13. evidenter constat omnem potestatem à Deo esse, atque illi parère teneri Christianos: Item, ex quotidiana experientia facilè evincitur, quàm necessarium sit dari superiorem potestatem, & magistratum, qui contineat subditos in disciplina civili, faciat judicium ne opprimantur pauperes, ut castigentur facinorosi: ablato siquidem timore superioris potestatis, vix esset qui securè posset vivere, vel aliquid possidere. Vide verbo *Anabaptistæ*, *Christophorus Scaplerus*.

48. Ne-

48. Negat justitiam originalem, in quà creati fuerunt Prothoparentes fuisse donum supernaturale, sed vult fuisse naturaliter debitam, sicut naturale est oculo lumen recipere. R. Eccle. 17. 1. *Deus creavit de terra hominem, & secundùm imaginem suam fecit illum; & iterum convertit illum in ipsam, & secundum se vestivit illum virtute*, ad Ephes. 4. 23. *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis*. Tum quia Adam per peccatum amisit justitiam originalem & tamen perfectionem naturaliter debitam non amisit; siquidem mansit anima cum suis potentiis, & quantùm ad corpus cum sensibilibus omnibus facultatibus. Verum quidem est, quòd non solùm fuit homo per originale peccatum expoliatus supernaturalibus donis, sed etiam in naturalibus vulneratus; quemadmodùm docuit Dominus sub figurà hominis, qui descendens ab Ierusalem in Jericho, incidit in latrones, qui expoliaverunt eum, & plagas imposuerunt. Indè tamen probatur supernaturalitas originalis justitiæ, quia non solùm fuit vulneratus, quod pertinet ad læsionem naturæ, sed etiam expoliatus, quod pertinet ad supernaturalia bona, quibus superinduta natura in rectitudine justitiæ constituebatur. Indè est, quod homo non amisit liberum arbitrium, ut finxit Lutherus, sed illud mansit, licèt infirmum propter ignorantiam, & inclinationem ad malum, ac difficultatem in bono, quam induxit concupiscentiæ rebellio. Vide S. Thom. 1. 2. q.85. art.1. & 3.

49. Dicit hominem non esse causam peccati, sed ex Dei ordinatione, ita necessariò peccare, ut non possit non peccare. R. verbo *Blastus*, & *Beza*. Tum quia Psalm. 144. 17. legitur: *Justus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis*. Item Sapient. 14. 9. *Similiter odio sunt Deo impius, & impietas*. Jacobi 1. 13. *Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est*. 1. Joann. 3. 5. *Apparuit ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est*. Tum quia, unicuique libertatem esse in electione bonorum, & malorum, unusquisque in se comprobat. Tum quia malum non potest esse ex bono, ergo peccatum, esse nequit ex Dei ordinatione. Ipsi Gentiles ne Deum auctorem mali dicerent, dixerunt materiam, quam credebant esse malam, esse ingenitam: alii ex ipsis alia opinati sunt. Nemo tamen Deum auctorem peccati fecit. Audiatur inter ipsos Plato lib. 2. de Repub. *Bonorum solus Deus causa est dicendus, malorum autem quamlibet aliam, præter Deum, quærere causam licet*.

50. Asserit solum peccatum infidelitatis posse hominem damnare. R. Quia Deus non solum infidelitatem prohibet, sed omnia peccata, propter quæ iis, qui comiserint, absolutè minitatur infernum. Insuper fornicarios, homicidas, perjuros reos fieri gehennæ, asserit Apostol. 1 ad Corinth. 6. 9. ad Gal. 5. 19. ad Ephes. 5. 3. Præter supra recensitas hæreses, plures etiam alias in Lutheri scriptis est invenire, quas commodiùs sub Lutheri sectatorum nomine reprobamus, quippe qui illas speciatim defendendas, & promulgandas assumpserunt. Demum non reticendum, quòd imprudenter Lutherus contrà Ecclesiæ dogmata, & ritus suo more blateratus, sæpè in suis scriptis sibi contradicere conspicitur, ità ut sua contra se ipsum contradictio validissimum sit argumentum, ad ejusdem falsam doctrinam convellendam. Plures contradictiones ex Lutheri scriptis decerptas profert in suo eruditissimo opere *Coccius*, in quo poterit lector assertionis nostræ veritatem palpare.

Finis Tomi Primi.